ACTA ET DOCUMENTA CONCILIO OECUMENICO VATICANO II APPARANDO

SERIES I
(ANTEPRAEPARATORIA)

VOLUMEN II

CONSILIA ET VOTA
EPISCOPORUM AC PRAELATORUM

PARS II: EUROPA

GIBRALTARIA - GRAECIA - HELVETIA - HIBERNIA - HISPANIA
HOLLANDIA - HUNGARIA - ISLANDIA - IUGOSLAVIA - LETTONIA
LUCEMBURGUM - LUSITANIA - MELITA - NORVEGIA - POLONIA
PORTUS HERCULIS MONOECI - SUETIA - TURCHIA EUROPAEA

(SUB SECRETO)

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLX

LIBRARY
MT. ST. ALPHONSUS SEMINARY
ESOPUS, NEW YORK 12429

1962

GIBRALTARIA

1

Exc.mi P. D. IOANNIS F. HEALY

Episcopi Gibraltariensis (Gibraltar)

10 maii 1960

Eminentissime Domine,

Existimare tamquam alicuius momenti observationes meas vel alicuius valoris opiniones meas mihi perdifficile est. Abhinc tribus annis cum dimidio simplex parochus in Londini paroecia adlaborabam inter fideles humiles et pauperes; nunc vero, Episcopus factus, hac in dioecesi exiguas occasiones invenio ad res oecumenicas considerandas. Gibraltaria, enim, dioecesis est quae rite ac laudabiliter ad nullam ecclesiasticam provinciam pertinet et res ita se habent ut raro tantum cum aliis Ecclesiae partibus contagionem habere possimus. De Ecclesia Orientali nulla loqui audeo, et quidquid aliud scribam fere omnino proveniret ex opinionibus a me formatis dum, parochi ministerio incumbens, acatholicos sive singillatim sive in circulos congregatos instruere in re catholica conabar.

Mihi notatu dignum videtur acatholicos, saltem in Anglia, notabiliter in temporibus recentibus suam Ecclesiae Catholicae aestimationem mutasse. Abhinc sat paucis annis mos apud illos erat Catholicos tamquam hominum infestissimos habere nec invenire nomina ad Catholicos describendos nimis horribilia poterant. Nunc vero, etiam in documentis semiofficialibus e. g. « Infallible fallacies », ostendere volunt se esse simul cum nobis, membra Ecclesiae Christi et nos tamquam durissimos corde autumant quia eorum causae veritatem agnoscere nolumus.

Incautis facile est considerare Angliam tamquam terram protestantem eo sensu quod maior habitantium pars uni Ecclesiae Anglicanae adhaereat, quae unam doctrinam ab omnibus eius membris tenendam doceat. Quod quidem minime verum est. Nam multae sunt sectae, multique incredulitatis gradus. Humanisti, materialisti, agnostici abundant etiam inter eos qui se Christianos esse profitentur. Attamen, mirabile est quot ex eis sint qui ita loquantur: « Si aliquam religionem profiteri voluissem, fuisset religio Catholica ». Sed religionis necessitatem ignorant, et hoc quidem etiam de Catholicis lapsis vel laxis saepe verum est.

Quod attinet ad maiorem Anglorum partem, praeprimis, meo sal-

tem iudicio summe necessarium est ut Dei existentiam recognoscant et eorum ad Eum serviendum debitum agnoscant. Secundo, omnino necessarium est ut, in terminis categoricis, intelligant Christum Ecclesiam Catholicam instituisse eique contulisse suam divinam potestatem ad homines omnes salvandos.

In hunc finem opinor pro viribus excitari oportere in membrorum Ecclesiae, tam clericorum quam laicorum, mentibus, urgentiae sensum, eos, utpote membra Corporis Mystici Christi, ad apostolatum impellentem. Unusquisque nostrum, per vitam vere Catholicam, evidentiam constantem quatuor Ecclesiae Christi notarum praestare debemus.

Unitas. Non tantum per falsarum doctrinarum actionumque disrumpentium condemnationem, sed multo magis per instructionem positivam servari debet integerrima unitas fidei et actionis omnia inter Ecclesiae membra. Quoad Protestantes generatim verisimile est quod primus contactus fiet per nostras actiones liturgicas. Nonnulli enim eorum quam maxime nostras caeremonias simulari conantur, et non tantum inter se multo maioris momenti liturgicas quam doctrinales quaestiones habent. Catholicorum unitas in Missae sacrificio et in sacramentorum administratione vere capax est ingentem exercendi influxum praecipue vero per media radio-diffusiva et televisa. Quamvis libenter concedo existentiam, maxime ad fideles consolandos et roborandos, rationum ad usum linguae vulgaris in sacramentorum administratione et aliis caeremoniis perficiendis, puta in mortuorum sepultura, ex toto corde meo volo ut introductio linguae vernaculae in Missae liturgia vetetur. Enixe intimam unionem sacerdotem inter et populum desidero, unionem nempe mentis, cordis et vocis; attamen talem unionem optime mediante lingua latina conservare et augeri potest simul cum unione inter omnia universalis ecclesiae, saltem latinae, membra. His in diebus cum pauci sint qui legere ignorent, omnes apprehendere et intelligere possunt tam orationes latine recitatas, quam Missae actiones. Spero fore ut unitas ecclesiae per totum orbem terarum in Missae celebratione magis magisque testimonium tribuat Corporis Mystici Christi unitatis. Summe necessarium autem est, ut proclametur unitatem liturgicam fidei unitatem ante omnia postulare.

Sanctitas. Haec, fortasse est nota quae cum acatholicis, saepe autem ipsis insciis, maximum impulsum exerceat. Catholici autem, non raro, ignorant quam potens esse possit ad bonum effectus eorum virtutum vel, e contrario, quam infelix esse possit eorum debilitatus effectus. In quaestionibus moralibus quae tam frequenter conscientias hominum perturbant, membra Ecclesiae Catholicae solutionem rectam cognoscere semper praesumuntur, et quod magis est, Catholicorum est, in acatholicorum expectatione, omnibus in circumstantiis recte agere. Unde Ca-

tholici peccantes acatholicis scandalum afferunt, stimulant vero ad conversionem virtuose agentes. Hac de ratione Catholici, clerici et laici, ad sanctitatis apostolatum, non prohibitionibus vel negative tantum, sed magis positive ope perfectioris cognitionis exempli valoris moneantur. Semper prae oculis habere debemus officium nostrum apostolicum: ita vivere debemus ut sanctitatem Ecclesiae demonstrantes acatholicos attrahere possimus.

Catholicitas. Triste est quod in aliquibus locis quidam populorum ordines vel coetus politici fama semper Catholici sint alii e contra ordines coetusve ut acatholici semper habeantur. Quosdam inter populos pauperes et operarii sunt qui neglecti ab Ecclesia dicuntur dum, e contra, in aliis mundi partibus Catholici semper pauperes asseverantur. Omnes Catholici, praesertim vero clerici, ita vivere debent ut constanter demonstrent Ecclesiam esse arcam unicam salvationis omnibus hominibus. Optimo cum effectu citare possumus modo valde mirabili in quo ecclesia est omnium Mater; optimo cum effectu sequi possumus exempla nobis a Summis Pontificibus praestita curae vere Paternalis erga omnes omnium conditionum homines ad eorum pedes ab omnibus universi partibus confluentes. Infirmi et fortes, veteres et iuvenes, docti et rudes, divites et pauperes, sancti et peccatores — omnes cognoscere debent, ex exemplo Catholicorum, Ecclesiam ad eos salvandos existere.

Apostolicitas. Experientia mihi docet acatholicos non raro ferre cum invidia Catholicorum sensum, ut aiunt, securitatis, agnoscere. Scientia illa secura cum qua tam firmiter cognoscimus Iesum Christum fuisse qui nobis contulit auctoritatem docendi ea quae docet Ecclesia; illa certitudo cum qua, sine ullo dubio, agnoscimus potestatem quam Christus Ecclesiae concessit ad nostros episcopos sacerdotesque usque pervenerit, protestantibus desunt. Talem cum Apostolis cognationem multo exoptant Protestantes. Anglicani bene cognoscunt realem successionem Apostolicam in Ecclesia nostra existere, multi autem eorum vere dubitant se talem unionem cum Apostolis habere. Sunt inter eos qui adhuc expectent declarationem ab Ecclesia Catholica agnoscentem ordinum in ecclesia Anglicana receptorum validitatem, alii, pastores Anglicani, se submittere Ecclesiae Catholicae recusant quia aegre ferunt invaliditatem sacramentorum ab eis in ecclesia Anglicana administratorum affirmare. Forsitan non inutiliter Concilium memoraret certitudinem nostrae cum Ecclesia Apostolorum unionis et gaudium nostrum ex hac unione oriens.

Eminentiae tuae, servus addictissimus

✠ IOANNES HEALY
Episcopus Gibraltariensis

GRAECIA

1

EXC.MI P. D. BENEDICTI PRINTESIS

Archiepiscopi Atheniensis (Athenai)

No. 166/59 C.V. 15 augusti 1959

Magno cum honore et gaudio litteris Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico sub No. I C/59-161 responsum dare gaudeo.

Quoad disciplinam Cleri: Post tempus bellicum magna quaedam libertas in vita Clericorum apparet, v. g. peregrinantes veste laicali induuntur et hoc modo ad Ecclesiam accedunt pro Sacro litando. Quam saepius peregrinant quin *celebret* suorum Ordinariorum aut Superiorum muniti sint. Modo quo vestiuntur saepe scandalum pro populo christiano sunt.

Quid si pro omnibus Sacerdotibus Saecularibus et Regularibus extra Ecclesiam vestis nigri coloris — Clergyman — imponatur, ut uniformitas imponatur quin libertas vestiendi detur? Nam omnibus notum est vestem hanc sacerdotalem esse.

Caput de prudentia maioris momenti in Universitatibus Ecclesiasticis sit quum pericula vitae sacerdotalis quam maxima sint et quidem pro sacerdotibus actionem cum nostris femineis operibus agentibus.

Quid si vita communis pro clero in paroeciis imponatur, quantum et ubi hoc possibile fuerint? Exsperientia docet, ubi hoc adservatum fuit, sacerdotes in communi viventes sub auctoritate et directione parochi optime semper laboravisse.

Quoad disciplinam populi christiani: Aliquid pro decore Ecclesiae faciendum est dum fideles veste non-christiana ad sacramenta procedunt. Spiritus modestiae et respectus christiani erga sanctitatem sacramentorum et Ecclesiam inculcandus est, et hoc a teneri aetate infantium.

Pro maiori participatione activa populi christiani in vita liturgica et extra-liturgica Ecclesiae permittatur: Gloria, Credo, Orate fratres, Sanctus, Pater noster, Agnus Dei, Domine non sum dignus, etc.: in lingua vernacula a populo fideli dicantur dum sacerdotes ea omnia lingua latina recitat, et hoc quidem praesertim quum Missa pro pueris et puellis habeatur.

Sacramenta etiam v. g. baptismi et matrimonii in lingua vernacula administrentur.

Pro actione pastorali Ecclesiae maior collaboratio Religiosorum et Religiosarum cum Ordinario loci habeatur, et bonum Ecclesiae commune prae oculis semper habeatur v. g. in vita sociali Ecclesiae cum pueris, cum pauperibus, in instructione religiosa fidelium, iuvenum, puellarum, puerorum, etc. Causa plurimorum privilegiorum Religiosorum atque Religiosarum Ordinarius eis uti nequit.

Unio cum Ecclesia Graeca Schismatica « Orthodoxa » magni momenti apud nos est. Ecclesia haec omnia sacramenta habet, et magis ad Nostram Ecclesiam quam ad Protestanticam appropinquatur, quae sine sacramentis et specialiter sine Sacramento Eucharistico invenitur.

Nostris in partibus *unio* immediata haberi nequit; primum contactus amicales cum Fratribus Nostris separatis habere debemus, ita ut nos illos et illi nos cognoscere valeant et spiritus antiquus removeatur. Tamen perplacitum erit si gradus contactuum istorum determinetur et quam maxime cognitio reciproca-amicalis semper quaeratur. In hoc maximo desiderio unionis cum Ecclesia Graeca Schismatica « Orthodoxa » magna cum charitate et cautela procedendum erit. Ex meis contactibus cum Episcopis Graecis et indirecte cum ipso Patriarcha Constantinopolitano, scire potui Patriarcham contactum cum Ecclesia Catholica pro unione desiderare. Tamen sciendum est Orientales quam maxime charitate et respectu aliquo indigere, nam ea apud sese non semper habent. Ex puris conventibus Theologorum primo momento non magni momenti fructus habere possumus, quum eorum Theologi homines laici sint et non saepius cum Ecclesia eorum in conflictu inveniantur.

In casu Unionis cum Ecclesia Graeca Schismatica quisnam status Sacerdotum, Episcoporum, Archiepiscoporum et Patriarcharum erit? Hoc magna cum charitate tractandum erit quum ipsi suis iuribus et privilegiis antiquis insistant.

Similiter quid de statu Monachorum huius Ecclesiae?

Quid de praxi matrimonii ineundi a clero acatholico?

Quam saepius Schismatici-Orthodoxi ad sacerdotem catholicum accedunt sacramenta, et quidem confessionem et communionem petentes, vel tantum confessionem dum pro communione ad ministrum acatholicum accedunt, vel in nosocomiis sacerdos catholicus acatholicum in extremis infirmum invenit, qui sine assistentia suae Ecclesiae invenitur.

Quid istis in casibus sacerdos catholicus facere debeat?

Quid de alumnis acatholicis qui in scholis nostris inveniuntur, quoad Missam et sacramenta confessionis et communionis in Ecclesia eorum?

Ecclesia Schismatica Graeca indissolubilitatem sacramenti matrimonii non admittit sed *ter* matrimonium inire permittit.

Quid Ecclesia providere potuerit ut apparitiones cinematographicae

immorales et scandalosae, magna occasio moralis et socialis destructio iuventutis, a medio arceantur? Hoc valere potest etiam pro publicationibus illustratis quae sine respectu christianae et humanae honestatis apparent.

Maiori cum instantia insinuatur de respectu laboris et vitae operariorum et eorum familiae et de maiori amore et charitate nostra erga istos quum experientia doceat ubi caritas Ecclesiae invenitur ibi et fideles maiori cum fiducia Ecclesiae et Suae doctrinae adhaerent.

Addictissimus in Christo Iesu
✠ BENEDICTUS PRINTESIS
Archiepiscopus Athenarum

2

EXC.MI P. D. IOANNIS B. FILIPPUCCI
Archiepiscopi Naxiensis, Andrensis, Tinensis et Myconensis
(Naxos, Andros, Tinos e Micone)

Num. Prot. 26/59 Teni, die 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Libenti animo litteras tuas recepi et consilio peritorum sacerdotum habito sequentes animadversiones proponimus.

Quoad disciplinam cleri; data praeoccupatione pastorali desideratur simplificatio Divini Officii quoad rubricas; non imminutio orationis, sed eius simplificatio.

Ad augendam fidem populi christiani studium profundius doctrinae catholicae proponimus.

Desideratur ut sacramenta celebrentur lingua vernacula; saltem baptismus, confirmatio, matrimonium et extrema unctio.

Quoad unitatem Ecclesiae proponimus 1) ut examinetur quaestio de communicatione in divinis et 2) ut permittatur oratio communis cum schismaticis etiam in Ecclesia.

Quotidie oramus pro bono exitu Concilii Oecumenici. Impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae tuae, cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimus
✠ I. B. FILIPPUCCI
Archiep. Naxiensis-Tinensis etc.

3

Exc.mi P. D. GEORGII XENOPULOS

Episcopi Sanctoriensis et Syrensis (Santorino e Syra)

Syros, 18 aprilis 1960

Eminenza Reverendissima,

Con grande mio dispiacere ho appreso dalla sua del 21 marzo, N. Pr. 1 C/59-1226 bis, che nessuna mia risposta è pervenuta ancora alla Commissione Pontificia Antipreparatoria al Concilio Ecumenico: e forse sarò tacciato di negligenza o indifferenza davanti ad un così grande avvenimento: mentre io, in data 28 ottobre 1959 avevo già spedito alla sopradetta Commissione una lettera (che probabilmente sarà andata perduta) nella quale esponevo alcune mie proposte o piuttosto desiderii che, secondo la mia povera esperienza, credo possano essere utili, se non alla Chiesa Universale, almeno a questa parte di Essa che si chiama il Prossimo Oriente.

Domandando scusa, perchè mi sento in parte colpevole in questo incidente non avendo raccomandato quella lettera, spedisco a V. Eminenza copia di essa.

Con distinti ossequi di filiale rispetto

dell'Eminenza V. Reverendissima
dev.mo in Corde Iesu

✠ Giorgio Xenopulos, S. I.
Vescovo di Syros e Santorino
Ammin. Apost. di Creta

N° Prot. 17/J Syros, 28 otobre 1959

Proposta I. Date le circostanze attuali per cui si cerca di formare un certo ambiente benevolo e favorevole alla tanto sospirata Unione delle Chiese, penso che forse la Chiesa Cattolica potrebbe rilassare un poco la severità sulla « communicatio in divinis »: e ritornando alla « prassi » di alcuni secoli fa, permettere (come si soleva fare almeno qui in Grecia fino al secolo XVIII) a certe anime buone scismatiche (e non sono poche) di potersi confessare e ricevere l'assoluzione dal sacerdote cattolico. Molte

di queste anime, che non hanno ancora sufficientemente la grazia e il dono della conversione, sia perchè non trovano un direttore spirituale, data l'ignoranza della maggior parte dei preti scismatici; sia, e molto più, perchè disgraziatamente non hanno fiducia nei loro sacerdoti in ciò che riguarda il segreto della confessione, non si confessano; e spesso si rivolgono al sacerdote cattolico domandando l'assoluzione e la direzione: cose che, date le leggi restrittive della Chiesa, vengono loro negate. Eppure si potrebbe fare tanto bene a queste anime preparando allo stesso tempo il terreno per una più fertile comprensione dell'Idea dell'Unione. Ma anche se non si vuole concedere una tale facoltà in *generale,* si permetta almeno agli Ordinarii del luogo, « onerata eorum conscientia » di potere usare o concedere ad altri sacerdoti questo indulto in casi particolari a loro notificati.

Proposta II. Per una maggiore comprensione e partecipazione dei fedeli a diversi riti della Chiesa Latina, specialmente nell'amministrazione di alcuni sacramenti, come il battesimo, la cresima, l'estrema unzione e il matrimonio, permettere la traduzione autentica e fedele dal latino in lingua volgare, in modo che i partecipanti ai detti sacramenti ed anche coloro che vi assistono possano capire e gustare la bellezza dei riti, specialmente in quelle nazioni dove il latino è del tutto incomprensibile.

Proposta IV. Dare istruzioni tassative agli Ordinarii, che proibiscano severamente ai loro sacerdoti i quali, o singolarmente ovvero conducendo gruppi turistici, visitano altre nazioni, di andare in giro con abiti disdicevoli alla dignità sacerdotale, quasi completamente svestiti e con calzoncini cortissimi (shorts), con grande scandalo, almeno nelle nostre parti, dei fedeli e anche degli stessi scismatici i quali presto o tardi vengono a sapere che questi scamiciati e « sansculottes » sono dei sacerdoti cattolici!

Proposta IV. Semplificare, in quanto è possibile, la nuova disciplina del digiuno eucaristico, particolarmente riguardo alle Messe pomeridiane. Prima, era facile il calcolo del tempo: da mezzanotte incominciava il digiuno. Adesso i fedeli, e specialmente la classe operaia e i contadini, si imbrogliano con le tante sottodistinzioni della nuova legge: l'acqua naturale si permette sempre; *un'ora* prima della comunione (e molti non sanno calcolare a che ora precisa sarà la comunione *inter missarum solemnia*) si può prendere *aliquid per modum potus, exclusis alcoolicis; tre ore* prima della comunione (di cui come sopra non sanno precisare l'ora) si permettono cibi solidi ed anche alcoolici; invece non è permesso prendere anche un solo bicchierino di *liquore* per tutta la giornata, a partire da mezzanotte. E sono moralmente certo che molti si avvicinano alla

Comunione nelle messe serotine, pure avendo trasgredito materialmente e senza accorgersene qualcuna delle sopradette leggi del digiuno eucaristico.

✠ Giorgio Xenopulos, S. I.
Vescovo di Syros e Santorino
Ammin. Apost. di Creta

4

Exc.mi P. D. HYACINTHI GAD
Episcopi tit. Gratianopolitani, Exarchae Ap. pro Graecis

Prot. N. 178/59 Athenis, die 8 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteris Eminentiae Tuae (I C/59-1911) Reverendissimae acceptis, maxime gavisus sum, proximam audiens convocationem Concilii. Cuius operi adiuvando, secundum Tuam petitionem, haec mihi proponere visum est:

1. Ut salva integritate fidei et excluso omni periculo indifferentiae, concedatur Ordinariis locorum quibus interest amplior facultas decidendi ea quae respiciunt communicationem in sacris et praesertim in audiendis confessionibus christianorum orientalium separatorum.

2. Ut legislatio canonica in regionibus Orientis christiani magis faveat fidelibus rituum orientalium.

3. Ut ad parandam futuram unionem tum praesertim ad servandos thesauros antiquae traditionis catholicae, Synodus opportuna media definiat, quibus impensius promoveatur amplior cognitio traditionis ecclesiasticae Orientis apud clerum latinum.

Haec sunt quae in regionibus nostris ad bonum animarum magis conferre visa sunt.

Pro futuribus laboribus Concilii optima quaeque a Domino adprecans,

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimus

✠ Hyacinthus Gad
Episcopus tit. Gratianopolitanus
Exarcha Apostolicus pro Graecis

5

Rev.mi P. D. IOSEPHI KHANTZIAN

Ordinarii Armeni in Graecia

Eminentissimo Principe,

Mi sono sentito onoratissimo ricevendo la venerata lettera di Vostra Eminenza Reverendissima, in data 18 giugno 1959 (Prot. I C/59-2699) relativa alla preparazione del Santo Concilio Ecumenico, che l'Augusto Pontefice Giovanni XXIII, gloriosamente regnante, intende convocare.

Tengo prima di tutto a presentare a Vostra Eminenza Reverendissima, tutti i miei fervidi auguri per il felice esito nella antipreparazione del futuro Concilio.

In secondo luogo, prego Vostra Eminenza, di voler scusarmi se rispondo in italiano alla vostra venerata missiva, perchè non mi sento capace di redigerla in latino, che ho quasi dimenticato.

Ora gli argomenti che vorrei esporre qui con tutta rispettosa libertà e sincerità, secondo la mia coscienza, sono i seguenti:

A) *Relativamente al Sacramento del Matrimonio*

Chi ha vissuto molti anni in Oriente, non può non vedere la grande e dolorosa piaga che si apre ogni giorno nel seno della S. Chiesa con i « Matrimoni Misti ».

La relativa esiguità dei Cattolici, i frequenti rapporti con i dissidenti, i legami di parentela, la mentalità che vuole che la donna sia subordinata all'uomo in terreno di matrimonio, la legge civile che non riconosce il matrimonio di un ortodosso, contratto in Chiesa Cattolica e rifiuta il riconoscimento per l'eventuale prole, sono tanti motivi che inducono quasi fatalmente la parte cattolica a far benedire il matrimonio dinanzi al ministro scismatico.

Presa in considerazione questa situazione, il futuro S. Concilio non potrebbe con certe norme rimediare al male dove l'esiguità numerica dei cattolici è una seria cagione per i nostri di presentarsi al ministro scismatico?... La Suprema S. Congregazione del Santo Uffizio, in data 19 gennaio 1949 (Prot. N. 1216/47) ha stabilito certe norme per la Grecia per detti casi. Non si potrebbe applicare tali norme per tanti altri paesi in Oriente?...

B) *Relativamente alla disciplina nei Seminari*

E un fatto assai inquietante la scarsezza delle Vocazioni sacerdotali nel tempo moderno. Da dove può provenire questa notevole diminuzione?... Questo è certamente un problema che non può lasciare indifferente il futuro S. Concilio. Fra tanti motivi che possono impedire che le vocazioni non germoglino nella cara gioventù del Seminario, ci sono specialmente il lusso moderno, i divertimenti attrattivi (lo sport), la tendenza per una vita che abbia tutti i conforti materiali (idea del materialismo), in una parola la mancanza dello spirito di sacrificio.

Ora, è un dovere rigoroso nei Seminari di sviluppare questo spirito di sacrificio in quei giovani che si preparano al Santo Altare. Ciò non si può ottenere se non con una rigorosa disciplina, come si faceva di qui a 40 anni prima.

Secondo la mia umile opinione, oggidì il sistema nei Seminari è molto mitigato. Nei Seminari moderni il giovane Seminarista vive una vita di conforto, la regola non impedisce ai Seminaristi di uscire a due, di tenere libero uso del danaro che ricevono dai genitori, di ricevere e mandare lettere senza controllo, di seguire la politica nei loro giornali, di compiere certi esercizi di pietà soli e al tempo che vogliono, di andare a passare le loro vacanze in casa.

Mi pare che questo sistema non favorisca la vocazione, perchè non sviluppa assai lo spirito di sacrificio che deve aver un futuro sacerdote.

Auguro che il futuro S. Concilio possa trovare i mezzi di moltiplicare le vocazioni sacerdotali e sottomettere i Seminaristi ad una disciplina più rigorosa.

C) *Estensione della S. Chiesa e Apostolato Laico*

Nessuno ignora che oggidì la Chiesa Cattolica è estesa nei quattro angoli del mondo. È noto pure che forze avverse (Protestantesimo, Comunismo, etc.) fanno degli sforzi giganteschi per penetrare nel campo Cattolico. Nell'America Latina, p. e., si attesta che il Protestantesimo avanza a passi di gigante. Di pari passo il comunismo ha già penetrato nei paesi di tradizione cattolica ed è una seria minaccia per il Cattolicesimo.

D'altra parte, se gettiamo gli sguardi sui paesi Orientali, dove domina l'Ortodossia, vediamo che il Cattolicesimo non fa grandi progressi, anzi perde terreno coi matrimoni misti; è una situazione non molto consolante.

Contro queste forze avverse al Cattolicesimo, la S. Chiesa non tiene assai sacerdoti. Si dice che per l'immenso Continente, come è di fatto

l'America del Sud, 30.000 sacerdoti sono molto insufficienti, mentre per 4.500.000 Protestanti nello stesso Continente lavorano 16.000 Pastori.

Quale è il rimedio in questa situazione?... Giacchè non abbiamo un numero sufficiente di sacerdoti, bisogna mobilitare il mondo laico in aiuto ai sacerdoti. Non intendo di moltiplicare le nostre Organizzazioni Laiche, le quali mantengono la pietà cristiana nei loro ambienti; intendo dare un impulso all'Apostolato Laico, come sarebbe a quella bella Organizzazione che si chiama « Legio Mariae », la quale ha lo spirito combattente, tiene una disciplina militare, non cerca le manifestazioni esteriori, ma lavora collo spirito soprannaturale avvicinandosi alle anime ad una ad una, alle famiglie in particolare.

Se una tale organizzazione laica, di spirito militare, combattente, penetra in ogni Diocesi, certamente lo spirito dell'Apostolato si sveglierà presto nel Laicato Cattolico, il quale coll'Autorità Ecclesiastica, sarà di immenso aiuto nell'estensione del S. Evangelio e della S. Chiesa.

D) *Clero e politica*

Oggidì la Chiesa Cattolica è più che mai accusata di far la politica per conto di un paese contro un altro. Sappiamo che questo è una vera ingiuriosa calunnia.

Tuttavia non è raro di vedere degli Ecclesiastici, i quali non si contentano di adempiere i loro doveri civili, come si richiede, non si contentano di combattere con parole e discorsi un partito politico, avversario della dottrina cattolica e neppure si contentano di avere la loro propria idea politica, ma cercano ad assumere qualche volta delle cariche in campo politico, presentandosi come candidati nelle varie elezioni civili.

Con somma riverenza all'Autorità Ecclesiastica, si deve dire che è assai odioso per un sacerdote assumere una carica politica, anche con la buona intenzione di servire la S. Chiesa. Di fatto, tale sacerdote, non potendo sempre contentare tutti, avrà contro di lui degli uomini che parlano male di lui e hanno l'odio contro di lui e indirettamente contro gli Ecclesiastici in genere, specialmente quando questi scontenti sono i nemici del clero cattolico. Credo che questo punto sarebbe un tema che domanda larga direzione nel futuro S. Concilio.

E) *Priorità fra Cardinali e Patriarchi*

L'Augusto nostro Pontefice Giovanni XXIII, che ha avuto l'idea ispirata certamente dallo Spirito Santo di convocare un Concilio Ecume-

nico, intende per sicuro, presentare alle Chiese dissidenti l'occasione di studiare seriamente una eventuale Unione colla Chiesa Cattolica.

Questa santa idea del nostro Pontefice fa assai lavorare la testa di tanti Capi Ecclesiastici dei dissidenti d'Oriente.

Due sono specialmente i punti che occupano la mente di questi Ecclesiastici: la Supremazia del Romano Pontefice e il loro grado ecclesiastico in una eventuale Unione.

La Supremazia del Pontefice Romano non è tema di discussione ma di spiegazione secondo il Vangelo e la Tradizione Cristiana. Ma un ritorno alla Gerarchia dei primi tempi del Cristianesimo, che riconosceva il Pontefice Romano come Capo supremo della Chiesa e dopo di Lui i Patriarchi, faciliterebbe, credo, l'avvicinamento della Chiesa Orientale dissidente alla Chiesa Romana.

Ora, nella Gerarchia Cattolica attuale, gli Eminentissimi Cardinali hanno la priorità sopra i Patriarchi, come costituenti « Senatum Romani Pontificis ». Ciò non è piacevole ai Patriarchi dissidenti che vorrebbero aver la priorità di dignità nella Gerarchia Ecclesiastica sopra gli altri Ecclesiastici.

Cosa penserà il futuro S. Concilio sopra questo argomento, per facilitare l'Unione delle Chiese?...

Terminando i miei punti di vista relativi al S. Concilio Ecumenico, mi faccio l'onore di presentare a Vostra Eminenza Reverendissima, la mia profonda venerazione e baciando la Sua Sacra Porpora, mi dico

di Vostra Eminenza Rev.ma
l'umilissimo servo

GIUSEPPE KHANTZIAN
Ordinario Armeno in Grecia

HELVETIA

1

Exc.mi P. D. FRANCISCI VON STRENG

Episcopi Basileensis et Luganensis (Basel e Lugano)

Solodori, 10 maii 1960

Beatissime Pater,

Respondens ad litteras Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico de die 18 iunii 1959 hisce quasdam animadversiones circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt, forsitan utiles, devotissime communico:

I. *Dogmatica*

1. Praeprimis dilucidetur et perficiatur tractatus de *Episcopatu* in Concilio Vaticano iniuria temporis dilatus et sepositus. Declaretur Episcopos residentiales habere veram potestatem vicariam Christi tamquam veros principes. Haec potestas uti iuris divini declaranda est.

De novo igitur circumscribantur eorum facultates, ita ut reservatis causis maioribus Summo Pontifici ipsis commissae sint omnes aliae causae, v. gr. dispensatio super omnibus impedimentis matrimonialibus super quibus Sancta Sedes dispensare solet; relate ad statuendas dies ordinationis quae pro dioecesi sunt favorabiliores; relate ad assumendos alumnos in seminarium maius ex aliena dioecesi et quoad postulantes et novitios alicuius congregationis religiosae; quoad processus informativos de inconsummatione matrimonii.

2. Dilucidetur *status laicorum* in Ecclesia, speciatim eorum conditio relate ad hierarchiam ecclesiasticam.

II. *Moralia*

1. Aperiatur Ecclesiae sententia de urgentioribus quaestionibus ad rem *oeconomicam, socialem politicamque* attinentibus.

Quoad rem *oeconomicam* dicatur, quid Ecclesia sentiat de modernis possessionis privatae doctrinis formisque, uti a novis diversis a liberalismo et socialismo historico rei oeconomicae systematibus proponuntur, quae « socialismus liberalis », « socialismus democraticus », « système partenaire » (quod non est confudendum cum contractu societatis: contrat de société).

Quoad rem *socialem* defendatur gravitas politicae socialis agnoscentis familiam et quidem in matrimonio indissolubili infixam uti societatis fundamenta. Hac in re imprimis pronuntientur principia sic dictae politicae demographicae, praesertim ad rationem internationalem attinentia.

Quoad rem *politicam*: cum nostris temporibus relationes diversarum civitatum a liberalismi principiis dirigi videantur, admonendum est maius momentum religioni quam rationibus oeconomicis attribuendum esse.

Desiderandum est, ut curae animarum addictis procuraretur *compendium practicum in materia septimi decalogi praecepti* tractans praesertim problemata nostris temporibus exorta, uti a Nobis in litteris pastoralibus exarantur,[1] compendium desideratum intelligimus ad modum illorum quae iam exstant pro sexto decalogi praecepto.

2. Multi ex nostris *coniugibus* franguntur facto quod postulata seu praescripta moralia ab ipsis petant de facto continentiam valde diuturnam saepe imo continuam, id quod secundum *1 Cor.* 7, 5 est periculosum. Methodus Ogino-Knaus multis in casibus huius quaestionis — pro cura animarum practica forsan difficillimae — certo ad solutionem meliorem duceret. Insuper non videntur adhuc satis clara, uti pervestigationes historicae demonstrant, quae in matrimonio ut natura sive naturalia consideranda sint. Sane non ita esse deberet quod acatholici matrimonia saniora ducant vel ducere possint quam catholici Ecclesiae fideles.

III. *Canonistica*

Legislatio actualis Ecclesiae simplificetur quam maxime visis gravitate materiae et necessitate unitatis Ecclesiae.

1. In *periculo mortis* (non tantum in articulo mortis) concedatur unicuique sacerdoti facultas conferendi sacramentum *confirmationis,* considerato axiomate « Sacramenta propter homines ».

2. *Iurisdictio ad audiendas confessiones* ab Ordinario proprio tradita valeat ubicumque terrarum, nisi ab Ordinario ipso expresse sit limitata.

3. Legislatio quoad *amotionem parochorum* et aliorum beneficiatorum magis curae animarum accommodanda est.

4. Facultates sic dictae *Quinquennales* Episcopis de iure tradantur.

---

[1] Cf. F. Von Streng, *Der Christ Als Selbständiger Unternehmer,* Weisungen Für Das Jahr 1959.

5. Amplificentur facultates Episcoporum *in advocandis religiosis* ad curam animarum.

6. *Index librorum prohibitorum* accommodetur magis conditionibus hodiernis, cum constat in praxi legem de libris prohibitis nec observari nec moraliter observari posse. Revideatur igitur legislatio in hac materia.

Quoad methodum S. Officii hac in re Nobis videtur:

a) Natura necessitas affirmanda est, praesertim viso periculo, ne falsas doctrinas diffundant illa Ecclesiae membra quae parum cum Ecclesia sentiunt et animo libertino sunt.

b) Respectus habeatur docentium et scriptorum Ecclesiae *animo fideli* deditorum.

c) Quoad sentire cum Ecclesia auctorum audiantur locorum Ordinarii.

d) Quae manent in campo inquisitionis scientificae (in publicationibus mere scientificis) cum intentione inquisitionis seriae non facile prohibeantur. Timor investigatorum catholicorum ob proscriptionem publicam, laborem investigationis impedit et refrenat, et consequenter viri periti acatholici in scientiis dominantur et scientia ecclesiastica silet vel tardius venit.

e) Si doctrina investigatoris Ecclesiae fidelis prohibetur vel ipsius opus vendi vetatur, sufficiat publicatio in Actis Apostolicae Sedis, vel nuntius per Ordinarium; publicatio in Osservatore Romano pro toto mundo his in casibus omittatur.

f) Si operis scriptores quod destinatur pro amplo publico, et libri redemptio eo suo officio satisfecerunt, ut opus tradiderint ad « nihil obstat » et « imprimatur » Ordinariatui ad censuram, et si opus nihilominus prohibeatur vel interdicatur ipsius venditio, tunc Ordinariatui rationes saltem indicentur ob quas prohibitio pronuntiata sit. Deinde probari posset an prooemio vel quodam addito periculum perceptionis erroneae apud lectores demi posset. Auctor et libri redemptio considerabili damno pecuniario vacarent.

g) De quaestione mere opportunitatis alicuius operis in respectivo territorio linguae vel terrae Ordinarius cum suo concilio iudicare deberet; deinde versio in aliam linguam prohiberi potest.

7. *Leges ieiunii* eo sensu restringendae sunt, ut nonnisi feriis sextis Quadragesimae obligent, ita ut omnes dies ieunii extra Quadragesimam abrogentur.

IV. *Liturgia*

1. *Lingua vernacula* adhibeatur: pro Epistula et Evangelio in Missis cum assistentia fidelium celebratis, in administrandis sacramentis et sacramentalibus.

2. *Cyclus pericoparum* per plures annos distribuatur.

3. Exaretur *formulare proprium* adhibendum in Missa *sacrae ordinationis presbyteratus*, uti habetur v. gr. in Missa pro sponsis.

4. *Dominica secunda Passionis D. N. I. C.* historia passionis remittatur ad feriam secundam hebdomadae sanctae.

Feria sexta in Passione et Morte Domini amplior occasio praebeatur ad sacram communionem distribuendam, praeprimis in cura animarum iuvenum et infantium.

In sollemni celebratione *Vigiliae Paschalis* omittantur prophetiae.

5. In officio divino recitando *Matutinum* redigatur ad unum Nocturnum cum tribus psalmis et tribus lectionibus: prima de Scriptura occurrenti, secunda ex scriptis Patrum, tertia homilia S. Evangelii.

Nobis visum est statuere ea quae ad mentem Summi Pontificis Ecclesiam magis aptam reddant ad eos qui foris sunt alliciendos.

Et Deus ...

✠ FRANCISCUS VON STRENG
Episcopus Basileensis et Luganensis

2

EXC.MI P. D. CHRISTIANI CAMINADA
Episcopi Curiensis (Chur)

Una cum ipso responsum dedit:

EXC.MUS P. D. IOANNES VONDERACH
Episcopus tit. Araditanus, Coadiutor c. s. Curiensis

Coira, 22 maggio 1960

Eminentissimo Principe,

I vescovi svizzeri hanno discusso in comune nella loro ultima conferenza le richieste da inoltrare per il Concilio e che Lei, Eminenza, riceverà in originale fra giorni. L'originale delle richieste avrebbe già dovuto essere in possesso di Vostra Eminenza, ma da quanto ci risulta il tempo richiesto per la circolazione è stato più lungo del previsto.

Noi sottoscritti non vorremmo però in nessun caso far attendere oltre una risposta alle lettere sopra citate e precisamente Nr. prot. 1 C/59-362 e Nr. prot. 1 C/59-2150 e ci permettiamo quindi di inoltrare una copia delle richieste, quale è attualmente in circolazione fra gli Eccellentissimi vescovi svizzeri.

Vorremmo ancora con la presente ringraziare per il fatto che Sua Santità ci ha dato la possibilità di sottoporre desideri e postulati per il futuro Concilio. E in più vorremmo esprimere il nostro più vivo grazie a Vostra Eminenza per averci prolungato il tempo per l'incontro delle domande, di quanto non fosse stato previsto, perchè così fu possibile trattare un affare di tale importanza nella conferenza comune dei vescovi svizzeri.

Nella petizione i vari punti sono stati riassunti, dato che un trattamento e una documentazione in esteso avrebbero richiesto troppo spazio. Una esposizione e documentazione particolareggiata potrà essere fatta per quei punti che verranno eventualmente presi in considerazione per un ulteriore trattamento e vorremmo pregare Vostra Eminenza di farci tenere una comunicazione in merito a suo tempo, se sarà il caso.

Le possiamo dare l'assicurazione che l'interesse per il futuro Concilio è grande e favorevole è stata l'eco che la notizia ha suscitato nel nostro paese, ciò che merita di essere sottolineato in considerazione che buona parte degli abitanti è di religione protestante.

In unione con il Santo Padre preghiamo ardentemente invocando la grazia di Dio per i lavori preparatori e per il buon esito del prossimo Concilio.

Voglia gradire, Eminentissimo Principe, ancora una volta l'espressione della nostra gratitudine e l'assicurazione della nostra alta stima.

Di Vostra Eminenza

devotissimi e obbligatissimi

✠ CRISTIANO CAMINADA
Vescovo di Coira

✠ GIOVANNI VONDERACH
Vescovo titolare di Aradi
e coadiutore di Coira c. i. s.

I. *Dogma*

1. *Chiesa.* L'idea generale della Chiesa dovrebbe venir allargata, nel senso che si dovrebbe continuare il tema del Vaticano intorno alla dottrina dogmatica della Chiesa e in relazione alla dottrina del Corpo mistico di Cristo.

2. *Primato.* La dottrina del Primato del Romano Pontefice dovrebbe venir integrata in una ecclesiologia universale.

3. *Episcopato.* Coi due punti precedenti si collega la formulazione dell'importanza dell'Episcopato e la sua relazione nei confronti del Primato.

4. *Laici.* Le questioni sulla posizione e importanza dei laici nella Chiesa, oggi tanto discusse, dovrebbero in tale connesso venir prese in considerazione.

5. *Simbolo.* Si dovrebbe trovare una nuova e breve formula del Simbolo adattata alla concezione di oggi, formula che potrebbe essere adottata più facilmente nelle funzioni pubbliche, in occasione della presa di possesso di uffici e nelle conversioni.

II. *Liturgia*

1. *Santa Messa.* Nello sviluppo della rinnovazione liturgica si dovrà accuratamente provvedere, affinchè le prescrizioni liturgiche riguardanti la Santa Messa vengano osservate ovunque, affinchè proprio nella celebrazione appaia l'unità della Chiesa. Ciò premesso nella nuova stesura delle prescrizioni liturgiche si dovrebbero abolire i doppioni attualmente esistenti come per es. nella distribuzione della comunione ai fedeli e nelle lezioni nella Messa pontificale.

E ci sia permesso di rendere attenti sull'importanza della eventuale facoltà di leggere i testi della Messa dei catecumeni nella lingua volgare, ciò che è già stato trattato ampiamente al congresso liturgico di Assisi. E più volte è poi stato espresso il desiderio che venga permessa la concelebrazione sacramentale oltrechè in occasione della consacrazione sacerdotale anche in altre occasioni speciali, che dovrebbero però venir ben definite.

2. *Santi Sacramenti.* E vivo desiderio che la lingua volgare trovi maggior posto nei rituali e ciò per miglior comprensione per i fedeli. Così un desiderio che è stato espresso per il Sacramento della Penitenza è questo: che il sacerdote possa pronunciare le preghiere nella lingua volgare, all'infuori della formula sacramentale vera e propria.

Parimenti i sacerdoti in cura d'anime desiderano una abbreviazione e

semplificazione delle preghiere che accompagnano l'assoluzione. E in particolare vorremmo rendere attenti all'amministrazione della Santa Cresima agli ammalati gravi, con la preghiera che le facoltà attuali vengano concesse anche ad altri sacerdoti, oltrechè al parroco, e ciò indipendentemente dalla presenza in loco o meno di un vescovo. Le condizioni sono già ristrette dalla grave malattia del soggetto e in più facoltà maggiori servirebbero a far scomparire varie difficoltà.

3. *Consacrazioni e cerimonie.* La semplificazione a cui tende il rinnovellamento liturgico e la maggior partecipazione del popolo alla liturgia fanno sorgere un postulato anche nei riguardi del pontificale e di altre norme previste per consacrazioni e cerimonie varie. Si dovrebbe esaminare se non sia possibile anche nell'ordinazione dei diaconi e sacerdoti di tenere il discorso di rito in lingua volgare, affinchè anche i fedeli lo comprendano. Lo stesso si dica per testi analoghi in occasione di consacrazioni di chiese, altari, campane e benedizioni di cimiteri. Con una buona scelta dei testi queste cerimonie potrebbero guadagnare molto presso il popolo. Una semplificazione che si adatti alla mentalità di oggi è desiderabile specie in occasione di consacrazioni di chiese ecc.

Inoltre vorremmo ancora osservare che nell'innovazione si dovrebbe far posto anche al rito per la processione del Corpus Domini, che dotato di testi adatti e in lingua volgare, potrebbe svolgere il suo compito in modo più solenne di quanto avvenga oggi. Infine per il rituale si è chiesto che venga introdotto un rito per la sepoltura di bambini non battezzati di genitori cattolici.

4. *Messale e breviario.* Per quanto concerne la riforma del breviario è stato inoltrato un postulato con i singoli punti alla Sacra Congregazione dei Riti, già nel 1956. Sia permesso richiamare l'attenzione nel senso che i testi liturgici fra messale e breviario dovrebbero essere concordati.

Dato poi che si tende da molti ad ottenere una recita del breviario in lingua volgare, si dovrebbe espressamente rinnovare l'obbligo per il breviario in lingua latina.

5. *Tempi liturgici.* Ci permettiamo di far presente un suggerimento che ci è stato presentato, anche se crediamo che il trattarlo non sarà possibile durante il Concilio. La data della Pasqua ad una data fissa, per es. seconda domenica di aprile, invece che nel periodo come finora dal 22 marzo al 25 aprile, servirebbe a semplificare l'oscillazione di tutte le feste mobili. Inoltre è stato chiesto che sia prevista in forma più breve una seconda benedizione dell'acqua battesimale per es. in autunno in giorno festivo o domenicale da stabilire, dato che la conservazione dell'acqua battesimale a lunga scadenza soffre dell'influsso climatico.

III. *Disciplina*

1. *Diritto canonico.* Una revisione del *C.I.C.* dovrebbe apportare varie semplificazioni. Si dovrà tenere conto di una terminologia più conseguente e l'introduzione delle norme legali rilasciate dopo l'ultima revisione del *C.I.C.* Una semplificazione e un adattamento ai giorni nostri sarebbero desiderabili per le norme penali e per il diritto processuale, e qui si dovrebbe studiare se e come si possa creare un'istanza centrale per certi paesi in merito alla complicata materia nei processi matrimoniali. In oltre si dovrebbe ridurre e semplificare il giuramento. Il privilegium fori e le norme sulla sepoltura richiamano pure una revisione. Una nuova redazione del diritto dei religiosi con riferimento agli istituti secolari e infine l'introduzione di un così detto diritto dei laici potrebbero essere utili e contribuire molto a chiarificare le idee.

2. *Indice.* Ci sia permesso di richiamare l'attenzione su questo tema che è già stato sollevato di sovente e in vari paesi. Una revisione della prassi per l'indizione dei libri dovrebbe prevedere un interrogatorio dell'autore prima della condanna e gli si dovrebbe dar possibilità di conoscere i motivi per il provvedimento che vien preso. Dall'elenco dei libri proibiti si dovranno scartare quelli che non hanno più ragione di essere proibiti e le ammonizioni e divieti dovranno essere adattati ai tempi come si è fatto necessariamente per gli uffici regionali del film. E i vescovi dovrebbero avere su questo punto maggiori competenze. Negli ultimi anni la prassi seguita nella proibizione dei libri ha condotto a conflitti difficilmente solvibili ed ha creato malumori e danni.

3. *Indulgenze.* Una revisione fondamentale della prassi delle indulgenze, una semplificazione del catalogo e l'indicazione dei giorni d'indulgenza sono da studiare.

4. *Problemi della diaspora.* In seguito alla sempre crescente fluttuazione dei diversi ceti della popolazione si presentano in un paese a confessioni miste i disparati problemi della diaspora. E stato espresso il desiderio che si trovi una nuova formula per le conversioni e un nuovo rito per la celebrazione dei matrimoni misti. Con opportuni accorgimenti rituali si può esercitare un importante influsso positivo sul coniuge non cattolico, come anche sugli altri acattolici che assistono al rito. E in paesi confessionalmente misti su larga scala ciò è importante. Sarebbe anche da studiare la questione come si possa rendere più facile ad intere comunità protestanti e ai loro ministri il passaggio al cattolicesimo, e per i ministri l'eventuale via per avviarli al sacerdozio cattolico.

In particolare per l'aiuto nella diaspora viene discussa ultima-

mente la questione del diaconato come funzione a sè e non solo come gradino al sacerdozio. Il problema dei rifugiati e le loro condizioni hanno posto in uno stadio di attualità anche la questione della simultaneità delle chiese (templi) per le diverse confessioni. Di fatto in vari paesi sono state scelte vie diverse.

IV. *Amministrazione*

1. *Le Sacre Congregazioni.* Per il Sacro Collegio, per le Sacre Congregazioni e per le rappresentanze della Santa Sede è desiderata una internazionalizzazione, del resto già iniziata. Prima di prendere decisioni e rilasciare delle norme sarebbe bene se le Sacre Congregazioni orientassero i vescovi interessati e ne sentissero il loro parere, dando possibilità di prendere posizione sui singoli problemi.

La corrispondenza con la Curia Romana e con gli uffici amministrativi dovrebbe poter avvenire oltrechè in latino, anche in tutte le lingue europee, compreso il tedesco.

Decisioni importanti, come per es. ultimamente le decisioni riguardanti la settimana santa e il digiuno eucaristico, dovrebbero prima di venir pubblicate sulla stampa, essere comunicate agli Ordinari, affinchè questi possano preparare le norme opportune. Anche fra le rappresentanze diplomatiche della Santa Sede si dovrebbe tener conto della lingua officiale del paese.

2. *Facoltà ai vescovi.* E stato espresso il desiderio che le facoltà dei vescovi vengano allargate in via ordinaria, ciò che finora avveniva in parte attraverso le facoltà quinquennali. Le maggiori facoltà concesse all'Ordinario nel rimuovere i parroci sarebbero in vari casi provvidenziali. Infine sarebbe da studiare come trovare la via per aiutare sacerdoti che hanno fatto naufragio e che fare per sacerdoti che senza dispensa hanno abbandonato il loro stato (Breviario per es.).

3. *Arte moderna.* Diventa sempre più difficile dare norme precise che tengano conto dell'arte moderna, dello scopo religioso e dei vari ceti di persone. Ciò vale per l'architettura, scultura, lavori di orefice aventi relazione con la liturgia e per i paramenti. Sarebbe da vedere fin dove si può venire in aiuto, senza per altro diventare pedanti.

5. *Ecumene.* Il contatto con comunità cristiane non cattoliche va tenuto presente, pensiamo ai protestanti ed ortodossi. Una questione particolare che si presenta oggi con il problema dei rifugiati è il caso dell'amministrazione dei santi sacramenti ad ortodossi in caso di necessità. E infine non si possono dimenticare le relazioni con i giudei.

Eminentissimo Principe: Come abbiamo creduto di poter rilevare

dalla Sua lettera ci siamo permessi di esporre qui vari punti e desideri per l'inoltro alla commissione antipreparatoria del Concilio.

I punti toccati si incrociano qualche volta, di modo che non sempre sono stati ordinati secondo i titoli. E in questa lettera non abbiamo esposto *in extenso* i singoli punti e abbiamo rinunciato alla documentazione. Ciò si potrà fare per i singoli punti che venissero in considerazione. Come da accenno di Vostra Eminenza, abbiamo in modo discreto sentito il parere e giudizio di esperti teologi e di provetti pastori di anime.

Sottoponiamo il tutto alla commissione che ha in mano proposte e suggerimenti da tutto il mondo cattolico. Secondo il desiderio del Santo Padre preghiamo invocando l'aiuto di Dio per il lavoro preparatorio del Concilio, affinchè possa essere condotto a buon termine e preghiamo affinchè lo Spirito Santo per mezzo del prossimo Concilio voglia rafforzare nella Chiesa la fede, l'unità e la pace e affinchè i popoli e tutta l'umanità ascoltino sempre più gli inviti del Santo Padre e della Chiesa.

Ci è grata l'occasione per assicurare Vostra Eminenza che preghiamo anche per Lei e invochiamo copiosa benedizione sul lavoro che Lei svolge e ci professiamo devotissimi.

✠ CRISTIANO CAMINADA
Vescovo di Coira

✠ GIOVANNI VONDERACH
Vescovo tit. di Aradi e Coadiutore c. s. di Coira

3

EXC.MI P. D. FRANCISCI CHARRIERE
Episcopi Lausannensis, Genevensis et Friburgensis
(Lausanne, Genève e Fribourg)

Fribourg, le 2 mars 1960

Eminentissime Seigneur,

Je vous envoie sous pli séparé, hélas avec un grand retard, le rapport que vous m'avez demandé ainsi qu'à mes vénérés Confrères, en vue du prochain Concile Oecuménique. Il avait été convenu, sur la proposition de Son Excellence Monseigneur le Nonce Apostolique, qu'une rencontre ait lieu entre Evêques suisses, pour mettre au point ce qui nous paraissait devoir être présenté à la Commission préparatoire. Cette

réunion n'a pas pu avoir lieu et c'est pourquoi, d'entente avec Son Excellence Monseigneur Jelmini, notre Doyen, je vous envoie à part mon rapport. Comme je suis déjà bien en retard, je vous envoie d'abord mon texte en français, avec les annexes qu'il comporte, et cela par l'intermédiaire de la Nonciature Apostolique. Dès que la traduction latine sera achevée, le rapport en latin vous sera envoyé également, cela bien sûr encore avant Pâques.

Je me suis efforcé d'indiquer dans mon rapport les principales questions qui me paraissent importantes en me plaçant dans le milieu où la Providence m'a fait vivre. Ce sont, pour la plupart, des questions d'ordre tout à fait général, mais il y en a qui concernent plus spécialement nos pays mixtes. Je demeure à la disposition de Votre Eminence pour les renseignements supplémentaires qu'Elle me ferait l'honneur, éventuellement, de me demander.

Daignez agréer, Eminentissime Seigneur, les hommages profondément respectueux avec lesquels j'ai l'honneur d'être

de Votre Eminence
le très humble et dévoué serviteur
✠ François Charriere

Toti orbi christiano persuasum est S. S. Papam Ioannem XXIII, afflante Sancto Spiritu statuisse, ut hisce in temporum adiunctis Concilium Oecumenicum convocetur. Neminem fugit ob mundi hodie tam perturbati rapidum cursum in omnibus vitae religiosae, socialis, politicae partibus quaestiones summi momenti praestare, quae accuratae, late informatae, in principiis christianis fundatae examinationis indigent. Res ita stant — sit venia collationi — sicuti veris tempore, cum sub impulsu vitae novae omnia moventur et, ne damnum capiant, sollicite colenda sunt. Mentes et corda hodie plus quam in aliis adiunctis indigent directivis novis, ne labantur in novum paganismum multum perniciosiorem illo, contra quem apostolis luctamen fuit. Ii quidem veritatem praedicabant gentibus sensu religioso non carentibus immo superstitiosis iuxta S. Pauli ad Athenienses verbis.

Nobis commissi sunt innumeri homines, qui sensum religiosum amiserunt et nihilominus a nobis expectant lucem et sublevamen, cum sentiant verum vitae sensum sibi deesse. A nobis exspectant adiumenta, ut e desperationis et defectionis miserabili statu surgere valeant.

Oecumenicum Concilium Ecclesiae dat occasionem statuendi omnia, ut devitentur et vagus opportunismus depositum Revelationis infirmans

et rigorismus nimis strictus, quo Ecclesia in tam rapido mundi cursu de die in diem plus exsularetur eiusque missio salvifica minus cognosceretur. Certe via media difficulter statuitur. Attamen Sede apostolica duce et Spiritu Sancto afflante Episcopi in Concilio adunati mutua deliberatione clare videbunt ea, quae in usibus et in disciplina ecclesiastica sint conservanda, quae modificanda et adaptanda.

Ut opportunius progrediamur, prius adorimur problemata generalia, secundo loco specialia quaedam, iuxta dispositionem Codicis iuris canonici.

Problemata generalia

Concilium Oecumenicum adunatur *sub signo pacis,* primum pacis religiosae ad christianos nomine insignitos inter se reconciliandos, deinde pacis inter ipsos et aliis religionibus adhaerentes. Pacis etiam inter nationes tam fervide desideratae et non statutae. Pacis denique socialis inter ordines hominum cuiuscumque nationis.

Pax religiosa. S. S. Papa Ioannes XXIII hunc finem futuro Concilio expressis verbis proponit. Est quidem problema inter omnia nostri temporis eminens et urgens, cum nec pax domestica nec pax inter hominum ordines uniuscuiusque nationis firmari possit, si deest pax religiosa. Discessio religiosa paulatim ducit ad indifferentismum, qui indifferentismus causat materialismum. Materialismus autem divortii peste dissolvit familiam et omnem societatem, quae coelum obliviscentes paradisum in hoc mundo sibi constituere conarentur.

Pax inter nationes difficile statuitur, quia, ii, qui non sunt catholici nominis diffidentia contra influxum Ecclesiae afficiuntur. « Nolumus, proclamant, Europam vaticanam ». Et non incolentes Europam eiusdem sunt mentis. Maior pars civium Statuum Unitorum Americae non applauderet praesidem catholicum etc.

Pax religiosa supponit reconciliationem christianorum inter se. Ob dissensiones inter christianos religio christiana inter alios non progreditur. Multis in Deum credentibus sed non christianis nostra religio videtur esse flumen fatigatum, formans, uti dicunt « delta » quoddam, cum in Oceanum fluere conatur. Quae opinio certe falsa est. Attamen negare non possumus pro magna parte non christianorum res ita se habere.

A. *De reconciliatione christianorum inter se*

a) *Principia generalia.* Vera reconciliatio fieri nequit, si altera pars reconciliandorum alteram prosternere conatur, nec, si veritas obnubilatur et infringitur, ut inter doctrinas essentialiter divergentes commu-

nis denominatio statuatur, quia talis denominatio communis esset veritatis deformatio. Ambo ista extrema evitanda sunt. Nullo modo nobis licet a deposito revelato unum iota aut unum apicem prodere. Quod fides vera et integra postulat, omnino tenendum est. Attamen vera fides in se semper eadem et immutabilis non est exaequanda suis aspectibus accidentalibus nec suis diversis formis praesentationis, Ecclesiae munus est veritates fidei hominibus loco et tempore diversis annuntiare, quamobrem christifideles magisterio Ecclesiae aures praebent. Quae quidem submissio et fiducia non impedit, quin quisque fidelis reverenter et animo filiali legitimos superiores informet de iis, quae sibi apta et necessaria videntur, ut veritas immutabilis ab auditoribus melius capiatur et ab omni confusione praeservetur. Iis dictis nos accommodantes exponimus sequentes duas quaestiones particulares:

b) *Quaestiones particulares.* Liceatne in expositione doctrinae christianae formulis uti incompletis et implicitis, ne offendamus aures eorum, qui nobis non sunt consentientes? Non desunt inter nos qui, ut talem procedendi modum iustificent, verba et facta Divini Salvatoris afferunt dicentes: Dominus noster nos admonet, ne extinguamus linum fumantem, ne confringamus arudinem quassatam (*Matt.* 12, 20). Ait dominus servis: « Sinite zizania et bonum semen crescere usque ad messem, ne forte colligentes zizaniam eradicetis simul cum eis et triticum » (*Matt.* 13, 29). Christus patiens est erga discipulos. In ultimo ante passionem sermone dicit: « Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem »... Ergo Christus patientiae plenus gradatim discipulos inducit in veritates captu difficiliores. Nonne et nos ita semper procedere debemus? Respondemus: « Utique patientia utamur, quia primus caritatis fructus est. Caritas patiens est, benigna est », dicit Apostolus. Est autem caritas et perspicax non caeca, quod ulterius dicemus. Quod autem formulas implicitas attinet, distinctio facienda est:

*) Iis, qui in veritatibus fidei non sunt instructi sed ad eas cognoscendas bene dispositi, ea, quae catholicos et christianos dissidentes dividunt, gradatim exponantur. Nam expositio nimis propera ipsorum bonam dispositionem defatigaret. Quod valet de omni contactu cum asseclis omnium religionum non christianarum.

**) Eos autem, qui nostram doctrinam bene noscunt formulae implicitae propositionum, in quibus ab ipsis differimus, in stuporem inducerent. Quidam acatholicus bene excultus et in confessione protestantium optime versatus, referens se ad litteras pastorales, in quibus accuratissime exposueram nostram doctrinam catholicam, mihi dixit: « Optime

novimus, res se habere sicut vestrae litterae pastorales docent. At cum sacerdos catholicus veritatem clare et firmiter proponere non audet, obstupesco, cur utatur formulis implicitis. Et talis obnubilatio veritatis et restrictio me perturbat ». Certe modus est servandus etiam in aperta affirmatione earum propositionum, in quibus ab aliis differimus. Omnia in caritate et sine indebita offensione exponantur. Attamen iterum affirmamus: in disputationibus cum iis, qui in nostra doctrina sunt instructi, formulis implicitis uti, vertitur in finem contrarium. Nam talis procedendi modus ex una parte nostros fideles catholicos commovet, cum putarent ea, quae nos a non catholicis separant, non esse magni momenti, quod ipsos impedit, quin veritates fidei semper melius addiscant. Ex altera parte non catholici attoniti mirantur, cur nos non audeamus id, quod verum esse tenemus, aperte profiteri. Et id accidit saepius quam nos opinamur.

Ex dictis sequitur formulas implicitas opportune et prudenter adhibitas locum habere cum ignaris, esse e contra periculosas in colloquiis cum bene de his instructis, qui nos ab ipsis separant. Nobis omnibus persuasum est ipsos non esse offendendos, sed vera caritate et intellectu large aperto tractandos. Eos offenderemus plus quam putamus, si explicationem sinceram et necessariam etsi passim dolorosam fugeremus. Prudentia vera caritate inspirata excessus evitare docebit.

B) *Problema de tolerantia erga cultus religiosos dissidentes in natione maiore ex parte catholicae religionis*

Hic tangimus quaestionem crucialem. Non raro acatholici nos mentis machiavelicae accusant. Dicunt, nos in regionibus, ubi minor populi pars sumus, pro nostro cultu religioso et pro scholis libertatem postulare, eamdem vero libertatem aliis cultibus religiosis denegare, ubi numero plures sumus et auctoritate in re publica praestamus. Qui eius sunt sententiae — et sunt multi — nutriunt in animo diffidentiam quasi indelebilem contra nos. Quare ea in re illa duo extrema evitanda sunt.

1. Reiicimus opportunismum machiavelicum, iuxta quem acatholicis libertatem solum concederemus, quia in praesentibus adiunctis desunt nobis facultates cultus acatholicos comprimendi vel exstirpandi. Contra talem opinionem e contra tenemus, in natione, ubi catholici numero praestant, nos acatholicum cultum non ex puro opportunismo tolerare, sed quia bonum commune societatis civilis (seu status) id postulat. Summi momenti ea sententia est. Opportunismus machiavelicus est excessus e mentibus tollendus.

Sed est alius excessus non minus perniciosus, is quidem, qui tenet: in societate civili, in qua magistratus christianae religionis numero maiores sunt et hanc ob rem de rebus publicis statuunt, nihil faciendum est contra falsae religionis quamcumque propagationem. Minime consentimus, sed firmiter tenemus, rei publicae potestatem requiri posse et magistratus eam potestatem exercentes conscientiae obligatione adstrictos esse fidem in periculum ductam tueri. Exempli gratia, quando acatholici non satis habent suas asseclas docere vel sine proselytismo opinionem publicam de suis doctrinis informare, sed e contra calumniantur Ecclesiam et falsas de ea disseminant criminationes, tunc magistratibus catholicis tacere non liceat nec admitti potest, ipsis contra detractores et caluminiatores non esse interveniendum. Distinctio facienda est inter explanationem serenam et pacificam alicuius doctrinae et propagationem effrenatam, ferocem, calumniosam, fallere conantem animas simplices, de Ecclesia et fide catholica recte sapientes. In nostris societatibus civilibus, diversorum cultuum religiosorum sectatores complectentibus, constitutiones rei publicae admittunt libertatem religiosam, sed semper cum moderamine: intra limites ordinis publici et morum bonorum. Eos limites et nos servare et tenere debemus. Id affirmandum est contra eos inter nos, qui falso idealismo obcaecati putant, nostris temporibus, cum differant a medio aevo, Ecclesiae non solum nunquam licere coërcitione uti, sed nullo modo tolerari posse, quod publica potestas christiana coërcitionem adhibeat ad fidem tuendam. Libertas religiosa illimitata nullibi, ne in constitutionibus liberalissimis existit.

1. *Pax internationalis.* De pace inter nationes multa dicenda sunt. Nos hic solummodo duo extrema contraria consideranda proponimus. Christianorum est, se impendere, ut immoderata armorum praeparatio minuatur. Non solum sic dictis pacifistis communismo atheo faventibus et consimilibus relinquendum est studium pacis inter nationes statuendae. Saepius nobis crimini datur, Ecclesiam tormenta bellica benedicere. Id refutandum est clara propositione nostrae verae mentis hac de re, Nos appetimus pacem non bellum. Optamus et indefesso zelo laboramus, ut impensae pro armis minuantur. At esset excessus contrarius et pariter repellendus, si pacifismo inconsiderato et — s. v. v. — « exarmationi » unilaterali faveremus. Unilateralis exarmatio est error fallax et amens. Et decipit etiam catholicos, cum inconsulte afferunt quaedam S. S. Papae Pii XII verba et alios eiusdem Summi Pontificis de eodem problemate sermones tacent. Citant ea, quae dixit praeclare de armis atomicis, tacent, quae declaravit, cum exercitus Russiae invadebant Hungariam. Excessus de exarmatione unilaterali conducit ad iustificationem

sic dictae « obiectionis conscientiae », quae supremae auctoritati civili denegat ius imponendis civibus militiam.

2. *Pax socialis.* Non est necesse multum insistere in eminentium praesidum catholicorum mentis mutationem, quam causavit evolutio ultimorum viginti annorum. Clare apparet ex problemate centrali de dominio vel de proprietate privata. De isto dominio semper docuerunt et docent haec duo principia: Dominii privati limites et dominium privatum in se. Ante ultimos viginti annos docentes late exponebant ius in dominium privatum, de eius limitibus vero breviter tractabant. Hodie vero contrariam viam sequuntur, tamquam haesitanter asserentes ius in dominium privatum. Sicut in aliis et in his excessus vitandi sunt.

Esset excessus gravis, si limites iuris in dominium privatum in oblivionem caderent. Attamen non desunt, qui in talem excessum aberrant, cum non clare intelligunt iura, quae competunt rei publicae christianae plus quam aliis has limites imponendi. Talis error nascitur ex falsa cognitione relationum inter iustitiam et caritatem. Inest insuper falsa notio veritatis essentialis, nempe veritatis de primatu familiae. Doctrina christiana, docet primatum familiae respectu societatis civilis seu Status. Sed cum de eo primatu sermo est, agitur de omnibus familiis, inclusive de miserabilissimis. Et cum societas civilis tueri debeat familiam, ipsi societati incumbit impedire, ne familia quaedam ditissima amplificet sine limite suas opes, quia id verteretur in detrimentum familiarum pauperum; imprimis familiarum miserabilium. Existit primatus familiae, quando agitur de omnibus familiis, non de solis divitibus et privilegiatis. Ut omnes familiae honeste vivere valeant, societas civilis ius habet limitandi possibilitates earum, quae abuterentur opibus. Attamen et hoc notare debemus: si societas civilis vel Status vellet omnia regere et sine discrimine in omnes societatum institutiones se ingerere, ipso facto impediret omnem expansionem et omnem veram libertatem socialem. Vera libertas comportat ancipes aleas. Qui securitatem in omni gradu statuere vult, in omnem conventum et in omne genus activitatis humanae sese ingerere, necessario ducitur ad determinismum socialem semper plus arctum, quod esset retrogredi ad iniustam servitutem. Libertas illimitata et sine alea non est in terra. Iusta media via his in problematibus difficile tenetur, quamquam existit et tenenda est inter communismum et liberalismum. Absoluta securitas in ordine materiali importat laborem vi impositum.

Considerationes particulares

In sequentibus adunamus quasdam de disciplina ecclesiastica considerationes, quas iuxta ordinem Codicis iuris canonici exponimus.

Caput I. *Normae generales*

Sancta Sedes hodierna, rapida communicationum evolutione inter omnes orbis partes, contactum personalem cum fidelibus dissitissimarum regionum habet. Ex omnibus terrae regionibus litterae breviter et secure Romam perveniunt. Hanc ob rem saepius quaeritur interventus Sanctae Sedis etiam in rebus parvi momenti. Roma directe attingit omnes quoscumque fideles. Facilitas directae communicationis in se bona est, cum Summus Pontifex iurisdictionem directam et immediatam in omnes habeat. Sanctae Sedi essentialiter competit invigilare orthodoxiae, episcopis, sacerdotibus, fidelibus. Vigilantia hodie plus quam olim necessaria est. Opiniones et doctrinae extravagantes agitantur et etiam aures fidelium bonae voluntatis et mentis attingunt. Si Sancta Sedes non vigilaret, errores perniciosi magnum damnum afferrent. Ne ultra insistamus, licet exempli gratia in memoriam revocare et sic dictae Reformationi protestantium et Revolutioni gallicae longo annorum decursu incuriam doctrinalem viam planasse. Paulatim et lento sed continuo progressu magnae perturbationes maturescunt. Neminem fugit etiam hodie non paucorum mentes a via recta declinare, non paucorum voluntates torpescere. Quamobrem oportet Sanctam Sedem vigilare, vim et virtutem mentium stimulare, recta principia alto pronuntiare, universae Ecclesiae praesentem esse.

Quae tamen indispensabilis omnipraesentia ne diminuat, sed in quantum fieri potest, confirmet actionem Episcoporum. Valde Sanctae Sedi interest simul et universae Ecclesiae, Episcoporum actionem non esse nimis coactam, ne dubitent, an talis vel alius recursus, quem utilem vel necessarium existimant, a dicasteriis romanis male iudicetur. Equidem dubitatione fieri potest, ut Episcopus remittat certos recursus in se utiles et necessarios, cum timeat, ne desavuetur. Plena et filialis confidentia minuitur, etsi desavuatio non in publicum prodit. Sanctae Sedi non prodessent Episcopi, qui paulatim inducerentur in mentem servilem, fugientes suo periculo agere, ubi necesse est, quia tunc Papa sua facere cogeretur verba paralytici: « Hominem non habeo ». Summi ergo momenti est, Episcopos se sentire auditos et confirmatos. Certe omnes conveniunt de necessaria invigilantia Sanctae Sedis, dicasteriis commissa. Sit tamen talis, ut non paralysim quamdam inducat. Et eis in rebus recta

via ducit inter nimiam incuriam et meticulosam severitatem. Ambo excessus sicuti Sanctae Sedi in Episcopos, ita Episcopis in subalternos adiutores evitandi sunt.

Eam mediam quaerentes viam sequentia notamus:

a) Ne leges generales pro universa Ecclesia latae modum applicationis in minimis nimis urgeant, quia usum diversarum regionum est ratio tenenda. Conveniret constitutionibus synodalibus, Sancta Sede invigilante, latius spatium concedere. Codex iuris canonici recte interpretatus, continet varias adaptandi possibilitates, quibus multum praestat antecedenti periodo.

b) Nobis videtur optabile, ut in nova codicis revisione amplietur Episcopi auctoritas quoad dispensationes concedendas, exempli gratia in iis, quae sunt de invigilantia domorum religiosarum. Nonnumquam Romam recurrendum est ad dispensationes obtinendas. Quod nimis onerat Congregationem Religiosorum et retardat responsa. Utile videtur allevare modum hodie vigentem.

Caput II. *De Personis*

Nonnisi paucas questiones inter innumeras in hac relatione tangimus.

1. *De caelibatu ecclesiastico.* Nobis persuasum est Sanctam Sedem non cessuram esse conatui quorundam, qui sub fallaci praetextu legem caelibatus non esse iuris divini sed ecclesiastici, optant, ut aboleatur. Allegant casus deplorabiles, qui ipsorum causae favere videntur. Attamen nonne etiam accederent vel essentne pauciores, si lex non amplius obligaret? Nobis videtur, lege abrogata, alias miserias nascituras esse, eae, quae accidunt alibi, ubi lex caelibatus non obligat. Hodie nonnulli protestanticae confessionis nobis caelibatum per tot saecula vigentem et nunc sicuti semper a longe plurimis sacerdotibus fideliter servatum invident, immo apud se introducere conantur. Rebus sic stantibus minime convenit obligationem, quae est Ecclesiae decus, abrogare vel mitigare.

2. *Codificatio Actionis catholicae.* Sunt adhaerentes Actioni catholicae, qui optant, ut Codex iuris tractet uberius de consociationibus apostolatus laicorum. Postulatum videtur nobis fundatum. Satis esset, si caput Codicis, quod est « de laicis », novis rerum adiunctis adaptaretur.

Postulant etiam, ut assistentes ecclesiastici Actionis catholicae non sint ad nutum Episcopi, sed stabilitate parochorum gaudeant. Id postulatum nobis periculorum non expers videtur. Cum isti assistentes ecclesiastici sint ministerio Episcopi propius coniuncti, debent manere

ad nutum Episcopi, ad instar aliorum sacerdotum similiter propius coniunctorum, uti vicarii generales, rectores Seminariorum, etc. Constat equidem, Episcopos in quantum possunt frequenter et volenter uti concursu adiutorum sibi ministerio intimius coniunctorum. Iure hodie vigente assistens ecclesiasticus Actionis catholicae gaudet sufficiente libertate ac securitate suum ministerium adimplendi, ut non necesse sit eum firmare ea stabilitate, qua solummodo processu canonico amoveri posset. Insuper contra abusum auctoritatis Episcopi semper patet recursus ad Sanctam Sedem.

Caput III. *De rebus*

A. *De sacramentis.*

a) *De sacramento Confirmationis.* Optamus, ut facultas confirmandi in periculo mortis latius concedatur, et ut parochus delegare possit vicarios coöperatores. Crescit feliciter numerus fidelium, qui pro infantibus in periculo mortis hoc sacramentum petunt. Non semper adest parochus vel Episcopus, adest autem vicarius. Fideles mirantur, quod vicarius caret facultate, cum huius sacramenti administratio ab Ecclesia valde commendetur. Est ergo ratio iusta facultatem administrandi confirmationis sacramentum latius extendendi.

b) *De Eucharistia.* Nobis videtur ea, quae de ieiunio eucharistico nunc stabilita sunt, esse integre servanda. Attamen velimus, ut sacerdotes missam celebrantes regimen pro fidelibus statutum sequi possint quoad unam vel tres horas ieiunii ante communionem, id est: ut et sacerdos celebrans missam, tempus computet usque ad sumptionem eucharistiae, non autem usque ad initium missae. Concedimus rem non esse magni momenti.

c) *De matrimonio.* De eo sacramento multa essent dicenda. Respectu iuris antecedentis Codex novus magnum progressum constituit. Nihilominus multa pressius determinanda manent, quod ad matrimonia mixta attinet, urgenda est obligatio habendi certitudinem moralem vere fundatam de conditionibus a nupturientibus post matrimonium observandis. In celebratione matrimonii mixti nonnumquam difficile est missae celebrationem negare. Observamus stricte, quae statuta sunt, sed non ignoramus quosdam sacerdotes fraudem facere statutis. Accidit quidem, ut in adiunctis particularibus negatio missae augeat opiniones praeiudicatas et aversiones acatholicorum erga nos. Fieri potest, ob negationem missae in celebratione matrimonii non teneantur promissa quoad educationem catholicam prolis. Nonne arbitrio Ordinariorum commitendum est, quid in casu particulari observandum sit?

B. *De liturgia.*

a) Et in liturgicis apparet convenire, ut Episcopis maior facultas determinandi singula et minuta augeatur et concedatur. Ita in nostra dioecesi fideles quaedam recenter in liturgia innovata non libenter acceperunt. Ita, ut exemplum afferamus, fideles nostri, qui missae lingua latina celebratae adsuefacti sunt, praeferunt servare, quod traditionis est. Pars longe maior nostrorum fidelium missae sacrificio assistentium missali liturgico utitur. Lingua latina eis non solummodo nullum incommodum creat, sed e contrario contenti sunt communem devotionem et cultum communi lingua celebrare, cum iis, a quibus vernaculo sermone differunt. Et valde consolantur, cum in regionem diversi sermonis demigrati, communi liturgiae participant. In regionibus sermonum popularium diversorum, sicuti constat in Helvetia, inopportunum videtur nimis innovare in liturgicis. Aliter res se habent, ubi vera fides catholica mortua vel nondum propagata est. Ibi enim necesse, non solum utile est mysteria christiana captui audientium adaptato modo et sermone proponere. Sede Sancta invigilante, sit in liturgicis larga libertas concessa.

b) Caeremoniae pro consecratione ecclesiarum statutae multo abbreviatae nostro tempori melius convenirent. Supprimenda nobis videntur quaedam repetita eo fine, ut partes maioris momenti melius appareant et fidelibus prosint.

Caput IV. *De processibus*

Optabile nobis videtur, ut in parte Codicis iuris, quae est de processibus beatificationis et canonisationis, nonnulla simplificentur, altera vero scripto et praeceptis explicitis specificentur. Uti nunc res se habent, in multis necesse est se referre ad consuetudinem paucis initiatis solum notam. Quae Codex continet, non sufficiunt. Ideo errores postea multo fastigio corrigendi subrepunt. Iuvaret habere statuta scripta plus explicita et nihilominus non complicata.

Caput V. *De poenis*

Praesertim iste liber Codicis est multum simplificandus. Quae de poenis statuit, se referunt ad conditiones sociales et politicas aevi nunc elapsi. Non expedit poenas statuere, quae ob mutatas conditiones vitae hominum effectum non habent, cum Ecclesiae media exsecutionis desint. Interveniat rarius, ut, cum intervenire necesse est, reverenter audiatur. Quae in Codice de administratione statuta sunt, permittunt casus ita

solvere, ut applicatio poenarum canonicarum superflua eveniat et non recurrendum sit ad processum. Quedam vero simplificari et necessaria clarius relevari, omnes iuvabit.

Conclusio

Multae modificationes in decursu praeparationis Concilii opportunae apparebunt. Non dubitamus, quin et Summus Pontifex et ii, quibus res commissae sunt, omnia bene disponent.

Valde commendamus sacerdotibus et fidelibus nostrae dioecesis, ut fervidas fundant preces pro felici successu Concilii novi et maximi momenti. Multum conferet ad pacem in omnibus firmandam ac Ecclesiam adiuvabit ad animas fidelium luce veritatis illuminandas et ad Deum, primum principium et finem ultimum, per Cristum Dominum Virgine immaculta intercedente sublevandas.

Friburgi Helvetiarum. Feria V in Caena Domini, 14 aprilis 1960.

✠ Franciscus Charrière
Episcopus Lausannensis, Genevensis et Friburgensis

4

Exc.mi P. D. IOSEPHI HASLER

Episcopi S. Galli (Sankt Gallen)

Ad Sanctum Gallum, die 30 ian. 1960

Eminentissime Domine,

Imprimis indulgeas quaeso, quia nimis protrahebatur responsum Tuis Litteris (Prot. Nr. 1 C/59-1192) de die 18 iunii anni elapsi debitum. Causa retardationis in hoc consistit, quia provisum erat, omnes Helvetiae episcopos simul unanimiter per modum unius respondere ad Litteras Tuas, quod factum non est.

Insuper morbo afficiebar per aliquos menses et per hoc « debitum reddere » impediebar.

Paucas tantummodo opiniones Eminentae Vestrae propono, specialiter quia per modicum tempus onus episcopi mihi incumbit:

I. *Ieiunium Eucharisticum*

Votum: Reducendi tempus ieiunii eucharistici ad unam horam.

Ratio: impossibile, aut quasi, redeuntibus ab opere diei sumendi S. Eucharistiam occasione S. Missae hora vespertina celebratae, quia indigent refectione.

II. *Facultas administrandi Sacramentum Confirmationis in mortis periculo*

Votum: Indulgendi ut facultas administrandi Sacramentum Confirmationis ab Ordinario loci et a parochis delegari possit vicariis paroecialibus et aliis sacerdotibus, sicut delegatio pro assistentia matrimonii (can. 1096 *C.I.C.*).

Ratio: aliter multi pueri sine gratia huius Sacramenti moriuntur, quia parochus fortuito haberi nequit.

III. *Professio solemnis monialium*

Votum: Non sunt inquietandae moniales, quae ex Apostolica Dispensatione ediderunt professionem tantummodo simplicem.

Ratio: secus diversis indigent dispensationibus ad opera explenda, quae sunt necessaria ad sustentationem (e. g. in schola, in agro etc.).

IV. *Facultates quinquennales*

a) Votum: Diversae facultates assumendae sunt in ius commune.

Ratio: per hoc onera et Congregationum Romanarum et Ordinariatus diminuuntur.

b) Votum: Facultates supradictae sunt amplificandae pro illis casibus, in quibus S. Sedes quasi semper dispensare solet, e. g.:

1) Ordinarius permittere potest, gravi ex causa, sacerdotibus Missam celebrandi quotidianam de Requiem vel Beatae Mariae Virginis, e. g. caecitatis vel oculorum debilitatis causa;

2) Ordinarius sacerdoti, morbo vel senectute laboranti, licentiam dare potest celebrandi Sacrificium Missae in aedibus suis, si aliter Sancta offerre nequit;

3) Ordinarius permittere potest, fidelium utilitatis causa, asservationem SS. Eucharistiae in oratorio publico, servatis de iure servandis;

4) Ordinarius permittere potest monialibus egressum e clausura, non tantum urgente casu operationis chirurgicae subeundae, sed etiam aliis ex rationibus, e. g. instructionis causa vel ad avertendum grave damnum.

V. *Lingua latina*

Votum: Lingua latina colenda est et in scholis et in liturgia.

Ratio: Lingua latina est lingua S. Matris Ecclesiae, quae maxime unire potest praesertim clericos. Hoc minime impedit, ne fideles instruantur in lingua vernacula.

IV. *Libri manuales concernentes Theologiam moralem*

Votum: Praescribatur iterum, ut libri S. Thomae Aquinatis sint fundamentum non tantum theologiae dogmaticae sed etiam theologiae moralis.

Ratio: S. Thomas semper sic procedit: Demonstrat essentiam, necessitatem necnon pulchritudinem virtutis et postea vitia et peccata ex defectu virtutis provenientia. Permulta Manualia theologiae moralis sunt corrigenda, quia pauca verba inveniunt pro explanatione virtutum, sed permulta de peccatis et vitiis. Hoc magni momenti esse videtur pro sacerdotibus promulgationi verbi et catechesi incumbentibus.

His pro munere significatis, omni quo par est obsequio me profiteor.

Eminentiae Vestrae devotissimus

✠ IOSEPHUS HASLER
Episcopus S. Galli

5

EXC.MI P. D. FRANCISCI N. ADAM
Episcopi Sedunensis (Sion)

Seduni, die 30 augusti 1960

Eminentissime Domine,

Cum tuis litteris diei a. d. 14 kal. iul. anni Domini 1959 me rogaveris ut Tibi cum omni libertate et simplicitate sententiam meam de argumentis aperirem, quae in proximo Concilio oecumenico pertractari possent, Tibi breviter sed cum perfecto submissionis et erga Sanctam Sedem oboedientiae spiritu respondebo.

Quod ut efficiam, Tibi adiunctas notas dirigo, in quibus aliquas suggestiones reperire velis, quae futuro Concilio praesentari possint. Perbreve tempus mihi usque ad Kalendas septembris impertitum impedivit

quonimus melius facerem. Meis tamen elucubrationibus nullum momentum tribuo, ita ut, si illa plene despexeris, nullum incommodum percipiam.

Quod autem maximi refert facere volumus, id est orare et fideles ad orationem sollicitare, ut maximus successus Concilio contingat, a quo omni exceptione maiora bona pro tota Ecclesiae historia expectare possumus.

Omni qua par est reverentia Tibi in Domino addictissimus subscribit.

✠ Franciscus N. Adam
Episcopus Sedunensis

Doctrinae capita

Episcopus Sedunensis desiderat et proponit.

1. Ut, sub forma « Syllabi » omnes recentiores errores, et speciatim naturalismus, damnentur, qui animis tremenda damna afferunt.

2. Ut, sub forma universo orbi terrarum destinatae proclamationis, nova et clara edatur definitio praecipuarum fidei veritatum, speciatim veritatum quae ad ultimos fines spectant, quos nostrorum temporum homines acriter negant et impugnant.

3. Ut encyclica *Humani generis* clarificetur et iterum promulgetur.

4. Ut iterum Baptismi necessitas pro hominum salute confirmetur ad aliquas modernistarum doctrinas repellandas.

5. Ut Missae sacrificii natura clarius elucidetur ad aliquas modernistarum opiniones confutandas.

6. Ut Episcopatus natura ac officia et Episcopi potestates clarius et nitidius exponantur ita ut ad conclusionem capitulum « de Ecclesiae constitutione » concilii Vaticani perducatur.

7. Ut B. M. V. mediatio clarius elucidetur et definiatur.

8. Ut omnia fiant ad diversas christianorum confessiones in Ecclesiae catholicae sinum reducendas et quidem et ultimas legitimas concessiones faciendo. Christianorum enim disgregatio est maximum historiae scandalum, quod omnes alios Ecclesiae conatus ad fidem propagandam debilitat et impedit.

9. Ut serio Poenitentiae sacramenti praxis iterum consideretur.

10. Ut denuo Indulgentiarum praxis examinetur.

11. Ut gratiae primatus et orationis necessitas proclamentur.

12. Ut catechismus elaboretur, qui universo docendae religionis modo fundamentum praebeat, et simul cum nostrorum temporum necessitatibus congruat.

Disciplina Cleri et populi christiani

Episcopus Sedunensis desiderat et proponit.

1. Ut clero et dioeceseos fidelibus concedatur ut aliquo modo, et quidem aperto non autem secreto, ad electionem Episcopi participent, ut ita, in quantum fieri potest, machinationes excludantur et semper funesta Status et saecularium potestatum immixtio vitetur.

Nemo ad hoc magnum officium eligi deberet, qui saltem per decem annos in paroeciali ministerio non adlaborasset et ita absolute necessariam experientiam non acquisisset.

2. Ut Ecclesiae administratio simplicior et minus centrata fiat.

3. Ut tota Indicis lex rofermetur.

4. Ut tota ecclesiasticarum censurarum lex reformetur.

5. Ut omnes circa bonorum ecclesiasticorum administrationem regulae revisantur. In quorum gestione et laici partem sumere deberent ut clerici a temporalium bonorum cura liberentur.

6. Ut procedura in matrimonialibus causis revisatur et acceleretur.

7. Ut caerimoniae et rubricae simpliciores fiant.

8. Ut ecclesiasticus vestitus, praesertim praelatorum, simplicior fiat.

9. Ut partim et quidem caute usus linguae vulgaris in liturgia permittatur, ita ut fidelium ad missas et officia participatio maior et efficacior fiat.

10. Ut melior inter opera coordinatio et efficacior inter saecularem et regularem clerum collaboratio efficiatur.

11. Ut technica et moderna media in praedicatione et evangelizatione, praesertim in missionum regionibus, adhibeantur.

12. Ut cleri selectio et formatio renovetur, quae nostri temporis conditionibus et necessitatibus adaptari debent.

13. Ut sacerdotum lapsorum, de die in diem numerosiorum, status iterum consideretur, ita ut et pro eis facilior poenitentia evadat et ad normale regimen reditus fiat.

14. Ut omnia beneficia amovibilia declarentur. Salus animarum suprema lex!

15. Ut omnes appellationes vel dignitates ecclesiasticae mere honorificae aboleantur.

✠ FRANCISCUS N. ADAM
Episcopus Sedunensis

6

Exc.mi P. D. LUDOVICI S. HALLER

Episcopi tit. Bethleemitani, Abbatis nullius S. Mauritii Agaunensis
(Saint Maurice)

Agauni, apud S. Mauritium, die 30 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Ad litteras in quibus, quid tractandum in Concilio Oecumenico Nobis videretur, quaesivisti, perlibenter respondemus. Aegre tamen ferimus Nos hodie tantum ad Te scribere posse. Diu enim sperabamus, ut benigne innuerat unicuique episcopo Helvetiae Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Gustavus Testa, Nuntius Apostolicus apud nostras gentes, fore ut communes responsiones ad Sanctam Sedem humiliter mitterentur.

Quod, cum fieri nequivisset, haec vota proprio nomine diligenter communicavimus:

1. Optatur ut episcopatus essentia et officium in Ecclesia clare definiantur, et praesertim character vere sacramentalis ordinationis episcopi, per oppositionem ad presbyteratum.

2. Optatur ut laicorum munera certe determinentur, scilicet quaenam ex baptismi et confirmationis sacramentis, in ordine praesertim ad apostolatum, iura atque officia oriantur.

3. Optatur ut clare definiantur quid minimum sentiendum sit, secundum fidem, de his verbis universaliter acceptis in Ecclesia: « Ad Iesum per Mariam ».

4. Valde optatur ut leges de disciplina librorum prohibitorum, quo minus conscientiae graventur atque turbentur, de novo prorsus exarentur ad totius populi christiani utilitatem.

5. Optatur ut melius definiatur quae sit indulgentia; praeterea perutile videtur facultatem utendi benedictionibus reservatis, cum indulgentiis annexis, prout in Rituali Romano exstant, omnibus confessariis, quin amplius opus sit indulto, communiter extendi.

6. Hoc denique Nobis pergratum esset, pro nostro munere Abbatis Primatis Canonicorum Regularium Foederis: in novo Codice Iuris Canonici elaborando, benigne ducatur ratio propria Ordinis nostri.

Haec Nobis maioris momenti videntur, et digna quae in futuro Concilio tractentur.

Insuper exultat anima nostra et laetatur cor nostrum, quod non sine divini Numinis inspiratione, Sanctissimus Dominus Papa Noster Ioannes XXIII tam mirum coetum ex omni lingua et natione voluit et decrevit.

Quapropter nostras ad Deum admovemus preces ut, quod Spiritus Paraclitus aspirando praevenit, adiuvando prosequatur et ad felicem exitum perducat.

✠ LUDOVICUS HALLER
Episcopus tit. Bethleemitanus
Abbas nullius S. Mauritii Agaunensis

7

REV.MI P. D. RAIMUNDI TSCHUDY
Abbatis nullius Einsiedlensis (Maria Einsiedeln)

Einsiedeln, die 25 aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Litteris ab Eminentia Tua Reverendissima Abbati nullius Einsiedlensi datis nunc demum respondeo, cum tantum versus finem anni elapsi ad officium Ordinarii loci praedictae Abbatiae vocatus sim. Quam ob rem Eminentia Tua Rev.ma tarditatem huius litterae responsoriae excusare velit.

Argumenta vero sive vota, quae in futuro Concilio pertractari possent, sequentia propono:

I. *Argumenta dogmatica*

1. *Conceptus Ecclesiae,* corporis mystici, in luce ponatur, atque iusta interpretatio axiomatis « extra ecclesiam nulla salus », praesertim sub respectu desideratae unitatis christianorum, detur.

2. Concilium Vaticanum I continuetur quod ad quaestionem *episcopatus iuris divini* in Ecclesia attinet.

3. Nullum proclametur *dogma novum,* in specie nullum dogma mariologicum, *aggravans* discussionem cum christianis ab ecclesia catholica separatis.

II. *Quaestiones dogmatico-disciplinares*

1. Normae dentur ad sacram *liturgiam* ita restaurandam, ut non solum cultui divino debito modo inserviat, sed etiam suam functionem

catecheticam in aedificationem fidelium adimpleat; praesertim permittatur maior usus linguae vernaculae et accommodetur liturgia sollemnis pro Ecclesiis minoribus.

2. Maior dignitas muneri *episcoporum* tribuatur per quamdam « decentralizationem » rerum hucusque Apostolicae Sedi reservatarum quae tamen nec ordinariam administrationem excedunt nec universalem Ecclesiam directe tangunt.

3. Tractari deberet an et quousque *diaconatus* uti ordo in se stans in Ecclesia maiorem vigorem obtinere posset.

4. Iura et officia *laicorum* in Ecclesia pressius determinentur.

5. Modus *indulgentias* conferendi vel acquirendi simplicior et intelligibilior reddatur. Indulgentiae ad quasdam formas principales reducantur.

6. *Reservationes* peccatorum et censurarum cessent, exceptis fortasse quibusdam causis gravissimis.

7. Praxis *prohibitionis librorum* noviter ordinetur et confessariis amplior tribuatur facultas permittendi lectionem huiusmodi librorum.

III. *Quaestiones unionem cum orthodoxis et protestantibus respicientes*

1. Concilium sollemniter declaret etiam *catholicorum negligentiam* et culpam ansam scissionis Ecclesiae praebuisse.

2. In Concilio normae *directivae generales pro unione* cum christianis separatis exarentur, in quibus ius divinum in Ecclesia, in specie relate ad primatum Summi Pontificis, clare enuntietur, sed libertas quam maxima in questionibus iuris mere ecclesiastici orthodoxis et protestantibus redeuntibus ad unitatem praebeatur.

3. Instituatur *congregatio sive commissio* propria pro quaestionibus et negotiis cum protestantibus tractandis (ad instar S. Congregationis Orientalis), in qua sive episcopi sive theologi illarum regionum, ubi protestantes praesertim degunt debitum locum habeant.

Haec sunt, quae Eminentiae Tuae Reverendissimae proponenda, habeo, quaeque, ut in profectum Ecclesiae sint, exopto.

Libenter sensus religiosi obsequii ex corde profiteor.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
Add.mus

✠ Raimundus Tschudy
Abbas Einsiedlensis

8

Exc.mi P. D. ALAPHRIDI PACINI

Archiepiscopi tit. Germiensis, Nuntii Ap. in Helvetia

Prot. N. 110 Berna, 26 maggio 1960

Ill.mo e Rev.mo Monsignore,

Finalmente posso inviarle, insieme a questa mia rispettosa lettera, alcune « *Animadversiones* de Rebus quae in futuro *Concilio Oecumenico* tractari poterunt » e che ho potuto preparare nei pochi ritagli di tempo lasciatimi liberi dalle obbligazioni giornaliere del mio lavoro, molto intenso in queste prime settimane della mia venuta a Berna.

Come Vostra Signoria potrà rilevare, ho toccato solo pochi argomenti, specialmente di dottrina disciplinare, servendomi di note e ricordi di discussioni avute in vari luoghi e tempi con persone varie, e specialmente con i professori del Pontificio Ateneo Salesiano di Roma, dove fui ultimamente.

Anche il latino che ho usato non è certo classico, dopo tanti anni da quando feci i miei studi umanistici.

Mentre La prego di voler presentare i miei devoti omaggi all'Eminentissimo Signor Presidente della Pontificia Commissione antipreparatoria per il Concilio Ecumenico, con sensi del mio distinto ossequio mi professo

di Vostra Signoria Ill.ma e Rev.ma
Dev.mo in X.to

✠ Alfredo Pacini
Archiepiscopus tit. Germiensis
Nunzio Apostolico in Svizzera

Non facile mihi est multa dicere de iis quae ad futurum Concilium Oecumenicum referri possunt. Translatus etenim de Uruquariana ad Helveticam Rempublicam, tempus mihi defuit pro labore conficiendo, quomodo necessarium esset pro re tanti momenti.

Attamen, aliqua referre conabor quae respondent experientiae quam

mihi comparare potui in variis Nationibus, sive Europae sive Latinae Americae, in quibus per multos annos commoratus sum.

Undique audivi desiderium ut in Ecclesia aliqua reformari deberent, praesertim de iis quae « disciplinam ecclesiasticam » respiciunt. Mentes et corda hodie plus quam in aliis adiunctis indigent novis directivis, nam innumeri homines qui sensum religiosum amiserunt, novam lucem et sublevamen ab auctoritate ecclesiastica expectant. Episcopi in Concilio, cum Summo Pontifice adunati, et Spiritu Sancto afflante, mutua deliberatione clare videbunt quae in usibus et in disciplina ecclesiastica sunt conservanda quaeque modificanda et adaptanda erunt. Hinc accidit quod ipsa enunciatio celebrationis Concilii Oecumenici a Beatissimo Patre Ioanne XXIII facta considerata fuerit sicut vera *Inspiratio Spiritus Sancti.*

Concilium Oecumenicum adunetur sub signo *Pacis et unionis,* ad *Christiano* nomine insignitos inter se reconciliandos. Ad quam pacem et unionem acquirendam nullus labor omittendus esset. Est vero necessarium in primis ut, sicut declaravit Summus Pontifex Ioannes XXIII, magna comprehensio habeatur erga Fratres separatos ab Ecclesia Catholica. Difficultates perrumpi debent quae praeveniunt ex expressionibus minus fraternis et antiquis reciprocis praeiudiciis. Sed expositio doctrinae debet esse *clara. Omnia* autem fiant in caritate fraterna. Hinc, cum gratia Dei, portae *unitatis ecclesiae domini nostri Iesu Christi aperiri poterunt.*

Una ex quaestionibus quae in futuro Concilio Oecumenico tractanda esset — ex desiderio multorum ecclesiasticorum tum Europae tum Americae Latinae — illa est quae *Mysticum Christi Corpus* respicit. Desideratur, inter alia, ut determinetur tota doctrina huius dogmatis. Nonnulli autem Sacerdotes petunt si Mysticum Christi Corpus identificatur cum Ecclesia et si christiani non catholici possunt membra esse Corporis Christi?

Tractatio et definitio integrae doctrinae auctoritative facta fundamentum solidum praeberet unitati Ecclesiae restaurandae, renovationi liturgicae inter fideles fovendae nec non incremento scientiae theologicae in scholis tradendae.

Alia quaestio, cuius tractatio desideratur, ea est quae ad statum infantium sine baptismo morientium attinet. Desideraretur ab aliquibus sacerdotibus helveticis ut ad aliquam perveniretur conclusionem, quia multi sunt qui de hoc saepe loquuntur.

Doctrina Disciplinaris

Inde a primaeva Ecclesia usque ad Codicem Iuris Canonici, clericis, etiam saecularibus, vita communis enixe commendabatur: hodie non solum laudanda est, sed, quibusdam in adiunctis, iubenda videtur:

1) defensionis causa, quia propter solitudinem, praesertim in pagis, pietas, spiritus et fervor pastoralis, abnegatio sui ipsius aliaeque virtutes sacerdotales ipsiusque caelibatus observatio saepe nimis periclitatur. Inde frequentes lapsus sacerdotis qui magnum populo christiano scandalum praebent;

2) hanc communem vitam suadet etiam causa mutui adiutorii et santificationis. Exemplum ad invicem datum multum confert ad propriam sanctificationem: quod fieri non potest si clericus solus in sua domo vivat;

3) paupertas hodierna cleri in aliquibus locis vitam communem suadet, quia mensa communis minoribus cum expensis praeparatur, et etiam habitatio in una domo minores expensas requirit;

4) sacerdotes vitam communem gerentes, possunt inter se conferre circa laborem apostolicum, se instruere pro labore ut dicitur « specializzato », nempe cura et instructio iuvenum et adsistentia operariorum, nec non associationum piarum.

Inde bonum videtur vitam communem esse instituendam etiam pro clero saeculari, iis tantum in locis exceptis ubi cura animarum, quod raro accidit, aliud exigit.

Propter inopiam sacerdotum et exigentias vitae modernae, bonum videtur sacerdotibus tam saecularibus quam religiosis, magis amplas facultates concedere, praesertim circa confessionem, sive in propria sive in aliena dioecesi, et etiam in alia natione, praesertim quando, ex. gratia, peregrinatio vel aliquid simile perficitur.

In istis casibus, sacerdos praeditus esse deberet facultate absolvendi etiam a peccatis et censuris reservatis, iis exceptis Summo Pontifici specialissimo modo reservatis.

Etiam videretur opportunum confessarios omnes facultatem habitualiter recipere posse a proprio Ordinario dispensandi in foro interno sacramentali singulos fideles, in aliquibus casibus a lege abstinentiae et ieiunii, nec non a prohibitione legendi libros qui in Indice continentur.

In nonnullis Nationibus Ecclesia beneficia propria possidet ad suam sustentationem, in aliis Gubernia aliquid dant clericis pro suis et cultus necessitatibus, in aliis Ecclesia neque beneficia habet neque pecuniam recipit a civilibus potestatibus, sed tantum a fidelibus sub una vel alia forma. Ita accidit quod in eadem natione et etiam in eadem dioecesi non-

nullae paroeciae sint satis divites, dum e contra aliae nimis pauperes. Inde fit quod nonnulli sacerdotes habeant plus quam necessarium pro vita sua et necessitatibus paroeciae, alii vero neque quae stricte necessaria sunt possident.

Ut aliqua peraequatio inter unos et alios sacerdotes fieri posset, forsitan bonum videretur quod bona omnia dioecesis unam massam constituerent ex variis fontibus confluentem. Ordinarius autem per consilia administrationis omnia bona administret eaque distribuat, providendo, secundum aequam proportionem, necessitatibus ordinariis sustentationis clericorum, cultus, fabricarum, curae pauperum suae dioecesis. *Hoc in primo loco.* Dein, etiam pro expensis et necessitatibus extraordinariis certas summas suis sacerdotibus assignabit.

Hoc modo perfectioni et sanctitati sacerdotum valde faveretur, quia non solum ab invidia mammonae coram populo fideli liberarentur sed cultus omnium virtutum foveretur. Clerici insuper inopes a miseriae damnis et a periculis spiritualibus plene sublevarentur; a caeteris commoditates et delectationes mundanae multaque alia pericula et occasiones peccandi arcerentur; media vitae et apostolatus aequa proportione adiudicaretur et amor fraternus qui aequalitatem inter aequales expostulat, augeretur: uno verbo sacerdotes, his in conditionibus, vere Deo vacare possent et sanctificationi sui ipsius et christifidelibus operam navare.

Plures sunt sacerdotes qui degunt in paroeciis quorum beneficium pauperrimum vel nullum est. Saepe sacerdotes in cura animarum exiguos suos proventus erogare debent necessitatibus suorum fidelium urgentioribus sublevandis. Ex hoc evenit ut in casu infirmitatis vel alicuius infortunii sacerdos ne necessarium quidem habeat ut sibi ipsi provideat. Ex his rerum adiunctis duae proveniunt consequentiae, *a*) maxima paupertas et deficientia rerum necessariarum in qua versantur plures sacerdotes cum ad senectutem pervenerint; *b*) parochi vero, ut saltem ea quae necessaria sunt, obtinere possint, munus parochi dimittere nolunt, quamquam omnino inhabiles sint ad illud totaliter adimplendum.

Ut ad haec remedia apponantur, praesertim pro sacerdotibus saecularibus, sic dicta « securitas socialis » contra infirmitates et infortunia et « pensio » pro senectute constituenda esset.

Hoc modo provideretur vitae degendae sine dedecore pro sacerdotibus invalidis vel senibus.

Sicut notum est, non pauci sacerdotes a sua sancta vocatione, variis de causibus, pro dolor, deficiunt. Ut suis necessitatibus, meliori modo providere possint, vivunt in magnis urbibus, ubi miseram degunt vitam una cum muliere et filiis quos genuerunt. Et quia non semper fidem ami-

serunt, quaerunt modum conciliandi suum miserum statum cum obligatione servandi votum castitatis quo manent ligati.

Forsitan bonum esset ut Concilium Oecumenicum studeret quo modo provideri possit miserae conditioni in qua isti infelices sacerdotes inveniuntur. Sunt qui proponunt illos, simpliciter, a voto castitatis solvendos esse, praesertim quando sic dictum matrimonium civile inierunt et familiam sibi constituerunt. Qui vero ab istis vinculis sunt soluti et volunt ad Ecclesiam reverti, admittendi essent, ut quidam putant, non solum ad sacramenta more laicorum, sed, si vere a via mala exierunt et propositum firmum reparandi suos errores et poenitentiam agere desiderant, possent, post tempus, plus vel minus longum, ad s. ministerium exercendum iterum admitti.

De sacramentis

Spectatis necessitatibus populi christiani, ad spiritualem renovationem suscipiendam ab Oecumenico Concilio conferri potest renovata ratio in administratione sacramentorum et sacramentalium. Sed haec ratio renovanda conciliari debet cum sensu traditionis quae custos sit venerationis rebus sacris debitae et praesentes cum veteribus generationibus coniungat.

Collatio Baptismatis

Cum multis in locis non amplius baptisma in ecclesiis administretur, sed in nosocomiis et privatis domibus, praesertim tempore hiemali, optandum videretur caeremonias de quibus in Can. 760 reservari semper propriae ecclesiae paroeciali, vel, — si opportunius videtur, hisce in casibus integrum ritum administrandi baptismatis statim servandum esse, — bonum esset ut nova inducatur caeremonia pro solemni adscriptione baptizati propriae paroeciae.

Quod fieri posset, statutis temporibus, ex. gr. die sabbati sancti vel in festo Pentecostes vel Nativitatis D. N. I. C. Itaque omnes pueri baptizati infra has festivitates deferendi essent ad ecclesiam paroecialem et ibi in nova caeremonia adscriberentur novi fideles propriae ecclesiae paroeciali. Quoad ritum et caeremonias:

aliqui ritus et ipsae orationes praescriptae in Rituali Romano pro baptismo tum parvulorum tum adultorum, plerisque nostrae aetatis hominibus, religionis ignaris, prorsus aliena evadunt: v. gr. usus salivae, repetitio exorcismi etc.: inde omittendi essent. E contra, valde opportunum esset ut, perdurante ritu, minister aptis formulis in mentem adstantium revocaret et breviter explanaret supernaturales effectus baptismatis.

Monitiones vero et etiam non paucae orationes dicendae essent lingua vulgari, ut iam aliquibus in locis fit.

Baptismum in ritu patris faciendum, difficultates non paucas in variis locis creat, praesertim emigrantibus. Bonum videretur relinquere parentibus libertatem eligendi ritum baptismi pro suis filiis, qui nati sunt ex matrimonio diversi ritus.

Sacramentum confirmationis

Sacramentum Confirmationis quo baptizatus fit bonus miles Christi obligationesque solemniter assumit fidem profitendi et defendendi in societate, exigit adaequatam christianae culturae et disciplinae praeparationem. Minus ergo respondet huic supernaturali realitati hodierna praxis coniungendi Primam Communionem cum receptione Confirmationis; minus vero cum administratione Baptismatis vel in tenerrima aetate, ut fit in America Latina, ubi confirmantur pueri duorum vel trium annorum.

Protestantes in multis locis administrant « sacramentum Confirmationis » iuvenibus quindecim, sexdecim vel duodeviginti annorum et magna cum solemnitate. Etiam iuvenes haebraei recipiuntur in Sinagogam cum ad decimum quartum annum perveniunt.

Administratio ergo Sacramenti Confirmationis formam et sollemnitatem habere deberet quae aptae sint ad excitandos animos confirmatorum et parentum nec non adsistentium; quod fieri nequit quando Sacramentum administratur pueris infimae aetatis.

De administratione SS. Eucharistiae

Quoad administrationem *Primae Communionis* opportunum videtur inducere distinctionem inter Primam Communionem « *Privatam* » et Primam Communionem « *Publicam* », seu *Solemnem,* ut iam fit in aliquibus Nationibus, ex. gr. in Belgio et in Gallia, ubi prior fit quando pueri et puellae perveniunt ad usum rationis, altera vero post expletam adaequatam instructionem, qualis esse debet in pueris 10-12 annorum.

Quoad ordinariam S. Communionem fidelium, christifideles instituantur ita ut conscientia effectuum supernaturalium S. Communionis in Corpus Mysticum Christi externe manifestetur in eorumdem sollicitudine recipiendi S. Communionem in sacris functionibus in quibus fit distributio Corporis Christi.

Quoad praeceptum Paschale, bonum esset ut prorogeretur ad totum annum, sicut iam petierunt Ordinarii Uruquariae (Uruguay).

De ordine

Lugenda sane est conditio spiritualis eorum sacerdotum qui numerosiores hac nostra aetate, deficientes a sacerdotali vocatione, ad laicalem statum — iuridice vel de facto — transeunt, cum gravi discrimine fidelium et vivunt in magnis urbibus in quibus possint saltem sibi victum quotidianum comparare.

Ad hoc damnum praecavendum, omnia media adhibenda sunt quae prorsus liberam atque mature perpensam reddant receptionem sacrorum Ordinum. Inter alia, bonum videretur, ad melius cognoscendam vocationem eorum qui ad sacros Ordines ascendere desiderant, ut, curriculo philosophico et theologico absoluto, tantum Subdiaconatum recipiant, ac dein per *biennium* vivant ad *modum vicariorum cooperatorum* apud aliquem parochum, vel mittantur ad exercenda opera externa religionis in illis ministeriis quae ordinem sacerdotalem non exigunt, ita ut bene perspectis variis respectibus vitae sacerdotalis, post *biennium* ad Seminarium vel ad domum religiosam redeant ibique, per aliquot menses disciplinis pastoralibus vacent atque ad sacros ordines diaconatus et presbyteratus recipiendos se disponant.

« *Diaconatus* » *laicorum*

Multum, ultimis temporibus loquitur — ad deficientiam sacerdotum supplendam —, de institutione « diaconatus » laicorum. Quod, si proprio verborum sensu accipitur, contradictio est in terminis, uti patet: clerici enim a laicis sunt distincti. Melius esset, urgentibus animarum necessitatibus, ordines minores in pristinum vigorem restituere, et ministris, ita in clerum adlectis, speciales facultates ordini adnexae vel singulis delegandae tradantur.

Munera haec prae aliis eis concredi possunt: *ubi adest sacerdos,* eum in omnibus negotiis ita adiuvent ut ipse reservetur tantum Sacro Ministerio; *ubi vero sacerdos habitualiter deest,* eius vicem gerere, sed non in rebus quae ordinem sacrum requirunt. Posset ergo catecheticam institutionem sibi adsumere, mortuos sepelire, processiones ducere etc. Quinimmo, ex speciali S. Pontificis concessione, quaedam sacramenta administrare, ut baptismum, matrimonio adsistere, S. Communionem distribuere.

Neque videtur opportunum neque necessarium ut conferatur *presbyteratus coniugatis viris,* quamvis honestis et optimi testimonii, ut in primaeva ecclesia fiebat. Nam sacerdos semper talis esse debet ut omnia sacramenta sibi concredita recte administrare valeat et populo non so-

lum vitae honestae exemplum praebere, sed doctor, arbiter, spiritualis dux in hodiernis adiunctis esse possit.

Insuper, sacerdos perpetuo et totaliter Deo vacare debet et Ecclesiae et ministerio deservire. Quod difficile nisi dicam impossibile illi est, cum suae familiae omnia procurare debeat.

Neque spernendum est illud quod si sacerdotibus coniugatis in matrimonio vivere liceret, reliquorum sacerdotum celibatui haud leve discrimen immineret.

Apostolatus laicorum

Quoad apostolatum laicorum, duo videntur vitanda esse: neque nimis illis concedere neque parum. In Actione Catholica media inveniuntur ad laborem proficuum faciendum sive in bonum Ecclesiae sive in bonum fidelium.

De matrimonio

Quoad matrimonium non multa habeo dicenda. Tantum refero quod non pauci clerici putant matrimonium mixtum celebrandum esse in Ecclesiis sicut matrimonia catholicorum. Accidit enim, dicunt, quod in adiunctis particularibus negatio celebrationis matrimonii in Ecclesia et celebrationis Missae augeat opiniones praeiudicatas et aversiones acatholicorum erga Ecclesiam. Fieri etiam potest, ob negationem celebrationis missae pro sponsis, patres non teneant promissa filios catholice educandi.

Semper quoad *Matrimonium Mixtum,* sunt qui putant retinendum esse valide et licite contractum etiam quando non celebratur coram ministro catholico. Non audeo hanc doctrinam meam facere.

De extrema unctione

Notum est etiam fideles pavere quando debeant vocare sacerdotem ad Extremam Unctionem administrandam. Putant enim hoc esse signum mortis proximae.

Bonum ergo esset vocare hoc sacramentum « *Unctio infirmorum* » et illud administrare non quando infirmus est iam in periculo mortis constitutus, sed antea. Hoc sensu immutari deberet can. 940 § 1, qui rigidiorem sensum tradit.

De ieiunio et abstinentia

Cum agatur de sacra obligatione quae christianos tenet non solum singillatim sed etiam socialiter, illam abolere non licet, sed, habita consideratione hodiernarum circumstantiarum fidelium, pro tota Ecclesia lex

ieiunii et abstinentiae reformandam esse non pauci putant. Et ante omnia, lex ieiunii et abstinentiae deberet omnes fideles eodem modo obligare, et non sicut hodie fit pro Hispania et America Latina, ubi tantum per paucos dies in anno haec lex obligat.

Dies in quibus lex ieunii et abstinentiae obligare deberet, possent esse pro tota Ecclesia vigilia Immaculatae Conceptionis et vigilia Nativitatis Domini N. I. C. Insuper dies cinerum et feria VI in Parasceve. In Uruguay observatur etiam in Feriis VI Quadragesimae, sed cum difficultate. Ad adimplenda vero quae desunt Christi passioni, fideles alias poenitentias agere deberent.

De reformatione breviarii

Non pauci, tum ex clero saeculari quam regulari putant Officium Divinum reformandum esse, ita ut eius recitatio fiat non *onus sed honor.* Ante omnia dicunt *Duo* Officia Divina constituenda esse: unum *Chorale* et unum *Pastorale.* Primum esset pro Ordinibus Monasticis, secundum pro Clero sacro ministerio addicto. Hoc secundum reduci deberet ad ampliam simplicitatem, praesertim in privata recitatione.

Lectiones historicae corrigendae essent.

Denique bonum videretur ut *sacerdotes* in cura animarum ab obligatione recitationis Breviarii dispensarentur *Diebus Dominicis* et *Festis* saltem partialiter.

De revisione indicis librorum prohibitorum

Perutile videtur revisio Indicis Librorum Prohibitorum. Continet enim opera quorum condemnatio admirationem suscitat ita ut non pauci accusent Ecclesiam de spiritu angusto retrogrado.

De modo agendi Supremae S. C. Sancti Officii circa prohibitionem librorum et acceptationem denuntiationum cleri.

Non paucis vicibus, sive in America Latina sive in Europa, praesertim in *Gallia,* nonnulli Sacerdotes et professores scholarum catholicarum (Institutis Superioribus non exceptis) querebantur de modo quo Suprema S. Congregatio Sancti Officii declarat prohibitos libros qui non rectam doctrinam continent. Desideraretur ut scriptor, maxime quando de sacerdote agitur, vel Superior sciret et ante publicationem prohibitionis certior fieret de rebus quae reprobationem Ecclesiae merentur. Scriptor, hoc modo, suam mentem aperire posset et humiliter se subiicere mandatis Ecclesiae.

Ultima animadversio quae respicit Supremam S. Congregationem Sancti Officii.

Aliquando fiunt denuntiationes, non semper cum caritate et iustitia, contra sacerdotes et etiam altiores Auctoritates Ecclesiae. Bonum et iustum videretur ut denuntiatus aliquid sciret de causa et obiecto denuntiationis ut se defendere posset.

Vellem sub silentio tenere aliquas animadversiones quas nonnulli Ordinarii Helvetici faciunt, sed cum repetitae sint, puto aliquid esse dicendum.

Dicunt *Episcopi* suam actionem non esse nimis coartandam, sed e contra, per quantum fieri posset, magis liberam relinquendam esse, ne labor Ordinariorum videatur « paralyzatus ». Putant etiam convenire ut Ordinarii loci maiores habeant facultates, praesertim circa impedimenta matrimonialia et etiam circa religiosos, sine necessitate recurrendi toties quoties ad Sacras Romanas Congregationes.

Quod fieri poterit, sicut mos est in aliis Nationibus, quarum Ordinarii satis amplas facultates recipiunt a Sacris Congregationibus quae continentur in *Indice* Facultatum Quinquennalium vel etiam decennalium, ut in America Latina. E contra Facultates concessae Episcopis Helveticis nimis restrictae sunt.

Desiderarent etiam quod leges generales pro universa Ecclesia latae, ne nimis in minimis urgerent, quia usibus diversarum regionum saepe melius et opportunius est stare. Conveniret quoque constitutionibus synodalibus, Sancta Sede invigilante, latius spatium concedere.

Dum has humiles animadversiones et considerationes, quas in brevibus intervallis mei ordinarii laboris concinnare conatus sum, Veneratis Patribus futuri Concilii Oecumenici praesentare audeo, Deum Patrem Omnipotentem enixe rogo pro eodem Concilio ut fructus quam uberrimos afferat in bonum animarum *Omnium*.

✠ ALAPHRIDUS PACINI
Archiepiscopus tit. Germiensis
Nuntius Apostolicus in Helvetia

9

Exc.mi P. D. ALOYSII E. JOYE
Episcopi tit. Raphiensis

Friburgo, 28 iulii 1959

Sua Eminentia,

Numerosis annis, etiam infirmitatibus, tactus, nullam participandi ad futurum Concilium habet spem Episcopus titularis Raphiensis. Iam nunc et tempore opportuno implorat divinum auxilium oratio mea.

Eminentiam Vestram in Christo Domino humiliter salutat

✠ Aloysius Ernestus Joye
Episcopus titularis Raphiensis

HIBERNIA

1

Exc.mi P. D. IACOBI FERGUS
Episcopi Achadensis (Achonry)

Die 25 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Infrascripto episcopo magno honori est litteras diei 18 iunii 1959 accepisse, in quibus Eminentia Vestra animadversiones, consilia et vota exquirere dignatus est de rebus quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt.

Veritus ne, in re tanti momenti, aliquid utile in medium proferre non possem, hactenus respondere distuli; audeo tamen, pro meo erga Eminentiam Vestram obsequio, quaedam capita iudicio Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae, in adnexo folio, nunc humiliter submittere.

Sacram purpuram reverenter deosculans, libenter me profiteor

Eminentiae Vestrae
addictissimum in Christo servum

✠ Iacobus Fergus
Episcopus Achadensis

1. De mediis quae aptiora videntur ad unitatem restaurandam inter Ecclesiam Catholicam et sectas schismaticas orientales.

2. De mediis quae forte prosint ad haereticos conciliandos et in fidem catholicam revocandos; et quatenus quibusque in rebus catholicis liceat cum iisdem cooperari, attentis circumstantiis huius temporis.

3. De expositione fidei catholicae contra errores philosophicos et morales huius aevi.

4. De mediis quibus collaboratio inter clerum populumque, praesertim operarios, arctior uberiorque foveatur; utrum huic fini assequendo sint obstacula, et quaenam?

5. De apostolatu laico eiusque relatione cum hierarchia apostolica.

6. De promovendis missionibus apud paganos.

7. De auxilio praebendo iis dioecesibus qui inopia sacerdotum la-

borant, e. g. in America-Latina, et quatenus aequior distributio cleri tum dioecesani tum praesertim religiosi fieri possit, ita ut dioeceses quae plurimos sacerdotes habent succurrere possint iis qui inopia laborant.

8. De usu linguae vernaculae in sacra Liturgia — quatenus extendi aut coarctari debeat.

✠ Iacobus Fergus
Episcopus Achadensis

2

Exc.mi P. D. IACOBI I. McNAMEE
Episcopi Ardachadensis et Cluanensis (Ardagh)

Die 20 iulii 1959

Eminentissime Domine,

Cum et honorificum et pergratissimum sit infrascripto Ordinario obtemperanti voluntati Eminentiae Tuae omnes res vel necessarias vel utiles Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae notas facere, quae pertinent ad capita doctrinae vel ad disciplinam cleri et populi vel ad alias res summi momenti in Tuis litteris memoratas.

Cum autem his paucis annis nonnullae variationes magno cum fructu introductae sint in rubricis Sacrosancti Sacrificii Missae et in recitatione Breviarii, non alienum videtur in materia, qua par est reverentia ac humilitate, quaedam suggerere tamquam fructuosa, uti speratur, et clero et populo futura; quae suggestiones una cum rationibus quibus comprobari videntur his adnectuntur.

Interim Sacram Purpuram reverenter deosculor.

Eminentiae Tuae addictissimus servus
✠ Iacobus Ioseph MacNamee
Episcopus Ardachadensis et Cluanensis

De Culto Divino

a) *De Missa*

1. Optandum esse videtur ut Missa finiatur cum ultima Benedictione, omisso initio Evangelii secundum S. Ioannem et seqq. ut iam fit in quibusdam Missis ordinis restaurati Hebdomadae Maioris. Ratio petitionis

est quod partes supradictae videntur esse additamenta tantum supervacanea, et fideles plerumque se gerunt quasi quibus hoc iam persuasum sit.

2. Ut in unaquaque Missa solemni Evangelium a Diacono solummodo, Epistola a Subdiacono solummodo recitetur, omissa recitatione ab ipso sacerdote celebrante.

b) *De Horis Canonicis*

1. Nonnulla Officia videntur esse nimis longa et ob longitudinem nimis onerosa, e. g. Officia SS. Cordis; D. N. Iesu Christi Regis; Archang. Raphaëlis; Ss. Cyrilli et Methodii; S. Ant. Mariae Zacc. Optandum esse videtur ut Officia adaequentur ratione longitudinis, in quantum fieri potest.

2. Sunt qui putent recitationem Horarum Parvarum, Prima excepta, sacerdotibus « ad chorum » non obligatis, ad libitum recitantis relinqui debere.

3. Rogandum videtur ut liceat Breviarium *privatim* lingua vernacula recitare, quippe quae recitatio sine dubio ad multo meliorem ac uberiorem cognitionem S. Scripturarum perducat. In hac materia clerus noster saltem in regionibus septentrionalibus, minus peritus esse videtur haereticis sectis, non tantum quoad ministros sed etiam quoad populum. *Publica autem recitatio et choralis in lingua latina, retineatur.*

4. Ita ut omnia « semiduplicia » ad « simplicia » redacta sunt, suaderi possit ut nonnulla « duplicia » regionalis tantum momenti ad « simplicia » item reducantur.

c) *De Administratione Sacramentorum*

1. Optandum videtur ut licentia compluribus regionibus iam concessa, qua preces Ritualis « mixta lingua », nempe Latina et vernacula, recitantur, ad omnes regiones extendatur ubi Hierarchia id petit.

d) *De Oratione Vespertina*

1. Magnopere prodesse videatur pietati fidelium si e Sanctissima Sede promanet oratio officialis vespertina pro diebus Dominicis; vel Completorium ut nunc habetur, cum congruis additamentis, vel oratio mixta e Vesperis et Completorio ut nunc habentur, vernacula autem lingua.

✠ IACOBUS IOSEPH MACNAMEE
Episcopus Ardachadensis et Cluanensis

3

Em.mi P. D. IOANNIS Card. D'ALTON
Archiepiscopi Armachani (Armagh)

Ara Caeli, Armagh, die 11 septembris 1959

Em.me ac Rev.me Domine mi Obs.me,

Grato animo accepi litteras Eminentiae Tuae, die 18 iunii datas (Prot. N. 1 C/59-33), quibus mihi perbenigne significasti tum constitutionem Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico, tum desiderium Augusti Pontificis cognoscendi opiniones et colligendi consilia et vota eorum qui futuri Concilii Patres erunt.

Velim imprimis ut Eminentia Tua non dedignaret exprimere Augusto Pontifici quod nuntium futuri Concilii iam gaudium maximum apud nos in Hibernia suscitavit, cuius gaudii egometipse non semel in publicis allocutionibus, dum preces pro futuro Concilio rogarem, interpres fui.

Ipse Summus Pontifex iam non obscure significavit se multum sperare ex futuro Concilio quoad reditum ad unitatem Ecclesiae Catholicae fratrum nostrorum dissidentium. Velim omni cum reverentia haec vota Augusti Pontificis ex corde obsecundare. Hic scopus, unitatis nempe Ecclesiae, est inter omnia vota mea quoad futurum Concilium facile princeps.

Hoc tantum hac de re habeo dicendum, quod meo iudicio Ecclesia Anglicana ita labe haeresis infecta est ut periculosum esset aliquam conversionem corporativam accipere. Per conversiones tantum individuales, vel parvarum communitatum, satis tuto, meo iudicio, procedi potest.

Quoad alia vota breviter mentem meam exprimere volo.

Quoad doctrinam: 1. Ut edatur constitutio dogmatica indicans quod sicut Christus est centrum et fundamentum veritatis catholicae ita debet esse centrum et fundamentum devotionis et vitae spiritualis fidelium.

Mihi quidem videtur, salvo meliore iudicio, periculum non abesse quod Beatissima Virgo Maria de facto deveniret centrum devotionis et precum non paucorum fidelium ita ut « psychologice » locum principalem teneret quamvis omnes « de iure » agnoscerent Christum Dominum esse lapidem angularem totius veritatis revelatae.

2. Ut pressius definiatur doctrina de inspiratione et inerrantia Sacrae Scripturae.

Quoad disciplinam: Ut apta ederentur decreta ad melius delineandas sphaeras activitatis pastoralis cleri saecularis et religiosi ita ut pro posse

evitarentur tum conflictus iurium et interesse, tum praesertim dispendium virium Ecclesiae.

Etenim hodie in pluribus regionibus videntur ex una parte communitates sat magnae sacerdotum religiosorum, ordinum quidem ac congregationum activorum uti vocant, qui pro maiore anni parte non multa habent opera apostolica facienda, et ex alia parte, in aliis regionibus, sicut America Meridionali, habetur vera fames sacerdotum.

Hoc dum affirmo velim libenter agnoscere ingens bonum quod clerus religiosus contulit, ac confert, ad salutem animarum in Ecclesia Dei. Mihi tamen videtur quod est quaedam mala distributio virium sacerdotalium in tota Ecclesia, quod forsitan per quamdam novam disciplinam mederi potest.

Haec dum significo Eminentiae Tuae me profunda cum veneratione profiteor.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum ac devotissimum servum

✠ IOANNES Cardinalis D'ALTON
Archiepiscopus Armachanus
Totius Hiberniae Primas

4

EXC.MI P. D. EUGENII O'CALLAGHAN
Episcopi Clogheriensis (Clogher)

Die 14 aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Pergratum est mihi significare Eminentiae Tuae animadversiones meas de rebus, quae in Concilio Oecumenico, tractari poterunt. Quae pleno obsequio et profunda humilitate praesento Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico.

Dum Tibi plurimas gratias ago omniaque fausta adprecor cum omni reverentia profiteor me.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum

✠ EUGENIUS O'CALLAGHAN
Episcopus Clogheriensis

I. *De Liturgia*

Nostrae aetatis gratias agere debent Sanctae Sedi Catholici pro tot ac tantis recentibus concessionibus in rebus liturgicis. Novus ritus Sanctae Hebdomadae instauratus, celebratio Missarum Vespertina et Dialogica, novae regulae de Eucharistico Ieiunio, haec omnia et multae aliae concessiones maximi momenti sunt ad pietatem et fervorem fidelium fovendos ac restaurandos. Quibus in rebus quaestio oritur de lingua liturgica. Multi fidelium, scientia aliarum rerum praediti, carent intelligentia linguae latinae, quae in nostris diebus cultores pauciores habet quam olim; in scholis ac universitatibus priorum aetatum linguae classicae fovebantur ab omnibus, sed nunc studia scientifica et technologica magis coluntur detrimento linguae Latinae itemque Graecae. Hi periti saepe volunt participationem activam in liturgia habere sed carentes lingua latina non possunt intelligere caerimonias. Hinc accidit ut permulti vitam spiritualem colere coguntur, multa ex parte, sine auxilio liturgiae. Debemus nos pastores, alii urgent, eis subvenire et difficultates eorum solvere conari.

Primum sapientioribus et senioribus auctoribus videtur quod, cum agitur de Liturgia, lingua latina est optima ac aptissima et non potest cedere alicui linguae modernae. Nam contra multos, qui de difficultate latinae linguae conqueruntur, dici debet quod in rebus liturgicis primus ac principalis finis est honor Deo debitus, non aedificatio aut instructio fidelium. Hinc norma principalis, cum de lingua liturgica agitur, non est utrum lingua quaedam sit apta vel utilis ad usus fidelium sed utrum sit efficax ad cultum Deo Omnipotenti proprium dandum. Qua de causa lingua latina est praestantior nam per mille annos huic linguae cultus Ecclesiae officialis ac preces commissae sunt. Haec lingua iam vero Patribus in Concilio Tridentino collectis ad hos usus approbata est.

Alia sunt argumenta magni momenti. Si ritus liturgici linguae modernae committuntur, necesse est librorum liturgicorum frequentissimas revisiones ac editiones edi; nam magnum est periculum quod in lingua moderna, sensu verborum per tempus mutato, veritates religionis revelatae ab aliis aliter intelligantur. Postremo per tot saecula lingua latina omnes Ecclesiae universalis clericos ex variis nationibus unitate coniungit.

Ab omnibus tunc admitti debet, ut videtur, quod lingua latina aptissima est ritibus liturgicis. Tot tamen sunt difficultates nostrorum laicorum, cum ad caerimonias appropinquant, ut nonnullam provisionem eis dare debeamus. Iamdudum licet nonnullis nationibus, sicut Gallis, Germanis, Sinis et aliis, approbante Sancta Sede, uti libris caeremonia-

rum, maxima de parte, lingua vulgata scriptis, secundum verba Sanctissimi Papae Pii Duodecimi in *Mediator Dei,* « In non paucis tamen ritibus vulgati sermonis usurpatio valde utilis apud populum existere potest ».

Mihi tunc videtur quod recte petere possumus in rebus liturgicis nonnullum idiomatis vulgati usum, praesertim cum agitur de administrandis sacramentis, latina retenta quoad substantiam, et sacramentalibus. Nam sacramenta tantum pertinent ad individuum subiectum et cuique personalem fructum et gratiam praebent. In visitandis infirmis ad Sanctam Communionem vel Sacramentum Extremae Unctionis administranda, necesse est quod infirmus intelligentia rituum in propria lingua administratorum, excitetur ad maiorem devotionem et fervorem. Non est dubium quin omnes qui adstent tumulo amici, consolationem et fortitudinem accipiunt, cum audiunt et intelligunt preces Ecclesiae tunc recitandas.

Nos pastores in rebus ad sacramenta pertinentibus regimur a principio a Theologis accepto: Sacramenta propter homines. Qua de causa volumus in his circumstantiis maximam opem dare accipientibus sacramenta. Cum lingua propria multum eis prodest, recitemus quam plurimas preces in eo idiomate. Similiter cum agitur de nonnullis benedictionibus, intelligent quod Ecclesia in populi Christiani tristitia et gaudio partem habet. Item in Missa, lectio Epistolae, Evangelii et aliarum partium Missae Catechumenorum lingua vernacula multum ad intelligentiam et pietatem fidelium cum Missae assistunt conferre potest.

2. *De Ieiunio Quadragesimali*

Praxis ieiunii ab initio servata, etiam a Patribus et Prophetis Veteris Testamenti, semper a sanctis colebatur et ad passiones regendas et ad poenitentiam agendam. Quae praxis ab exemplo D. N. I. C., qui quadraginta dies in monte ieiunavit, sanctificata est. Temporibus recentioribus, lex ieiunii per ecclesiam observata minus stricte intelligitur et nunc omnes, exceptis eis qui infirmitate corporis gravi laborant, hanc legem implere possunt. Hinc optandum est ut lex ieiunii quadragesimalis per totum orbem observetur.

3. *De Festis de praecepto observandis*

Festis de praecepto diebus, obligatio de abstinendo ab operibus servilibus, actibus forensibus, publico mercatu, nundinis aliisque publicis emptionibus et venditionibus difficile servari potest, in iis regionibus ubi

plurimi acatholici degunt, nam in his regionibus mercatura quotidiana agitur his diebus et permulti catholici qui occupantur in negotiatione publica vel qui funguntur officiis publicis sub directione gubernii, nonnisi maximo incommodo vel etiam detrimento, ab officio abesse possunt. Quare in regionibus de quibus supra, videtur nobis valde optandum esse ut obligatio de abstinendo ab operibus servilibus removeatur, firma manente obligatione Missae audiendae.

4. *De Religiosis*

Sanctae Sedi maxima est cura de officio et sanctitate clericorum. Temporibus recentibus accurate et pulchre descripta sunt omnia ad munera sacerdotum pertinentia in litteris a Sanctissimis Papis editis, praesertim in « Exhortatione ad Clerum Catholicum » Sanctissimi Pii Decimi; littera *Ad Catholici Sacerdotii* SS. Pii Undecimi et littera *Menti Nostrae* SS. Pii Duodecimi. Maxime optatur a Sanctissimis Papis ut sacerdotes sint praeclarissima sanctitate praediti.

Quae sanctitas non est petenda nisi secundum doctrinam rectam. Nam sacerdotes erunt sancti in quantum officio funguntur, quod eis assignatur ab Episcopo, successore Apostolorum sanctorum. Dominus noster, Iesus Christus, Ecclesiam hierarchicam instituit, in qua omnis potestas magisterii ac sacerdotii ac regiminis ad Episcopos pertinet. Hinc omnes sacerdotes, saeculares itemque religiosi, secundum ius divinum, pastoralem curam digne exercent in quantum sunt co-operatores Episcopi, partem eius potestatis habentes. Quae doctrina semper in Ecclesia docetur et clare definitur in legibus Codicis Canonici.

Nomen exempti, in quantum Religiosos quosdam afficit, nullo modo huic legi contradicit si accurate intelligitur. Nam hi religiosi, secundum Canones Codicis, subiecti esse debent Episcopo quoad munera episcopatus et administrationem curae pastoralis.

Non decet tunc quod videtur esse aemulatio inter clerum saecularem et clerum religiosum. Nam accidit quod in locis quibusdam, praesertim in oppidis urbibusque, cultus divinus exercetur eisdem horis in ecclesia paroeciali et ecclesia religiosorum, qui curam animarum non habent. Missae, diebus Dominicis et Festis, iisdem horis celebrantur; Confessiones eodem tempore audiuntur ut fideles inter duas ecclesias dispergentur, quasi sit distinctio et divisio inter officia in duabus ecclesiis peragenda. A qua aemulatione populus Dei scandalum accipit et vera religio detrimentum patitur.

Hinc omnis etiam species aemulationis, cum de cura pastorali agitur, removeatur. Providendum est:

A) Ne cultui divino qui in ecclesia paroeciali exercetur praeiudicium afferatur a caerimoniis peractis in ecclesia religiosorum, qui curam animarum non habent.

B) Ne licentia parochi, quae ad administrandum sacramentum Extremae Unctionis requiritur, a religiosis leviter praesumatur.

C) Ne quae pecunia ad causam piam vel religiosam etiam a religiosis exemptis quovis modo colligatur sine licentia Ordinari loci, audito parocho si Ordinarius id necessarium iudicet.

De Interpretatione quorumdam Canonum Codicis Iuris Canonici

Volumus ut eae leges, quas periti diverso modo interpretati sunt, in quantum fieri potest clarae fiant, e. g. canones 105, 1; 1037; 1971; 2197.

✠ EUGENIUS O'CALLAGHAN
Episcopus Clogheriensis

5

EXC.MI P. D. GULIELMI PHILBIN

Episcopi Clonfertensis (Clonfert)

28 iulii 1959

Eminentissime Princeps,

Inter varias materias quarum discussio prodesse posset Ecclesiae Dei velim omittere eas de quibus mentio publice facta est et unam tantum indicare de qua, inquantum scio, nihil adhuc dictum est:

Scilicet, investigationem num et quomodo extremae indigentiae cleri in aliquibus immensis regionibus etiam non-missionariis stricto sensu (v. g. America Meridionali) possibile sit subvenire ex abundantia sacerdotum in aliis partibus, vix ullo opere pastorali fungentium. Hodierna pericula videntur admonere necesse esse traditiones et regulas etiam longaevas, et etiam cum vita monastica connexas, posthaberi operi pastorali, praesertim in territoriis ubi periculum existit lapsus totarum regionum in apostasiam. Nullo alio modo videtur uberiorem fructum expectare conatum Ecclesiae.

Precor Deum Omnipotentem pro felici eventu totius operis Concilii

Oecumenici, necnon pro auxilio gratiae suae inspirante et adiuvante in labore Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae.

Cum omni reverentia et devotione erga Eminentiam Vestram sacram purpuram deosculor.

✠ Gulielmus Philbin
Episcopus Clonfertensis

6

Exc.mi P. D. IOANNIS AHERN
Episcopi Cloynensis (Cloyne)

25 mensis augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litteras Eminentiae Vestrae (Prot. N. I C/59-379) die 18 iunii, 1959, datas, laetus accepi in quibus rogasti ut animadversiones, consilia et vota mea circa res quae in futuro Concilio tractari poterunt Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico communicarem.

Pergratum mihi est voluntati Eminentiae Vestrae obsecundare. Bene scio quod sive Commissio ipsa sive Episcopi maiore experientia praediti proponent omnia negotia maioris momenti quae in Concilio Oecumenico tractari mereantur. Ideo in materia dogmatica nihil propono, in aliis materiis hoc unum proponere velim, nempe, necessitatem omni opera enitendi ut melius educentur et praeparantur ii qui in seminariis ad vitam pastoralem destinantur, ita ut in primis spiritu vere apostolico orationis et laboris et sui abnegationis imbuantur, et praeterea ut vitam parochi eiusque difficultates plenius cognoscant. Necesse est ut iuvenes, dum cursum in seminario agunt, in vita spirituali formentur et principiis disciplinarum theologicarum imbuantur, et insuper ut de usu et applicatione huius educationis in vita cotidiana ministerii instruantur. Non sufficit scientia mere theoretica ex libris et lectionibus hausta de vita pastoris et de difficultatibus eius, requiritur ut vitam parochi et vitam et mentem populi ei concrediti practice cognoscant. Hoc convenienter effici posset ope parochorum in ministerio pastorali vere peritorum dum alumni apud familias suas feriis aestivis vacant.

Et quo par est obsequio me profiteor,

Eminentiae Vestrae servum addictissimum

✠ Ioannes I. Ahern
Episcopus Cloynensis

7

Exc.mi P. D. CORNELII LUCEY

Episcopi Corcagiensis et Rossensis (Cork and Ross)

27-VIII-1959

Respondendo communicationi Prot. N. I C/59-402 pergratum mihi est significare Eminentiae Vestrae, cum omni debita observantia, quaedam capita quaestionum quas in futuro Concilio tractari velim.

I. *De Romani Pontificis infallibilitate*

Mihi videtur uberior definitio conditionum quae requiruntur ut locutio R. Pontificis infallibilitate polleat desideranda esse.

Doctrina catholica ita exponitur a Concilio Vaticano: « Definimus Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate, doctrinam fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam... infallibilitate pollere... ». Nostris temporibus difficultas eheu satis practica praecavenda est. Oritur ex illa Communistarum praxi (anglice « brain-washing ») qua victimas responsiones et sententias proferre inducunt quas ipsimet inculcant. An assistentia divina ita efficax postuletur ut locutio R. Pontificis — in manibus inimicorum — vi, metu vel quibusvis aliis psychologicis mediis inducta omnino excludenda sit necne? Si affirmative respondeatur, bene. At si negative, quomodo fidelibus apparebit locutionem R. Pontificis ab inimicis veritatis christianae inductam re vera non actum humanum sed mere actum hominis esse?

II. *De Ordine*

Ordines minores, subdiaconatus et diaconatus his temporibus officia nominalia potiusquam realia secumferunt. Forsitan noventur, e. g. ita ut apostolatui laicali directe subserviant. In specie in ecclesiis parochialibus nostris, propter multitudinem communicantium, singulis fere diebus requiritur qui sacerdotem in dispensanda eucharistia adiuvet: valde conveniens esset si Fratres Religionis Laicalis aut laici, ordine speciali muniti, mandatum eucharistiam distribuendi haberent.

III. *De cura animarum*

Onus pastorale hisce regionibus gravissime sacerdotibus dioecesanis incumbit, quorum numerus persaepe satis exiguus est comparatus ad

religiosos in vicinis. Optandum est ut sacerdotes religiosi a cura animarum non eximantur sed potius, sub auctoritate dioecesana, fidelibus vicinis inserviant.

Sacram purpuram humiliter osculans impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Vestrae, cui fausta quaequae a Domino adprecor.

Eminentiae Vestrae Rev.mae addictissimus
✠ Cornelius Lucey
Episcopus Corcagiensis et Rossensis

8

Exc.mi P. D. NIGELLI FARREN
Episcopi Derriensis (Derry)

19 aprilis 1960

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Cum Eminentia Vestra Reverendissima rogaverit ut sententias vel opiniones de rebus et argumentis, quae in Concilio Oecumenico tractari poterunt, Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae exprimam, sequentes animadversiones humillime propono.

1. Ne Ecclesia sua potestate in divisionem potius quam in unitatem uti videatur, suadere audeo ut a definitionibus sollemnibus, nisi reapse necessariae sint, abstineatur, ne schismaticis aliisque in gregem Domini reducendis officiant.

De praerogativis praesertim Beatae Mariae Virginis, cum necessitas non urgeat, ad tempus saltem ne quid amplius definiatur. Cum fidelis enim populus Dei Matrem tanto amore prosequatur, definitione non indiget ut credat; num haereticos ad credendum iuvabit sollemnis definitio?

2. Quarumdam insuper legum, quae disciplinam spectant, recognitioni tempus fortasse inveniri poterit. Quidam enim mores, qui ex se legem naturalem non violant, ob externas causas ab Ecclesia graviter damnati sunt, e. g. cadaverum crematio, cuius fautores praeteritis praesertim saeculis in Italia et in Gallia ex professo dogmata oppugnabant. Non autem in omnibus locis nec apud omnes populos, qui decursu temporis huiusmodi moribus adsuefacti sunt, hisce diebus inveniri potest haec haeretica mens vel intentio. Nonnullis igitur haereticis, qui malitia

non aguntur, quaedam disciplinares leges malis aliorum temporum accommodatae impedimento unitatis hodie esse videntur.

3. De diebus festis aliqua mutatio facienda esse mihi videtur. Prohibitio enim operum servilium conscientias multorum adhuc gravat, cum in regionibus praesertim acatholicis sub conductoribus saepe acatholicis operarii catholici ab operibus servilibus abstinere reapse non possint; alteri obligationi per Missas vespertinas his diebus facilius satisfacere queunt. Sequentia igitur proponere velim; dividantur dies festi de praecepto in duo genera: sint pauci maiores, quibus tenentur fideles Missae adsistere et ab operibus servilibus abstinere; reliqui habeantur ut minores, quibus fideles onerantur sola adsistentiae Missae obligatione, cui vespere post expleta opera respondere possunt.

4. Item, si Ordinariis ex lege liceret pro prudenti arbitrio facultatem binandi etiam diebus feriis impertiri, nonnihil iuvaret praesertim ubi multi ex fidelibus Missae quotidie adsistere cupiunt vel in paroeciis ubi plures sunt ecclesiae quam sacerdotes, cum haud semel accidit ut vel nuptialis Missa vel exsequialis omitti debeat. Vespertinis quoque Missis celebrandis multum adiuvaret huiusmodi concessio.

5. Tandem, apud nos fere omnes fideles liturgiae Hebdomadae Sanctae adsistere cupiunt. In nostris autem paroeciis, praesertim ruralibus, plures generatim sunt ecclesiae, cum una toti gregi servire facile non possit, nisi multiplicatis Missis et functionibus. Ergo, si plures sunt in paroecia ecclesiae quam sacerdotes vel si unica ecclesia omnes uno tempore excipere non potest, notabilis pars fidelium excluditur a liturgia quam semel tantum licet peragere. Optandum igitur esset ut Ordinario liceret per Hebdomadam Sanctam facultatem binandi etiam in eadem paroecia sacerdotibus concedere.

Qua par est reverentia, Eminentiae Vestrae Reverendissimae

servum addictissimum me profiteor

✠ NIGELLUS FARREN
Episcopus Derriensis

9

EXC.MI P. D. DANIELIS MAGEEAN

Episcopi Dunensis et Connorensis (Down and Connor)

Die 22 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Gratias tibi referro pro litteris tuis, die 7[ma] iulii datis, de Concilio Oecumenico.

Quae sequuntur digna mihi videntur de quibus in Concilio tractari possit:

1. De identitate Ecclesiae militantis cum corpore mystico Christi.
2. De mediatione Beatae Mariae Virginis.
3. De unicitate actus oblationis Christi in Cruce et in Missa (sc. de anima sacrificii).
4. De relationibus inter Ecclesiam et Statum civilem.

In praedicatione cleri ad populum: solida instructio, et quidem saepius repetita, de Deo eiusque attributis; de mysterio Incarnationis Domini Nostri.

Foveatur cotidiana recitatio Rosarii.

Commendatur fidelibus cooperatio in opere Missionum.

Cum ea qua par est reventia, Eminentiae Vestrae,

In Domino servus addictissimus

✠ DANIEL MAGEEAN

Episcopus Dunensis et *Connorensis*

10

EXC.MI P. D. EUGENII O'DOHERTY

Episcopi Dromorensis (Dromore)

Die 28 aprilis 1960

1. Quomodo Ecclesiae Orientales dissidentes cum Ecclesia Romana reconciliari possunt?
2. Quomodo sectae acatholicae in gremium Ecclesiae congregari possunt?

3. Utrum devotio erga Iesum Christum plus promoveri non debeat, cum, apud multos, devotiones hodiernae populares aliquantulum obscurare videntur, quod Ille et non alius per passionem et mortem mundum redemit?

4. Utrum in festis de praecepto obligatio Missae audiendae retineri non possit, obligatione abstinendi ab operibus servilibus remota?

5. Utrum in conditionibus orbis terrarum hodiernis, disciplina Ecclesiae de crematione modificari non possit aut debeat?

6. Utrum sacerdotes et saeculares et regulares per regiones orbis terrarum melius distribui possint?

7. Utrum Episcopus in sua dioecesi maiorem auctoritatem habere non debeat super domos et membra et operationes membrorum exemptas Institutionis vel Ordinis, sive clericalis sive laicalis, praecipue si agitur de cura animarum vel de scholis?

8. Utrum bono fidelium non melius consuleretur si privilegium Confirmationis in periculo mortis administrandae ad plures quam parochos extenderetur?

✠ EUGENIUS O'DOHERTY
Episcopus Dromorensis

11

EXC.MI P. D. IOANNIS C. McQUAID
Archiepiscopi Dublinensis (Dublin)

Die 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi perpaucas has quae sequuntur animadversiones, omni quo par est obsequio, ad Commissionem Pontificiam Antepraeparatoriam, cui praeest Eminentia Vestra Reverendissima, brevi sermone redactas transmittere.

Quodsi ex iis aliquae propositiones iam satis tractatae fuerint, nihilominus ausim opinari eas dignas esse quae magis formaliter in Concilio Oecumenico excutiantur.

Interea impensos animi sensus testificatus, Eminentiae Vestrae Reverendissimae me profiteor in Christo addictissimum,

✠ IOANNES CAROLUS McQUAID
Archiepiscopus Dublinensis

I. Doctrinae capita

A) *In re dogmatica.*

1. Iterum affirmetur doctrina catholica de peccato originali eiusque effectibus quo efficacius corrigantur permulti errores moderni.

2. Explicetur vera doctrina et formalis detur condemnatio errorum evolutionis, polygenismi, existentialismi, necnon socialismi et communismi.

3. De vero sensu Corporis Christi Mystici: quinam pertinent ad Ecclesiam Christi?

4. De fontibus Revelationis:

a) quaenam sit relatio Sacram Scripturam inter et Traditionem?

b) quomodo intelligi debeant diversi Sacrae Scripturae sensus, praesertim « sensus plenior »?

5. De Magisterio:

a) obiectum secundarium magisterii infallibilis Ecclesiae,

b) potestas et magisterium episcoporum residentialium.

6. Discussio hodierni erroris contra veram doctrinam de Verbi Dei exinanitione et de Dei simplicitate.

7. Excutiantur doctrina et definibilitas doctrinae de Beata Maria Virgine ut omnium gratiarum Mediatrice.

8. Exponatur vera relatio fidem supernaturalem inter et scientiam naturalem ut evitentur novi Gnosticismi pericula orta ex doctrinis de valetudine mentali.

9. Explicetur vera doctrina philosophica contra quam maxime vigent errores de analysi linguistica, de positivismo logicali, de symbolorum theoria.

B) *In re morali.*

1. De moralitate sic dicta Nova: Ethica « Situationis », « Moral Rearmament ».

2. Formalis condemnatio errorum contra matrimonium christianum, eiusque usum.

3. Moralitas bellum gerendi cum armis nuclearibus, vel huiusmodi arma parandi.

4. Utrum ratione habita huius aevi conditionum notio operum servilium modificari debeat?

5. Reductio magis uniformis festorum de praecepto.

6. Modificatio legis de ieunio et abstinentia ita ut observatio legis fiat magis uniformis.

II. Disciplina cleri et populi christiani

A) *In re liturgica.*

1. Ordinario detur licentia permittendi ut versiones Sacrae Scripturae ex lingua Hebraica vel Graeca in vernaculam redactae in cultu publico adhibeantur.

2. Hora Vigiliae Paschae accommodetur conditionibus uniuscuiusque territorii.

3. Optandum ut Codex S. Liturgiae redigatur.

B) *In re canonica.*

Codicis Iuris Canonici redactio nova in qua, salvo praescripto Motu Proprio Benedicti PP. XV « Cum iuris canonici » (15 sept. 1917), III, per canones aut paragraphos aut clausulas aut verba inserenda vel omittenda, ratio sequentium praesertim habeatur:

1. Legislatio iam facta, sive per actus Summi Pontificis expeditos in forma Motu Proprio aut Constitutionis Apostolicae, sive per interpretationes authenticas Commissionis Pontificiae ad Codicis canones interpretandos, sive per alia responsa et decreta et Instructiones Sanctae Sedis.

2. Simplificatio iuris Codicis in quantum optabilis vel necessaria iudicetur, e. g., quoad reservationem et absolutionem peccatorum et censurarum, vel quoad confessarii facultatem dispensandi in iure matrimoniali vi can. 1043-45.

3. Solutio dubiorum in canonibus qui in Codice pro Ecclesia Orientali nullo dubio laborant.

4. Reparatio lacunarum legis, maioris saltem momenti, necnon insertio normarum quae provideant:

a) de doctrina iuridica vigenti quae normas in Codice mereri videtur, e. g., de potestate Summi Pontificis dissolvendi matrimonium in favorem fidei ex privilegio Petrino, de constitutione et operatione Apostolatus Laici in Actione Catholica;

b) de quavis propositi Concilii Oecumenici legislatione quae normas in Codice merebitur. Ita forsitan novae desiderarentur normae, ad quaestiones hic propositas quod attinet, si forte consideratio mergens in legislationem fiat de visitatione paroeciali, de opere servili, de ieiunio et abstinentia, de reductione festorum de praecepto, de ampliando facultates Ordinario loci a iure concessas.

III. Actuositas ecclesiae

1. Apostolatus Laicus in Actione Catholica: Eius natura, constitutio, relatio ad Hierarchiam. Membrorum praeparatio adaequata.

2. Institutio pastoralis utriusque cleri necnon Religiosarum quo melius curam religiosam et socialem exercere valeant praesertim operariorum, agricolarum, et adolescentium.

3. Visitatio domuum pastoralis eo ut curam animarum habentes oves suas cognoscere, et librum status animarum accurate conficere possint.

4. Talis fiat decentralizatio administrationis ecclesiasticae qualis loci Ordinario maiorem potestatem praesertim a iure concessam committat.

5. Enixe optandum est ut citius expediantur causae matrimoniales necnon causae beatificationis et canonizationis, et ut loci Ordinario permittatur ut instrueret processum super matrimonio rato non consummato.

6. Optandum etiam ut de actibus Sanctae Sedis Ordinariis locorum prius detur notitia quam mediis divulgandi saecularibus.

7. Acceptatio linguae Anglicae (quae hodie universalis est lingua) uti unius ex linguis a Sancta Sede adhibendis in processibus super matrimonio.

IV. Negotia maioris momenti

1. Praeparetur via ad unionem fratres separatos inter et Catholicos, clarius exponendo notionem Ecclesiae Christi genuinam cum speciali consideratione notarum unitatis et Catholicitatis.

2. Quibusnam mediis uti potest Ecclesia ad mundi pacem conservandam ratione habita progressus scientifici nuclearis et extra-spatialis?

✠ Ioannis C. McQuaid
Archiepiscopus Dublinensis

12

Exc.mi P. D. VINCENTII HANLY
Episcopi Elphinensis (Elphin)

Die 4 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Cum Eminentia Vestra Reverendissima consilia votaque mea respicientia rerum capita in futuro Concilio Oecumenico tractanda quaerere digneris, ego, consilio virorum ecclesiasticorum peritorum capto, velim haec in folio annexo puncta pleno obsequio Vobis mittere.

Deosculans Sacram Purpuram, permaneo in Domino,

Addictissimus Eminentiae Vestrae servus
✠ Vincentius Hanly
Episcopus Elphinensis

1. De mediis reconciliandi ecclesias dissidentes sub unitate Corporis Mystici Christi.
2. De relatione Ecclesiam visibilem inter ac Corpus Mysticum Christi.
3. De quaestione definiendi doctrinam mediationis universalis Beatae Virginis Mariae.
4. De meliori distributione sacerdotum utriusque cleri in auxilium regionum catholicorum inopia sacerdotum laborantium.
5. De disciplina religiosorum deque notione et extensione exemptionis relate ad opus sacri ministerii et magisterii in dioecesibus exercendum.
6. Utrum, in linea analogiae canonis 882, potestas administrandi sacramentum Confirmationis conferri debeat omnibus sacerdotibus in casibus periculi mortis?
7. De usu linguae vernaculae in officio divino recitando et in sacramentorum administratione.
8. De cleri institutione et praesertim de formatione specifica ad opus actionis catholicae et apostolatus laicalis promovendum.
9. De apostolatu laicorum deque relatione sacram hierarchiam inter et laicos in apostolatu conscriptos.
10. De communicatione inter catholicos et haereticos.

✠ Vincentius Hanly
Episcopus Elphinensis

13

Exc.mi P. D. IACOBI STAUNTON
Episcopi Fernensis (Ferns)

Die 25 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litteris Eminentiae Vestrae Reverendissime benignis, circa res quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt, grate receptis, haec pauca habeo humillime suggerenda.

1. Circa doctrinae capita, ut nullum novum fidei dogma a Concilio definiatur, nisi definitio ad depositum fidei conservandum vere necessaria sit, et nullum omnino ad solam pietatem fovendam, ne definitiones non necessariae conversione acatholicorum seu unioni cum ecclesia catholica orthodoxorum obstent.

2. Circa disciplinam cleri, ut in curriculo seminariorum ars et ratio doctrinam christianam in scholis docendi, in ecclesiis praedicandi et ubique explicandi, sermone claro ad captum fidelium sive iuvenum sive adultorum accommodato, tota scilicet ars eloquendi et docendi, locum praestantiorem teneat, ut clerus ad praeceptum gravissimum Domini Nostri optimo modo adimplendum bene praeparentur.

3. Circa Missam:

a) ut in initio Missae psalmus « Iudica » omittatur, sicut in Missis pro defunctis et ut, in fine, evangelio Sancti Ioannis a celebrante post Missam secreto recitato et omissis precibus in lingua vernaculari dicendis, Missa cum « Ite missa est » et benedictione populi finiatur;

b) ut in Missis publicis non solemnibus, diebus dominicis et festis de praecepto celebrandis, epistola et evangelium in lingua vernaculari sola, facie ad populum, a celebrante legantur. Aliquae epistolae paucae quae aevo post-apostolico magis conveniunt forsitan mutentur pro epistolis aliis quae omni aevo accommodentur;

c) Quaestiones de usu maiore linguae vernacularis in responsionibus inter Missam disceptari poterunt.

4. Circa Officium Divinum:

a) ut latinitas psalmorum in psalterio novo recenseatur in ordine ad maiorem harmoniam in legendo;

b) Ut lectiones nocturni secundi recenseantur in ordine ad maiorem veritatem historicam in lectionibus historicis et ut lectio unaquaeque generatim in una columna breviarii contineatur;

c) ut clero ad libitum liceat psalmos totius officii et Scripturam in primo nocturno occurrentem in lingua vernaculari per quartam saltem anni partem recitare, eo fine ut clerus Scripturam Sacram melius capere et in praedicando facilius uti possit.

5. Quanquam mutationes magnas in disciplina seu administratione Ecclesiae non desidero, proposita practica, bene considerata et a clero pastorali sine aliqua difficultate gravi exsequenda, quae populum cum ecclesia magis unient seu fideles ad cultum divinum allicient vel infideles ad veritatem attrahent, a me libenter audientur. Sed ipse nulla alia sufficienter quad effectus considerata habeo, ut ea Commissioni proponam.

Haec pauca dum Eminentiae Vestrae Reverendissimae nota facio, omnia bona, felicia et fausta Eminentiae Vestrae et Commissioni Antepraeparatoriae a Domino ex corde adprecor, meque profiteor

addictissimum in Domino
✠ Iacobus Staunton
Episcopus Dioecesis Fernensis

14

Exc.mi P. D. MICHAELIS BROWNE

Episcopi Galviensis et Duacensis (Galway and Kilmacduagh)

18 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Ad litteras Eminentiae Vestrae respondentes materias sequentes tamquam consideratione Concilii Oecumenici dignas submittimus:

I. *De Doctrina*

Accuratius et plenius explicetur *a*) relatio Summi Pontificis ad episcopos dioecesanos. Nimia centralizatio regimen dioeceseos difficile reddit et Ecclesias dissidentes ad unionem adversos facit. *b*) Doctrina: « Extra ecclesiam nulla salus ».

II. *Ius Canonicum*

a) Leges de iudiciis ecclesiasticis quae proceduram in Italia et Gallia vigentem sequuntur valde inconvenientes sunt in omnibus regioni-

bus ubi systema Anglicum viget, quia populus non habet confidentiam in processibus secretis.

b) Lex abstinendi ab operibus servilibus ad conditiones modernas accomodanda est.

c) Potestas Episcopi quoad regulares omnes firmanda et augenda est, si Episcopus veram auctoritatem et obligationem ad religionem tutandam promovendamque in sua dioecesi habeat.

Religiosi cleri dioecesani copiam sufficientem impediunt: numquam ex eorum collegiis adspirans ad clerum saecularem venit; iuvenes omnes ad sua instituta dirigunt.

Numerus religiosorum crescit: in urbibus et oppidis plures in desidia inveniuntur; numquam ad paroecias rurales et pauperiores destinantur. Ecclesiae eorum magnificentius et luxuriose ornantur ex frequentibus collectis dum ecclesiae rurales paupertate opprimuntur.

Praeterea religiosi ad fastum et novitates populi appellant, novas et theatrales devotiones excitant, obligationes et officia vitae christianae non eadem vi praedicant.

d) Votum paupertatis non mere ad individua membra sed ad ipsum ordinem et congregationem applicandum est. Quia cupido pecuniae nefasta consectaria gignit etiam cum pro instituto colligitur. Tunc pro ecclesiis, collegiis, domibus aedificandis et ornandis omnia licent. Religionis agros, investimenta et etiam industrias et commercia enormis valoris habent ad maximum scandalum fidelium et infidelium.

e) Breviarii Romani revisio quam citissime publicanda est.

III. *Quoad activitatem pastoralem Ecclesiae*

a) Doctrina socialis Ecclesiae clarius explicanda est quoad competentiam Status in rebus ad personam civis, e. g. sanitatem, secreta, respicientibus.

b) Diaria diurna et periodica religiosa nunc ab unaquaque communitate religiosa producuntur, sed sunt parvi et inferioris valoris. Desiderandum ut in dioecesi ad unum vel paucos coadunentur.

c) Quoad missiones Catholicas requiritur ut certamen et certatio inter religiosa instituta cohibeantur et unitas in petenda stipe pro missionibus omnibus instituatur.

Et Deus ...

✠ MICHAEL BROWNE
Episcopus Galviensis et Duacensis

15

EXC.MI P. D. DIONYSII MOYNIHAN

Episcopi Kerriensis (Kerry)

11 aprilis 1960

My Lord Cardinal,

I very humbly send my suggestions in response to the appeal from the Pontifical Commission which is charged with the work of preparation for the Ecumenical Council, and I very sincerely apologise for the delay.

With sentiments of the most profound respect,

I remain, my Lord Cardinal.
Yours sincerely in Christ,
✠ DENIS MOYNIHAN
Bishop of Kerry (Ireland)

I. *Doctrina.*

1. Obiectum magisterii infallibilis Ecclesiae.
2. Natura, obiectum et auctoritas magisterii episcoporum residentialium.
3. Clarificatio doctrinae de relatione inter Sacram Scripturam et Traditionem uti fontes revelationis.
4. Discussio de mediatione universali Beatae Virginis Mariae.
5. Significatio plena et implicationes Corporis Mystici Christi.
6. Clarificatio vel modificatio legis abstinendi ab operibus servilibus, eo ut observantia legis ex parte fidelium fiat magis uniformis et universalis.
7. Examinatio conditionum traditionalium pro bello iusto gerendo, prae oculis habito progressu scientifico in evolutione virium nuclearium necnon in exploratione spatii.
8. Doctrina vera de finibus matrimonii exponenda contra errores modernos, et speciatim contra eos qui hedonismum sexualem, contra conceptionem et inseminationem artificialem respiciunt.
9. In doctrina Ecclesiae sociali, expositio doctrinae verae de relationibus inter dominos et opifices, quae specialem habeat rationem et

obligationis opificum iustum opus pro mercede iusta tribuendi et obligationis dominorum sociationem et conresponsabilitatem in industria fovendi.

II. *Disciplina.*

1. Editio catechismi simplicis pro universa Ecclesia.
2. Redactio ultima et definitiva Breviarii.
3. Consideratio usus linguae vernaculae in Liturgia.

III. *Actuositas.*

1. Praeparatio specialis utriusque cleri necnon monialium aliarumque religiosarum in doctrinis et artibus quae ad novas formas apostolatus exercendas requiruntur.
2. Expositio doctrinae verae de natura, constitutione et operatione Apostolatus Laici et Actionis Catholicae.

IV. *Negotia Maioris momenti.*

1. Communitatum separatarum reunio cum Apostolica Sede.
2. Redactio nova Codicis Iuris Canonici, quae rationem praesertim habeat totius legislationis iam factae post Codicis promulgationem.

✠ D. Moynihan
Episcopus Kerriensis

16

Exc.mi P. D. THOMAE KEOGH
Episcopi Darensis et Leighliensis (Kildare and Leighlin)

Carloviae, die 3 augusti 1959

Eminentia Vestra,

Litterae Vestrae, die 18 mensis iunii huius, ad me rite pervenerunt.

Pauca tantum mihi occurrunt Eminentiae Vestrae significare de rebus in proximo Concilio Oecumenico discutiendis.

a) *Imprimis de Doctrina et speciatim de Mariologia.*

Sunt, fortasse permulti, qui nunc volunt doctrinam quae tenet Beatam Mariam Virginem esse *co-redemptricem* infallibiliter definiendam

esse. Mihi consultoribusque meis videtur id non expedire, quia, breviter, quamquam haec doctrina possit theologice defendi, erit semper periculum ne male intelligatur a fidelibus, et non-catholicis sit lapis offensionis.

Idem dicendum est de doctrina in aliquibus tractatibus recentibus proposita, quae tenet Beatam Mariam Virginem Redemptionem nostram de condigno meruisse. Hoc videtur nimis progredi, siquidem illa statueret paritatem essentialem Mariam inter et unicum Salvatorem nostrum Iesum Christum.

b) *De Disciplina.*

Tota sectio Codicis Iuris Canonici *de delictis et poenis* est nimis involuta et difficilis intellectu — et in locis dubia — ita ut clerus et Confessarii de ea non habeant expeditam et claram scientiam, et praeterea, tot sint interpretationes canonistarum, e. g., de censuris *ab homine* earumque reservationis, ut possit nunc vere dubitari quaenam sit obligatio Legis.

In hac sectione clarificatio et abbreviatio valde desiderandae sunt.

Etiam desiderandum est ut Episcopi residentiales habeant iurisdictionem ordinariam seu facultatem erigendi Stationes Viae Crucis in suis dioecesibus, ita ut possint eam delegare etiam habitualiter.

Humiliter petens indulgentiam Vestram si quae scripsi minus placeant, permaneo.

Cum obsequio profundo addictissimus Vester

✠ T. KEOGH
Episcopus Darensis et Leighliensis

17

EXC.MI P. D. PATRICII O'BOYLE
Episcopi Alladensis (Killala)

24 aprilis 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Episcopus Alladensis ad Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico humillime et obsequentissime refert vota scripta in litteris adnexis quae sibi visa sunt idonea quae in futuro concilio Oecumenico tractentur.

Interim Eminentiae Vestrae manus humillime deosculans maxima cum veneratione me profiteor

Humillimum, devotissimum, obedientissimum servum,
Eminentiae Vestrae

✠ PATRICIUS O'BOYLE
Episcopus Alladensis

1. Ut facultas Sacramentum Confirmationis periculo mortis gravi ex morbo versantibus administrandi, iam delegata vicariis in canonibus 471 et 472.1 tamquam Sacramenti Confirmationis ministris extraordinariis secundum Decretum « Spiritus Sancti Munera » (S. Congr. de Sacramentis, 14 sept., 1946, *A.A.S.* 38-349) etiam vicariis nominatis in Cann. 474, 475, 476, delegetur, pro eis casibus eisque sub conditionibus quae in Decreto « Spiritus Sancti Munera » memorantur.

2. Ut cum Extrema Unctio non debet iterari propter id tantum quod aegritudo sit diuturna, etsi perduret idem periculum mortis, reprobetur praxis iterandi Extremam Unctionem mensis intervallo, nisi infirmus in aliud vitae discrimen inciderit.

3. Ut relate ad can. 1097 declararetur utrum sit solus parochus catholicae partis qui potest licite assistere matrimoniis mixtis an habeat parochus baptizati acatholici eadem iura et obligationes quae habet quoad catholicos paroecianos.

4. Ut perpenso quod ipsi rerum physicarum periti asseverant globum hydrogenii vi displodentem multo magis esse exitiosum quam pyrobolum athomicum, adeo ut effectus perniciosi vix loco contineri possint, eiusdem usus — quod quidem multis iam theologis visum est — cum sit belli tam atrox instrumentum, plane illicitus declaretur, nec ulla sive utilitate sive necessitate permittendus.

5. Ut cum sit periculum ne sine causa sufficienti reis etiam peccati mortalis leves imponant satisfactiones, moneantur confessarii ut rationem habeant Can. 887, ubi edictum est ut « pro qualitate et numero peccatorum et conditione poenitentis salutares et convenientes satisfactiones confessarius iniungat ... ».

Etsi enim principia theologica de satisfactione sacramentali nota sunt — scilicet apud auctores recitatio quinque decadum Mariae Rosarii, vel aequivalens, minima est quae satisfactio vocetur gravis — ideoque et Concilium Tridentinum et Rituale Romanum instant gravi pro peccato levem non esse imponendam satisfactionem, nisi adsint causae minuendi satisfactionem sacramentalem, sunt tamen confessarii non pauci

qui propensi sunt ad satisfactiones leviores iniungendas pro peccatis gravibus.

6. Ut universalis Beatae Virginis Mariae mediatio tamquam divinitus revelata et de fide tenenda definiatur.

Quae doctrina cum memoratur non solum pluribus in orationibus piisque fidelium exercitationibus, sed etiam auctorum operibus spiritualium doctissimorumque theologorum, porro his proximis annis Summorum Pontificum in allocutionibus saepe respiciatur, affirmari potest universalem Beatae Virginis Mariae mediationem communem esse Ecclesiae doctrinam. Posteaquam Pius Pp. IX Litt. Encycl. *Ineffabilis Deus* peroravit, Mariam invocando totius generis humani mediatricem et conciliatricem, successores in Summo Pontificatu illius tituli mediatricis altius ac diligentius excoluerunt.

Nam Leo Pp. XIII imprimis significavit nisi per Mariam Matrem ad Christum Dominum non esse accedendum (Litt. Encycl. *Octobris Mense* 1891). S. Pius Pp. X docet Beatam Virginem Mariam esse gratiarum omnium mediatricem (Litt. Encycl. *Ad Diem,* 1904). Benedictus Pp. XV in Litt. Apost. *Inter Sodalicia* 1918, etsi vocem quidem co-redemptricis non profert, conceptum tamen clare exprimit. Pius Pp. XI ad finem Anni Sancti 1933 Mariam titulo co-redemptricis publice invocavit. Denique quid sit munus Mariae cum mediatricis tum redemptricis a Pio Pp. XII ill. mem. sub finem Litt. Encycl. *Mystici Corporis* 1943, pulchre et summatim exprimitur.

Quae cum ita sint, proximum Concilium Oecumenicum admodum opportunam videtur afferre occasionem investigandi utrum communis illa doctrina possit etiam definiri.

Qua de quaestione haud ab re erit animadvertere, quod attinet ad historiam, similitudinem quandam doctrinam inter Immaculatae Conceptionis et universalis Beatae Virginis Mariae mediationis.

Illa quidem etsi tandem definita diuturne tamen quibusdam theologis vel maximis — inter quos S. Bonaventura, S. Albertus Magnus, S. Thomas — non acceptabilis, quia quomodo cum doctrina de peccato originali reconciliari posset adhuc non videretur.

Similiter etsi disputatur, summo perspecto studio quo fideles pulchrae illae doctrinae hodie intendunt, inquirendum videtur an Divina Providentia his praesertim temporibus ad sollemnem definitionem Beatae Virginis Mariae mediationis universalis viam expediat.

PATRICIUS O'BOYLE
Episcopus Alladensis

18

Exc.mi P. D. IOSEPHI RODGERS

Episcopi Laoniensis (Killaloe)

12 aprilis 1960

Em.me Pater,

Maxime me dolet quod suggestiones — licet paucae sint — a me die 20 mensis augusti anni 1959 ad Pontificiam Commissionem transmissae, aliquo casu inexplicabili ad Vos non pervenerint.

Exemplaria illarum suggestionum quae apud me habeo iterum ad Vos per tabellarios publicos assignatos transmitto.

Interim precor Deum omnipotentem ut diu Vos sospites incolumesque conservet.

Servus vester addictissimus et oboedientissimus

✠ Iosephus Rodgers
Episcopus Laoniensis

1. De sacerdotum paucitate in aliquibus regionibus.

Cum in dies apparet maximam esse paucitatem operariorum in vinea Domini, haud dubium est quin summa cum diligentia providendum sit ut fides catholica conservetur et propagetur. In hoc opere valde laudando mihi videtur sacerdotes religiosos plus operis praestare possint. Porro opus erit Concilio rationes modosque vocationes fovendi inter iuvenes idoneos considerare. Hac in re modus instituendi seminaristas adhuc in aliquibus regionibus vigens debet plene et caute investigari.

2. De usu linguae patriae in Sacramentorum administratione.

Cavendum et providendum est ut per universam Ecclesiam Catholicam, in quantum possit fieri, praxis linguae patriae utendae constans sit. Tempore praesenti talis constantia deest.

3. Valde desiderandum ut doctrina Mystici Corporis exponatur et elucidetur modo laicis ordinariis clare intelligibili et fructuoso.

4. Ut doctrina catholica quae tenet Beatissimam Mariam Virginem esse Mediatricem omnium gratiarum declaretur ut « de fide » si opportumum videatur.

✠ Iosephus Rodgers
Episcopus Laoniensis

19

Exc.mi P. D. AUGUSTINI QUINN
Episcopi Kilmorensis (Kilmore)

Cavan, die 6 aprilis 1960

Reverendissime Pater,

Litteris diei 21 martii acceptis, animadversiones sequentes humiliter proferre volo.

a) Cum multi, praecipue operarii, legem abstinendi ab operibus servilibus in diebus festis vix servare possint, relaxatio quaedam in hac lege, salva audiendi Missam obligatione, concedi potest.

b) Numerus Congregationum Missionariarum his in temporibus ita auctus est ut eleemosynae pro opere missionario eiusdem generis et quidem in eisdem regionibus perspiciendo, pluries unoquoque anno petantur. Fideles saepius impugnati donationes suas in dies minus libenter contribuere inveniuntur. Dici potest foederationem quandam Societatum huiusmodi in similes fines institutarum esse optabilem, eo ut opus missionum, auxilio generosius praebito, melius promoveatur.

Qua par est reverentia me profiteor

Paternitati Tuae addictissimum
✠ Augustinus Quinn
Episcopus Kilmorensis

20

Exc.mi P. D. HENRICI MURPHY
Episcopi Limericiensis (Limerick)

Die 12 decembris 1959

Eminentissime Domine,

Me maxime paenitet morae longae in respondendo litteris E. V. (Prot. N. 1 C/59, 750), sed cum breve tantum tempus abhinc episcopus electus essem et ideo officio pastorali peritia practica adhuc indigeam, suggerere dubito quae in futuro Concilio Oecumenico tractentur, et re-

linquere vellem res discutiendas senioribus sapientioribusque Exc.mis Episcopis.

Spero, autem, fore ut in Concilio magna opera a Patribus detur rebus Apostolatus practicis, e. g., 1) laici Apostolatus confirmatio et ordinatio, et 2) fidelium in rebus liturgicis participatio, quae res hodie tanti momenti sunt ad fidem catholicam moresque servandos et propagandos.

Dum manus E. V. reverenter deosculor me profiteor

Eminentiae Vestrae humillimum servum

✠ Henricus Murphy
Episcopus Limericiensis

21

Exc.mi P. D. IOANNIS A. KYNE
Episcopi Midensis (Meath)

20 aprilis 1960

Episcopus Midensis in Hibernia humiliter proponit argumenta sequentia tractanda in Concilio Oecumenico.

De S. Theologia. De B. V. Maria corredemptrice et omnium gratiarum mediatrice.

De S. Scriptura. De Libri Genesis interpretatione.

De iure Canonico. De reformatione Codicis Iuricis Canonici; speciatim de lege incardinationis et de confessionibus monialium.

De Liturgia. De reformatione Breviarii Romani; de editione nova Caeremonialis Episcoporum et Pontificalis Romani.

Et Deus etc.

✠ Ioannes Kyne
Episcopus Midensis

22

Exc.mi P. D. PATRICII COLLIER

Episcopi Ossoriensis (Ossory)

17 aprilis 1960

Em.me Domine,

Doleo mora in mittendo responsionem meam ad Vestram Prot. N. I C/59. Per annum, passus sum multum propter *defectum visus* mei, et arthritis, et invalidus fui, omne quod operam meam multum impedivit.

Veniam da mihi, si Vobis placet.

✠ Patricius Collier
Episcopus Ossoriensis

Omnibus plene consideratis (ut positis Prot. N. 1 C/59) cum Capitulo Dioecesano, cumque professoribus Seminarii, necnon cum aliis sacerdotibus peritis et prudentibus, submittimus sequentia Consilia, Vota, et Animadversiones pro Concilio Oecumenico:

A) Ad fructuosiorem participationem fidelium in sacrificio Missae, nobis videtur esse necessarium habere *usum pleniorem* linguae vernaculae: id est omnia ante et post Canonem Missae in lingua vernacula, Canon Missae semper in lingua Latina.

In Sacramentis, et aliis liturgicis officiis, *forma sacramenti* semper in lingua Latina, omnia alia in lingua vernacula.

Lingua vernacula in Sacramentalibus, et in aliis omnibus benedictionibus, ut benedictiones novarum ecclesiarum et scholarum.

B) Ad augendam potentialem sacerdotalem in Ecclesia, nobis videtur esse valde utile ut omnibus sacerdotibus, saecularibus et regularibus, facultatem concedere celebrandi 2 aut 3 Missas, diebus feriis, propter gravem penuriam sacerdotum in multis regionibus ecclesiae ut America-Latina, Africa et caet. ad breve tempus, et dum inopia sacerdotum perdurat.

Iterum, videtur esse possibile curtare cursum philosophicum-theologicum ad 4 annos, ad breve tempus, et propter magnam penuriam sacerdotum.

Omni quo par est obsequio, Eminentiae Vestrae in Christo humillimus servus

✠ Patricius Collier
Episcopus Ossoriensis

23

EXC.MI P. D. GULIELMI MACNEELY

Episcopi Rapotensis (Raphoe)

Die 25 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Nuper accepimus epistolam Vestram de rebus tractandis in futuro Concilio Oecumenico.

Pergrata nobis est Summi Pontificis fel. regn. sollicitudo pro reditu sectarum dissidentium ad unitatem Sanctae Romanae Ecclesiae.

Post diligentem considerationem, nobis visum est sequentes quaestiones utiliter tractari posse in Concilio.

I. Quaestio hodie tam agitata de natura Cooperationis Beatae Mariae Virginis in actu Redemptionis.

II. Quaestiones hodie ortae ex usu modernorum instrumentorum in bello; necessitas directionis his de rebus, tam pro individuis christianis quam pro gubernatoribus Status.

III. Errores nati ex progressu materialismi et spiritus naturalismi. Urgens necessitas affirmandi principia absoluta.

IV. Studium adhuc desideratum circa veram notionem Actionis Catholicae et Apostolatus Laicalis, necnon de eorum mutuis relationibus.

Fausta quaequae a Domino adpraecans, remaneo Eminentiae Vestrae

addictissimus servus in Domino

✠ GULIELMUS MAC NEELY
Episcopus Rapotensis

24

EXC.MI P. D. IOSEPHI WALSH

Archiepiscopi Tuamensis (Tuam)

Die 9 aprilis 1960

Ill.me et Em.me Domine,

Litteris diei 21 martii 1960 iam receptis mihi magno est honori responsum dare.

Benignitate et mansuetudine Eminentiae Vestrae inductus animadversiones cum libertate et sinceritate communicare velim de rebus quae fortasse in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt.

1. *Religiones Clericales*

Nonnullae religiones clericales, et in primis religiones exemptae, opus pastorale Ecclesiae impedire magis quam adiuvare videntur. Nam in multis locis domus quae necessariae non sunt habent, quarum sodales, cum satis negotii non suppetat, multum temporis otiose se habent. Fideles laici haec videntes ad pietatem non excitantur, quippe qui conditiones in America Australi et in aliis terris bene noverint, memores simul verborum Christi Domini, « Messis quidem multa, operarii autem pauci » (*Matt.,* IX, 37).

Insuper quaedam religiones exemptae privilegiis specialibus gaudentes parocho cum subditis in paroecia sua tractanti, Episcopo similiter in Dioecesi, obstare consuescunt.

An ullum sit remedium? Iuvat in memoriam revocare nullam religionem in Ecclesia antiqua fuisse et multa saecula praeteriisse priusquam religiones sic dictae contemplativae fundarentur. Hoc ausim dicere:

1) Domus religionum quae necessariae non sunt supprimi debent. Sodales superflui in missiones, in quibus operarii pauci sunt messis autem multa, mitti debent.

2) Nulla religio ab Ordinarii loci iurisdictione eximi debet. Plura autem privilegia quibus religiosi gaudent reprobanda sunt. Episcopo ius sit constituere quomodo et in quantum sacerdotes religiosi opus pastorale dioeceseos adiuvare possint.

2. *De Sacrificio Missae*

A multis sacerdotibus supplicatur ut abbreviatio vel contractio fiat in quibusdam Missis quae infra Quadragesimam et in feriis Quat. Temp. dicuntur, e. g., Sabbato post Dom. II et Sabb. post. Dom. III Quadragesimae.

Valde desiderandum est ut in orationibus post Missam dicendis mutatio cum abbreviatione fiat.

3. *De Divini Officii Recitatione*

Valde desiderandum est ut in Divino Officio recitando mutatio cum abbreviatione fiat ne recitatio impedimentum praebeat insuperabile sacerdoti operoso qui variis novisque in dies apostolatus officiis oneratur.

Haec dum scribo, sensum maximae erga Eminentiam Vestram aestimationis libenter profiteor, ac permaneo

Addictissimus in Christo servus vester,
✠ IOSEPHUS WALSH
Archiepiscopus Tuamensis

25

EXC.MI P. D. ANTONII RIBERI
Archiepiscopi tit. Darensis, Nuntii Ap. in Hibernia

N. 666/60 Dublino, 19 aprile 1960

Eminenza Reverendissima,

Avendo coinciso la richiesta di suggerimenti per il Concilio Ecumenico Vaticano II (N. 1 C/59 del 18 giugno 1959) con il mio ritorno dalla Cina ed il termine « non ultra diem primam septembris » con l'assunzione delle mie nuove funzioni, ero dolente di non averla potuto soddisfare.
Sono pertanto grato per la possibilità di farlo che mi è stata data con il venerato officio N. 1 C/59-1674 bis.
Accludo alla presente i miei modesti suggerimenti.
Prostrato al bacio della Sacra Porpora ho l'alto onore di raffermarmi con sensi del mio più profondo ossequio

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo, umil.mo ed obbl.mo servitore
✠ ANTONIO RIBERI

I. *De Catechismo*

Attentis sequentibus factis:
1. Relativa proportio inter mundi hominum numerum et catholicorum numerum magis atque magis in detrimentum alterorum evadit, notabili missionario incremento et crescente laicorum participatione apostolatui non obstantibus.
2. Inter praecipuas rei causas, adnumeranda est, praeter christianorum natorum imminuentem numerum respectu habito ad paganorum natalitatem, immensa opera praesenti tempore discessus a christiana doctrina vitaque, cui multum favent ecclesiarum disiunctio necnon civilium ordinum inter ipsos dimicationes disparilitatesque, cum consequenti gravissimo vocationum discrimine,
putandum est proximum Oecumenicum Concilium, memor iussus Dei « qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.*, 2, 4), habiturum fore permagnam sollicitudinem *in Ecclesia imprimendi fortem et validam concitationem domitorem* (vulgo:

dinamismo conquistatore) ad denuo ducendas ad Christum societatis coetus, ad congregandas dissidentes ecclesias, et ad paganos convertendos.

Optatissimus hic cursus implicat aptiorem catholicae spiritualitatis elaborationem *in novo catechismo,* praeseferente finem universalem, congruente scilicet cum tribus super enumeratis propositis, et apto necessitatibus individuorum societatisque praesentis temporis (sicut Concilii Tridentini catechismus fuit relate ad peculiares necessitates saeculi XVI).

Conveniens igitur videretur:

1. Dare adaequatam explicationem notionum realitatis cognitionis, cognoscibilitatis et existentiae Dei, fundamentorum fidei, necnon, et Dei naturae.

2. Praesentare hominis finem in forma magis dynamice theocentrica ut participationem vitae divinae (sive quoad intellectum sive quoad voluntatem) in Christi imitatione sub ductu Sancti Spiritus, in coniunctione cum Christi Corpore Mystico, quod est Ecclesia.

3. Exinde deducere consequentia officia « sentiendi et agendi cum Ecclesia » in vita individuorum et societatis, iuxta permanentem illum iussum: « Caritas Christi urget nos » (*2 Cor.,* 5, 14).

4. Illustrare momentum Visibilis Capitis Corporis Mystici Christi (scilicet Romani Pontificis pro universo orbe christiano et episcoporum pro unaquaque dioecesi), magnitudinem obligatorietatemque eorum regiminis, utpote quod est Divinae voluntatis expressio.

5. Singillatim inculcare:

a) *Obligationem pro omnibus apostolatus* cum navitate tam privata singulorum quam — et quidem speciali modo — communi opera temperata, in coniunctione et sub ductu Summi Pontificis et Episcoporum, ita ut semper sit, in eius multiplicibus formis, « actio catholica » seu participatio apostolatui hierarchico.

b) *Officium fovendi vocationes* « graviter onerata conscientia » pro pastoribus in cura animarum (cf. can. 305), et praesertim pro illis qui (aut sacerdotes aut religiosi aut moniales) iuvenibus consulunt.

c) *Obligationem « sub gravi »* (servato semper principio: Ecclesia non obligat cum adsit grave incommodum) *contribuendi oeconomicum auxilium* pro necessitatibus apostolatus per ratam partem propriorum redituum ab Episcopis determinandam in variis nationibus.

d) Necessitatem non dissociandi fidei veritates a vita.

e) Consentaneam praeparationem ad matrimonium per participationem ad praelectiones doctrinales et spirituales.

f) Possibilitatem christianae perfectionis, quam consequi possunt etiam in saeculo viventes.

II. *De Seminariis*

1. Generali aspectu perspecto: una simul cum formatione spirituali, exerceantur seminaristae, sive maiores sive minores, in apostolatu ita ut « fabricantes fiant fabri ». Formatio intellectualis sit magis consentanea necessitatibus modernis conspectu habito de litteratura cuiusque nationis et speciatim de erroribus magis grassantibus.

2. Singillatim: imperata reddere in praeparatione ad sacerdotium:

a) Studiorum rationem de laicorum apostolatu theoretice, historice et in praxi considerato ita ut futuri sacerdotes fiant apti duces (leaders - organizers) populi ipsis commissi.

b) Praelectiones de psychologia religiosa spectata in unoquoque statu sociali non tantum pro iuventute sed etiam pro adultis.

III. *De Episcopis*

1. *Ex una parte* magis conspicuum munus Episcopi faciendum est:

a) relate ad apostolatum qui intra fines dioeceseos ipsi soli obnoxius est, terminis circumscribendo religiosorum exemptionem ad religiosam vitam « ad intra » et eam removendo in apostolatus operibus, et

b) relate ad insertionem in iure canonico facultatum quinquennalium et ad limites ponendos in casibus Sanctae Sedi reservatis.

2. *Ex altera parte* obligatio statuatur agendi concordi voluntate cum Apostolica Sede (antea et postea) cum agatur de consiliis ineundis vel captis in Episcoporum Coetibus (Conferenze Episcopali) sive provincialibus sive nationalibus. Et insuper Coetibus Nationalibus, sic dictis (Conferenze), semper adesse deberet, ut Observator, Pontificius Administer vel ecclesiasticus ipsius fiducia gaudens.

3. *Pro Taxis* vero, quae Sanctae Sedi debentur ob concessas dispensationes etc., substituatur solutio fixae annuae summae pecuniae, statuendae, et sumendae a dioecesano aerario.

IV. *De Breviario Romano*

Reformetur iuxta criteria quae iam proposui Sacrae Rituum Congregationi.

V. *De Religiosis*

In omnibus Ordinibus et Congregationibus virorum possibile sit favere acceptioni hominum professiones artesque exercentium, quibus liceat propria munera obire, saeculi vestimento indutis — iuxta exemplum con-

gregationis quae « Opus Dei » nuncupatur — praevio apto philosophico et theologico cursu.

Quae supra pro seminariis proposui applicentur etiam religiosorum scholasticis domibus.

Renovatio, a Pio XII v. m. incoepta, intente et vehementer pergatur.

Clausurae papalis praescripta ad simpliciorem formam reddantur, amovendo ea omnia quae obsoleta et spectantia ad antiqua tempora, cum vita religiosa saepe imposita erat directe vel indirecte a tunc vigente societatis statu.

VI. *De Liturgia*

Episcoporum habitus simplificentur praesertim in tropicis regionibus, itemque quaedam caerimoniae, exempli gratia: nimis frequenter mitram assumere vel deponere.

Generatim breviores episcopales caerimoniae reddantur, supprimendo redundantia.

Momentum addatur Offertorii orationibus:

« Suscipe Sancte Pater »,
« Deus qui humanae substantiae » et
« Offerimus Tibi, Domine »,

et statuatur praecipiendo: Ipsa magna voce recitandas esse et populum respondere: « Amen ».

VII. *De strategia missionaria*

a) Evangelii praeconis cura praecipua sit vocationum fomentum stimulusque; futurorum sacerdotum (necnon et religiosorum religiosarumque) opportuna formatio; eorumdemque (etiam religiosorum) praeparatio ad suscipienda et explenda officia.

b) Missionarius non amplius tanquam « pioniere » intelligatur sed potius « ut cooperatorem » se habeat sub ductu autoctonae hierarchiae (paucis casibus exceptis) eiusque praeparatio ad talem finem tendat (cf. « Auxiliaires de Mission »).

c) Cum natura et moribus gentium quae ad Evangelii lumen ducendae sunt congruere, integre existimando quidquid per se bonum reperitur in variis religionibus, ideoque.

d) Studiose eas cognoscere eisdem fere ratione et tempore quibus philosophia et theologia discuntur.

e) Etiam magis quam in catholicis nationibus, inculcandum est officium:

1) apostolatus pro omnibus et

2) ex suis mediis vivendi et providendi oeconomicis necessitatibus proprio marte.

VIII. *De eleemosynis Missarum*

Ad favendam applicationem SS. Missarum ex parte fidelium in unaquaque dioecesi norma statuatur: dimidia pars eleemosynarum SS. Missarum ab alia dioecesi provenientium solvatur aerario dioecesano pro communibus necessitatibus.

IX. *De Ordinationibus Sacerdotalibus*

Ecclesiastici coelibatus principio pro omnibus firmo manente, et tanquam medium tantum *transitorium*

1) ad sacerdotum penuriam in quibusdam regionibus leniendam et

2) quo facilius dissidentes fratres ad Ecclesiam redire possint,

opportunitas examinetur permittendi ut Episcopi ordinationem sacerdotalem conferant:

a) in locis rusticis, candidatis, etiam matrimonio iunctis, annos natis saltem 45, bonis moribus, prudentia et animarum zelo praeditis, et congrua formatione praehabita, saltem ad baptismum, extremam unctionem, poenitentiam (in articulo mortis) administranda et SS. Eucharistiam celebrandam cum missae celebratione (lingua vulgari);

b) in locis et pro officiis magis elatis, sic dictis pastoribus, a protestantica secta ad Ecclesiam conversis, studiorum theologicorum apto curriculo expleto, permanente vita matrimoniali.

X. *De Consecrationibus Episcoporum*

Perscrutari num invalida declarari possit episcopalis consecratio a Consecrante et a Conconsecrantibus habita, consciis absentiae « mandati apostolici » cum implicita videatur negatio intentionis peragendi quod facit Ecclesia.

XI. *De religiosa tolerantia*

Utilitatem examinare (theoreticis principiis eam dissuadentibus non minutis) favendi tolerantiam religiosam, non tantum quia, respectu habito immensitatis orbis non catholici, utilior est, sed etiam quia condiciones privilegii pro Ecclesia, negligentiam et incuriam inducunt.

XII.

Calendarium stabile et fixum reddatur.

XIII.

Usus extra domum ecclesiastici habitus, qui *clergyman* vulgo appellatur, voluntarius seu facultativus pro omnibus reddatur.

✠ ANTONIUS RIBERI
Archiepiscopus tit. Darensis
Nuntius Apostolicus in Hibernia

26

EXC.MI P. D. IOANNIS B. MACGINLEY
Episcopi tit. Croensis

Die 20 mensis augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Honori mihi fuit accipere epistolam Eminentiae Tuae qua in nomine Augusti Pontificis Ioannes XXIII rogas quae res, mea sententia, in futuro Concilio tractari oporteat.

At mihi senectute iam fracto et infirma valetudine ac memoria, haec sola quaestio in mentem venit Tuae Commissioni ponenda, nempe: Utrum a Concilio definire possit ac debeat tanquam dogma a Deo revelatum, doctrina quae affirmat Beatissimam Mariam Virginem esse a Deo constitutam omnium Gratiarum Mediatricem.

Haec cum Eminentiae Tuae significo impensos obsequii mei sensus profiteor Eminentiae Tuae cui omnia fausta ac salutaria enixe precor a Domino.

Eminentiae Tuae
humillimus et addictissimus
✠ IOANNES BERNARDUS MACGINLEY
Episcopus tit. Croensis

27

Exc.mi P. D. PATRICII DUNNE

Episcopi tit. Narensis, Auxiliaris Dublinensis

25 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Postulatis a littera Eminentiae Vestrae diei 18 mensis Iunii a. c. haec responsa, omni qua par est reverentia, defero:

1. In praedicationibus marianis et in disputationibus publicis evitentur theses quae, licet theoretice aliquam validitatem habeant, possint perturbare mentes simplicium fidelium ob subtilitatem argumentorum et notiones obscuras.

2. Tribuatur cuilibet sacerdoti facultas audiendi ubique confessionem sacramentalem alterius sacerdotis petentis, dummodo ille a proprio Ordinario facultatem confessiones audiendi iam rite acceperit.

3. Melius necessitatibus fidelium providere posset si Ordinariis locorum liceret permittere ut sacerdotes in ecclesiis publicis ministrantes etiam tertiam Missam celebrare in diebus dominicis et festis de praecepto possint.

4. Reducantur ad simplices terminos canones *C.I.C.* de Delictis et Poenis.

5. Periculum subire possunt societates Actionis Catholicae, praesertim eae quae in variis dioecesibus et regionibus diffusae sunt et in foederatione iunctae, excolendi speciem autonomiae similem autonomiae qua gaudent religiosi exempti. E multis rationibus hoc deplorari debet. Sufficit dicere illam quasi-autonomiam omnino esse contra mentem Summorum Pontificum.

6. Fidelium mentes saepius turbantur diversitate interpretationum et praxis quoad legem ieiunii. Huiusmodi variationes universaliter vix tolli possunt; desiderandum autem est ut in regionibus in quibus generaliter consuetudines et modus vivendi populorum vix variantur, et lex et praxis accuratius describantur et observentur. Lex autem, praesertim de collationibus, ita mitius statuatur ut dispensationum particularium quae in praesentiis saepissime petuntur, necessitas tollatur.

Eminentiae Vestrae servus humillimus

✠ Patricius Dunne
Episcopus tit. Narensis
Auxiliaris Archiepiscopi Dublinensis

28

Exc.mi P. D. GULIELMI CONWAY

Episcopi tit. Nevensis, Auxiliaris Armachani

29 augusti 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litteras Eminentiae Tuae Reverendissimae diei 18 mensis iunii 1959 (Prot. I C/59-2247), magno cum gaudio recepi.

Velim inprimis gratos animi mei sensus exprimere ipso Augusto Pontifici et Eminentiae Tuae pro opportunitate mihi benignissime concessa communicandi Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae meas animadversiones consilia et vota de re tanti momenti.

Principale meum votum est illud de quo ipse Summus Pontifex non semel locutus est agendo de futuro Concilio, nempe ut per coadunationem sacrorum Antistitum catholicorum ex universo terrarum orbe, illi qui ab Apostolica Sede seiuncti sunt ad unitatem in vera ecclesia Christi quaerendam assequendamque adducerentur.

Praeter hoc votum principale en quaedam vota particularia quae Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae omni cum reverentia subiicio:

1. Ut aptae ederentur normae pro problematibus specialibus vitae pastoralis in magnis urbibus. Mihi videtur quod hodie in magnis paroeciis urbanis, complectentes, nonnunquam, viginti millia animarum, sit fere impossibile ut pastor « cognoscat oves suas » sicut praecepit Concilium Tridentinum. Sic saepe evadit quod fideles nunquam conversantur cum sacerdotibus et facies Ecclesiae quam vident est facies impersonalis alicuius instituti magni et potentis. Mihi videtur quod « unitum » pastorale pro quo sacerdos curam exercet animarum, debet esse illius tantum magnitudinis ut sacerdos possit oves suas vere cognoscere. Velim etiam ut illa praxis quod multum fructum attulit in his regionibus et alibi, nempe visitatio pastoralis fidelium in eorum domibus, a Concilio saltem commendaretur.

2. Ut institutio theologiae moralis in seminariis et studiorum universitatibus magis informetur theologia dogmatica. Forsitan in disciplina speciali dari poterit tota « theologia vitae christianae » et in alia disciplina, nempe « praxis confessarii », tractaretur de casibus particularibus et de quaestionibus iuris canonici.

3. Ut institutio catechetica puerorum ita ordinetur ut pueri, saltem ultimis annis scholae primariae, videre possint totam veritatem catholicam tamquam *realitatem* historicam et viventem.

Dum haec vota et animadversiones omni humilitate et reverentia ad Eminentiam Tuam transmitto manus Eminentiae Tuae humiliter deosculor meque profunda veneratione profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae,
addictissimum et devotissimum servum
✠ GULIELMUS CONWAY
Episcopus tit. Nevensis
Auxiliaris Em.mi Card. Archiep. Armachani

29

EXC.MI P. D. IOANNIS HEFFERNAN
Episcopi tit. Uzipparitani

Die 26 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Ex corde Tibi gratias ago de confidentia quae mihi servo Tuo exprimere voluisti in litteris sub Prot. N. 1 C/59-2486, die 18 iunii 1959 datis et nuper receptis.

Senescens annos iam habens plus quam septuaginta, laboro insuper infirma valetudine. Adhuc annos quattuordecim curam Vicariatus Apostolici Zanzibariensis (Kenya, Africa Orientalis) demisi. Iis de causis multas animadversiones multave consilia non habeo quae Concilio Oecumenico utilitatis esse possint. In quantum autem Concilium quaestionem Ecclesiae unitatis examinare posset, perutile mihi videtur insistere ut Christiani omnes, sive illustrissimi adsistentes sive fideles omnes, preces ferventes effundant, necnon sacrificia plurima Deo offerant, ut unitatis pacisque donum nobis abundanter largiatur.

Cupiens attamen voto Eminentiae Tuae satisfacere, consilio quorumdam missionariorum peritorum atque prudentium inito, capita quaedam quaestionum quae missiones extraneas maxime respiciunt Commissioni Pontificiae humiliter submitto. Eminentia Tua faveat haec tota in foliis adnexis invenire.

Osculans S. Purpuram ac implorans benignissimam Eminentissimae Tuae benedictionem,

Multa cum reverentia maneo, ac subsignor,

addictissimus Eminentiae Tuae servus in Domino
✠ IOANNES HEFFERNAN
Episcopus tit. Uzipparitanus

1. Erectio Universitatum Catholicarum in Africa Orientali, Occidentali et Centrali. Aut si haec habere non possint, co-ordinatio quaedam bene determinata inter missionum praesules de educatione alumnorum catholicorum qui Universitates civiles in Africa frequentant.

2. Erectio in Europa domorum exclusive alumnis catholicis reservatarum qui Universitates in Europa frequentant (vulgo « hostels »).

3. Praeparatio bene determinata catholicorum peritorum ut tempore opportuno partem catholico dignam in gubernio statuum Africanorum nuper erectorum exercere valeant.

4. Necessitas habendi typographias modernas quae ephemerides diurnas catholicas imprimere possint, instruentes fideles in iis quae ad fidem moraliaque pertinent, eorumque conscientiam munientes contra errores hodie grassantes. Instructio quorumdam sacerdotum idoneorum vel fratrum aut sororum ut tales ephemerides edere possint (Journalismus).

5. Provisio sufficiens librorum catholicorum; traductio librorum qui magis Africano bene instructo auxiliari possint: de vita spirituali, intellectuali et sociali, necnon de gubernio et de quaestionibus oeconomicis atque civilibus quae magis in dies discutiuntur.

6. Conferentiae Episcoporum quinquennales, ubi adsint etiam Superiores maiores missionum necnon quidam laici periti; quaestionibus actualibus de re religiosa atque sociali expositis, solutiones ex unanimitate proponantur.

7. Erectio domorum centralium pro catholicis, ubi quaestiones sociales magni momenti discuti possint. Formatio specialis sacerdotum necnon fidelium ut directionem talium domorum assumere possint.

8. Ars indigena Christiana: necessitas fovendi si iam existat. Cura de non imponendo formas stricte Europeanas.

9. Codex Iuris Can. et Theologia Moralis: eorum reformatio iuxta conditiones in terris missionum existentes.

10. Ut Ecclesia magis invehat adversus fidelium ignorantiam, ut paupertatem ubique allevet (v. g., co-operando cum UNESCO), atque ut sese per totum orbem terrarum extendat.

11. Curiae Generales Romanae: ut praesules sint fortes, periti et docti in re missionaria; specialiter optandum est ut quamdam experientiam personalem vitae missionariae habeant, ita ut difficultates melius comprehendant eo ut solutiones facilius proponant.

12. Uniformitas optanda est inter Episcopos diversorum territoriorum de quibusdam legibus ecclesiasticis; v. g., lex ieiunii et abstinentiae; dies festivi de praecepto; celebratio festi Epiphaniae Domini ut festum missionum; quid pensandum est de legibus et moribus indigenis tribuum

Africanorum?; ut omnes Episcopi una sola voce loquantur per modum epistolarum pastoralium omnibus communium.

13. Expurgatio ex libris pietatis et maxime ex « vitis sanctorum » quarumdam fabularum et omnis exaggerationis atque insistentiae super circumstantias mere extraordinarias. Destructio multorum aut omnium talium librorum.

14. Disproportio immensa quoad numerum inter ministros Ecclesiae (sive sacerdotes, sive fratres seu sorores) in terris Europae laborantes, et eos qui sese occupant in missionibus extraneis, America Meridionali inclusa. Urget necessitas formandi fideles utriusque sexus qui paulatim se magis magisque exerceant in operibus generatim istis ministris Ecclesiae in terris Europae hucusque reservatis. Cf. Legio Mariae, Opus Dei ...

✠ Ioannes Heffernan
Episcopus tit. Uzipparitanus

30

Exc.mi P. D. IOSEPHI BYRNE

Episcopi tit. Abaradirensis

Die 14 septembris 1960

Eminentissime Princeps,

Litterae, quas Eminentia Vestra misit anno elapso omnibus Episcopis de erectione Commissionis antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico numquam mihi pervenerunt.

Alius Episcopus mihi suas litteras de Concilio commodavit.

Confisus bonitate Eminentiae Vestrae audeo humiliter nunc sero mittere quasdam suggestiones quas alii forsitan iam obtulerunt. Si invenies eas minoris momenti faveas eas reiicere.

Dignare, Eminentia Vestra, accipere hanc affirmationem meae reverentiae sincerissimae, et veram promissionem intercessionis meae ferventis apud Dominum pro te et pro negotio tuo gravissimo ad Gloriam Dei et auxilium Ecclesiae.

✠ Ioseph Byrne
Episcopus tit. Abaradirensis

I. *De processione Sancti Spiritus*

Frequentius his diebus auditur quod Processio Sancti Spiritus est ab « amore mutuo » Patris et Filii.

In hymno de Spiritu Sancto canitur: « Ab ore Patris profluis, Suum osculantis Filium ». Procedit a Patre amante et a Filio amato.

Conc. Later. IV firmiter docet: « Pater et Filius non duo principia Spiritus Sancti sed unum principium: sicut Pater et Filius et Spiritus Sanctus non tria principia creaturae sed unum principium ».

Graecis Patribus magis placet forma: « A Patre per Filium procedit ».

Essetne melius desinere uti verbis « mutuus amor » in materia Processionum in divinis? In divinis, in Filio cognitio Patris et Sui et Spiritus Sancti sicut amor Patris et Sui et Spiritus Sancti est essentialis. Eodem modo in Spiritu Sancto cognitio et amor Patris et Filii et Sui est essentialis.

II. *Consecratio sollemnis generis humani Spiritui Sancto*

Praesens Oecumenicum Concilium est spes animarum christianarum ubique quaerentium lumen et robur pro nostro mundo moderno qui vivit sine ordine, sine pace, sine Deo. Est spes omnium apostolorum fidei in Africa et in Asia ubi evolutio politica et oeconomica actualis suscitat problemata multa et magna.

Ego, Episcopus tit. Abaradirensis, humiliter et ardenter peto renovationem formalem Consecrationis generis humani Spiritui Sancto a Sancto Patre ut fecit Christus Ipse in prima Pentecoste post Ascensionem Suam in Coelum.

Spiritus Sanctus a prima Pentecoste dirigit Apostolos eorumque successores in Evangelizatione mundi, in instructione fidelium de veritatibus a Deo revelatis. Spiritus Sanctus illuminat mentes ut sciant, et credant et meditentur in corde verba Dei. Spiritus Sanctus dat robur fidelibus ut oboediant Legi Dei. Spiritus Sanctus vincet diabolum et satellites eius et errores materialismi et atheismi.

Spiritus Sanctus adiuvat Gubernia Civilia ut procurent pacem et salutem Reipublicae in ordine temporali et suscitat reverentiam erga Deum et erga leges et sacra iura Eius, ut omnes vivamus in iustitia, in veritate, et in caritate.

III. *De conservanda Lingua Latina*

Nos christiani occidentales habemus unam linguam ecclesiasticam officialem. Est magnum donum Dei quia conservat unam officialem expositionem rerum fidei et morum in omnibus locis. Lingua latina in Liturgia

dat unam formam dignam et reverentem et theologicam caerimoniis liturgicis approbatam ab ipsa suprema auctoritate pro omnibus. Est praeclarum signum unitatis Ecclesiae Occidentalis.

Lingua vernacula est subiecta variis interpretationibus et variis formis in variis locis et variis temporibus. Hoc constituit verum periculum erroris in rebus Fidei et Morum praesertim in nostris temporibus in quibus mentes tendunt versus meliorem et maiorem independentiam intellectus et morum. Lingua vernacula praebet periculum etiam in dignitate liturgiae propter defectum communem reverentiae et dignitatis in mentibus modernis, et propter extravagantem gustum multorum modernorum in arte et litteratura.

Conservemus linguam latinam praesertim propter evidentem unitatem Ecclesiae.

Sana et studiosa instructio fidelium cum approbata traductione librorum fidei et Liturgiae superat usum eius in Liturgia ipsa sacra.

Sacerdotes Dioecesis Moshi in Tanganyika loquuntur linguam vel dialectum tribus, etiam linguam « francam » Ki-swahili, tunc anglicam in scholis, adhuc latinam in seminariis. Aliqui didicerunt loqui italice et gallice. Omnes sacerdotes possumus, si volumus, loqui saltem lingua nostra vernacula et latine.

IV. *De Missis pro defunctis*

Missa pro animabus purgatorii liturgice praescribitur semel tantum in anno die secundo novembris.

Missa quotidiana lecta pro animabus purgatorii permittitur in festis simplicibus, in feriis adventus usque ad diem XVI decembris, et in feriis communibus.

Rumor serpit mentem Ecclesiae esse quod in diebus in quibus Missa defunctorum lecta quotidiana permittitur melius esset iuxta liturgiam dicere Missam de Festo simplici vel de feria, relicta Missa pro defunctis. Vidi iam multis in locis signum huius opinionis. Spero hunc rumorem falsum esse quia est semper verum verbum Sacrae Scripturae: « Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare » (*Mach.* II, c. XII, v. 46).

Animae in purgatorio praesertim pauperum contribuerunt generose sustentationi Cleri et necessitatibus Ecclesiae in paroeciis et dioecesibus et in Missionibus Apostolicis pro ecclesiis et scholis et ceteris operibus et nihil vel quasi nihil habentes paulum pro Missis pro animabus suis reliquerunt. Certe Deus Optimus et Iustus remunerat tales animas generosas sed vult etiam nos animo gratos esse. Decet igitur omnes fideles

orare multum pro talibus animabus et decet sacerdotes Missas pro defunctis dicere quoties licet. « Memento mei saltem vos amici mei quia manus Domini tetigit me ».

Propterea humiliter peto ut Sancta Mater Ecclesia praescribat simul cum die secundo novembris tres alios dies in quibus Missa pro defunctis praescribitur, scilicet unus tempore adventus die I decembris, unus tempore Quadragesimae die XIV martii, unus tempore Paschali die IV maii, vel aliis diebus electis a Sacra Congregatione Rituum.

V. *De Seminariis Ecclesiasticis*

Essetne melius ponere annum novum additum cursui scholari in Seminariis ante cursum philosophicum vel ante cursum theologicum in forma anni canonici specialis pro studiis apologeticis, et historicis, et praesertim asceticis, similem anno novitiatus religiosorum sed differentem quia adaptatum vitae spirituali clericorum ut praescriptae in *Codice Canonico.*

Post primos annos ministerii inter quintum et decimum annum optimum esset devocare per aliquos menses clericos ab activo ministerio ad seminarium ad renovandum fervorem et zelum eorum in opere Christi. Haec esset quaestio de paucis clericis in unoquoque anno qui possunt sine gravi damno abesse a ministerio paroeciali.

VI. *De Ecclesia et Statu*

Modus vivendi idealis Ecclesiae est ut populus christianus paroeciae vel dioecesis sustentet Clerum in valetudine et in infirmitate usque ad mortem. Clerus debet consecrare populo christiano vires mentis et corporis et totam vitam ut christiani cognoscant melius Deum et magis diligant Eum, Patrem Nostrum.

Clerus est servus Dei et non Status, et ideo non convenit Statum sustentare Clerum.

Quoad scholas: est ius parentum eligere scholas pro liberis, est officium Status construere scholas et remunerare magistros, quia vectigal scholare ab omnibus civibus indiscriminatim ad hoc solvitur.

✠ Ioseph Byrne
Episcopus tit. Abaradirensis

HISPANIA

1

Exc.mi P. D. ARCTURI TABERA ARAOZ

Episcopi Albasitensis (Albacete)

Albaseti, d. 1 septembris an. 1959

Eminentissime Princeps,

Litteris Eminentiae Vestrae ad me datis d. 18 iunii currentis anni, Prot. I C/59-91, de Concilio Oecumenico proxime celebrando deque eius praeparatione, et in quibus consilia et vota Episcoporum universae Ecclesiae rogabantur, responsionem mittere gaudenter propero.

Eminentiae Vestrae et Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae mea vota modeste, candide ac humillime pandam circa maioris momenti vel periculi argumenta, quaestiones et negotia quae, meo pauperculo iudicio, inter alia, in futuro Concilio pertractari ac definiri oporteret.

Quae dicere aut proponere audeam ad quatuor capita praecipua commode reduci possunt:

I. Argumenta theologica et biblica. Theologi et exegetae catholici periculose haerent dubiis circa aliquas doctrinas fundamentales ad fidem pertinentes, et ideo ab Ecclesiae magisterio infallibili expostulant lucem. Aliqua hodie proponuntur et docentur quae, ut videtur, cum veritatibus fidei et doctrinis Ecclesiae minime congruunt, immo eas erroribus inficere possunt.

II. Iuvat etiam quam primum ad aliquas quaestiones morales animo attendere quae, in conditionibus vitae hodiernae et in actuali statu et progressu tecnicae biologicae et socialis, enormiter et abnormiter conscientias hominum perturbant et commaculant, imo et ordinem a Deo stabilitum facile pervertunt.

Etiam dicendum esset de quaestionibus quibusdam ad ascesim christianam et spiritualitatem evangelicam spectantibus in diversis hominum categoriis et statibus, et ad disciplinam et vitae tenorem tam cleri quam plebis christianae.

III. Si ad organizationem, ut aiunt, seu structuram Ecclesiae mentem advertamus, aliqua dicuntur et agitantur inter doctos quae novis temporum vitaeque humanae conditionibus et necessitatibus vel ex profundiore, actuosiore et actuali conscientia naturae Ecclesiae, prout Christus Dominus eam intendit, et eius in mundo missione dicunt exoriri: tum quoad

claram determinationem et delimitationem iurium et naturae Hierarchiae, tum quoad aliqualem reformationem Curiae Supremae Romanae, tum quoad activitatem missionariam et actionem apostolicam Ecclesiae in mundo universo, tum, denique, quoad Oecumenismum, ut vocant, seu unionem Ecclesiarum a catholica unica vera dissidentium.

IV. Aliqua demum vocem magisterii conciliaris in re sacramentaria et liturgica spectant.

In singulis schedis separatis, commoditati Commissionis Antepraeparatoriae consulens, singulas quaestiones proponere audeo quas unus tantum fidei et Ecclesiae amor mihi sugessit.

Tamen, ut aestimare licet, Concilium oecumenicum ante omnia alia, argumenta examinare et tractare negotia debuisset quae in schemate tractationis Concilii Vaticani contenta et praeparata, tamen, ob eius inopinatam interruptionem, nec disputata nec soluta fuerunt; et insuper argumenta examinare, doctrinas statuere et errores profligare quos, inde a Concilio Vaticano ad nostros usque postremos dies, Summi Pontifices, mundi et Ecclesiae conditionibus et necessitatibus ac fidei nitori semper attenti et intenti, magisterio ordinario vel sollemnibus Documentis examinarunt, statuerunt et profligarunt: videlicet: Pii IX Enc. *Quanta cura* et *Syllabus;* Leonis XIII, Enc. *Quod apostolici muneris* de socialismo et communismo, *Diuturnum* de potestatis origine, *Humanum genus* de masoneria et sectis secretis, *Immortale Dei* de christiana Statuum constitutione, *Libertas* de libertate humana, *Rerum novarum* de re sociali, *Aeterni Patris Filius* de restauratione philosophiae christianae; S. Pii X, Enc. *Pascendi* de aberrationibus modernismi; Benedicti XV, Enc. *Spiritus Paraclitus* quoad normas hermeneuticas; Pii XI, Enc. *Quadragesimo anno* de restauratione ordinis socialis, *Divini Redemptoris* de communismo atheo, *Casti connubii* de matrimonio christiano, *Divini illius Magistri* de christiana educatione iuventutis; et Pii XII, Enc. *Corporis mystici, Divino afflante* de studiis sacrae Scripturae, *Mediator Dei* de sacra Liturgia, *Evangelii praecones* et *Fidei donum* de Missionibus et earum conditionibus, et praesertim *Humani generis* de discordia et aberrationibus in rebus religiosis et moralibus.

Dum tempus spectatum celebrationis Concilii Oecumenici feliciter pervenit, benedictiones laboribus Commissionis designatae toto corde a Domino adprecor.

Pronus Sacram Purpuram humiliter deosculor Eminentiae Vestrae ac dev.mum et addictissimum servum me profiteor.

✠ Arcturus Tabera Araoz
Episcopus Albasitensis

In re biblica

Valde expediret ut Concilium Oecumenicum in aberrationibus damnandis insistiret quas Encyclicae *Pascendi, Divino afflante* et, praesertim, *Humani generis* profligarunt.

In particulari, studio et deliberationibus conciliaribus haec argumenta subiicienda essent:

1. Natura et limites inspirationis et inerrantiae S. Scripturae.

2. Impossibilitas admittendi in auctore sacro sensum humanum errori subiectum, vel sensum humanum sub quo sensus divinus lateat solus infallibilis.

3. Necessitas et vis magisterii SS. Pontificum et traditionis, praesertim patristicae, ad interpretationem SS. Scripturarum et sensum divinitus inspiratum detegendum.

4. Possibilitas, vel in casu necessitas, admittendi sensus diversos in S. Scriptura ut explicari possit, ut aiunt, processus alicuius veritatis usque ad eius definitionem tanquam dogma fide divina et catholica credendum.

5. Damnatio errorum qui his nostris diebus serpunt in scholis catholicis et irreductibiliter cum doctrina catholica circa historicam compositionem, inerrantiam et inspirationem primorum capitulorum Genesis minime componi nequeunt.

6. Possibilitas admittendi evolutionismum, et limites in casu statuere compatibiles cum doctrina et fide catholica: et in particulari quid sentire debet vir catholicus de tribus quaestionibus cum evolutionismo connexis: sc. poligenismus, essentia peccati originalis et creatio directa animae rationalis.

Quod tam lucide, perspicue et sollemniter in re biblica Pius XII docuerat contra abusus in interpretatione et tractatione S. Scripturae, in his temporibus esset denuo a Concilio roborandum et definiendum.

Nova dogmata

Non advertitur necessitas, imo nec convenientia aut opportunitas, veritatem aliquam definiendi in Concilio tanquam dogma fide divina et catholica credendum, si excipiamus: Maternitatem spiritualem Beatae Mariae Virginis relate ad genus humanum tum per consensum in Incarnationem materne praestitum tum per compassionem in Calvario.

« Catholica Ecclesia, Sancti Spiritus magisterio edocta, eamdem — Beatam Virginem — tanquam amantissimam Matrem... filialis pietatis affectu prosequi studiosissime semper professa est » (Benedictus XIV, Bul-

la *Gloriosae Dominae* in *Bullarium,* 2428); « Ita quidem, ut quae corpore erat nostri Capitis mater, spiritu facta esset, ob novum doloris gloriaeque titulum, Eius membrorum omnium mater » (Pius XII, Enc. *Corporis mystici*).

Necessitas et vis magisterii et traditionis

Difficile est in statu investigationis theologicae clare determinare quando conditiones adimplentur requisitae ad infallibilitatem Magisterii Ss. Pontificum et traditionis, praesertim traditionis patristicae.

Magna tamen interest theologis tam ad orthodoxam et homogeneam doctrinae catholicae evolutionem quam ad securam expositionem fidelibus depositi revelati, et etiam ad errores et aberrationes in futurum detegendas, impugnandas et devitandas.

Hinc expediret ut Concilium in hac re pressius definiret:

1. Necessitatem, genuinam naturam et vim magisterii Ss. Pontificum ad fidelibus proponendam doctrinam aliquam clare determinatam et rigorose delimitatam tanquam necessario credendam vel tenendam et sensum Scripturae sacrae auctori sacro divinitus inspiratum.

2. Vim et conditiones quas induere debet traditio patristica ad dignoscendum quando traditio patristica, seu consensus Patrum, ut testes fidei ac Doctores authentici, sive in exponendis doctrinis sive in interpretanda S. Scriptura est vera traditio doctrinalis criterium fidei et revelationis.

3. Necessitatem, naturam et vim traditionis et sensus fidelium tanquam aliquid vivum in Ecclesia.

Theologia laicatus

Nemo est qui ignoret magnam his diebus adesse attentionem, apud theologos et catholicos laicos excultiores, ad theologiam laicatus, quam vocant, valde quidem complexam et periculosam, sed etiam variis rationibus, eisque magni momenti, cumulatam. Si enim, ex una parte, necessarium est acriter aggredi studium fundamenti biblici, theologici, historici, iuridici apostolatus laicalis, ut Pius XI edixit; ex alia parte, periculum errorum proxime latet atque aberrationes quaedam irrepserunt, quas Pius XII his verbis conquestus est: « Recentibus vero temporibus, hinc illinc enasci et passim propagari coepta est theologia, ut aiunt laicalis, et peculiare theologorum laicalium coeptum est genus, qui sui iuris esse profitentur... Hi suum magisterium distinguunt et quodammodo opponunt Magisterio Ecclesiae publico; aliquoties, ut suum agendi modum probent, provocant ad docendi et interpretandi charismata, de quibus in

Novo Testamento, praesertim in Epistolis Paulinis, non semel est sermo, provocant ad historiam... ». Sed etiam memorare iuvat accusationes theologorum protestantium et orientalium contra Ecclesiam catholicam, ob eius praesumptam exaggerationem, inde a Concilio Tridentino, iuridismi, in detrimentum interni elementi, potestatis Capitis Papae et eius Curiae Romanae, in detrimentum etiam Capitis invisibilis Christi; hierarchismi, in iacturam iurium et obligationum populi in actione vitali Corporis Christi.

Desiderandum ergo esset ut Concilium hoc argumentum pertractaret et definiret:

1. Veram doctrinam de sacerdotio reali aut metaphorico fidelium (S. Th. III, q. 63, a. 3), de eorumque participatione — et limitibus — in sacerdotium Christi.

2. Effectum consecratorium Baptismi et Confirmationis relate ad potestatem laicorum in Ecclesia, scl. ad potestatem cultualem, regiminis et magisterii et ad potestatem quàm vocant apostolicam et, simul, ex divina institutione, necessitatem dependentiae, ductus atque vigilantiae S. Hierarchiae; « nullum est enim, in Ecclesia... magisterium quod huic potestati ac vigilantiae subductum sit ».

3. Affirmationem identitatis Ecclesiae hierarchicae et Corporis mystici et principia inde exhaurienda ad repellendas calumnias acatholicorum contra Ecclesiam « romanam ».

Hinc, quod est in votis, resultaret: *a*) assignatio clara loci et functionum quae in Ecclesia eiusque structuratione et actione laicis hominibus competunt; *b*) aequa attentio in doctrina et praxi ad duplex elementum quo Corpus mysticum constat: iuridico et mystico, hierarchia aut sacerdotium et populus; *c*) aequa etiam ponderatio lectionum quibus Enc. *Mystici Corporis* est gravida, praesertim pro his temporibus nostris, in quibus catholici tanti faciunt apostolatum et sensum solidaritatis inter homines.

Pueri sine baptismo

Unum ex argumentis quod maxime inquietare et angere solet tam theologos quam fideles, praesertim pios, est, ut omnibus innotescit, sors lamentabilis puerorum qui sine baptismo decedunt.

Praeter doctrinalem, alios quoque aspectus in se continet quaestio, maximi quidem momenti: moralem scilicet, practicum et apostolicum, ad struendam nempe animis sollicitudinem et curam pro mundo infideli et ad acuendum atque firmandum humanae necessitudinis vinculum, solidaritatem, ut dicunt, fidelium hominum cum mundo infideli.

Doctrina communis theologorum et Documenta magisterii ecclesia-

stici de necessitate baptismi ad salvationem, post promulgatum Evangelium, anceps relinquitur in extremis argumentationis partibus et proposita argumenta fortassis denuo pensanda essent, et examini theologorum subicienda, ad lucem redemptionis et voluntatis salvificae Dei relate ad pueros, qui sine baptismate decesserunt.

De Ecclesia atque Statu

Attentis temporum condicionibus et doctrinis quorumdam magni nominis scriptorum catholicorum; attentis quoque opinionum et sententiarum fervore in pluribus nationibus, olim catholicis, et idearum confusione atque perturbatione in re tam gravi, plurimorum catholicorum, et praesertim Maritain asseclarum, qui totis viribus obligationem confessionalitatis, ut ita dicam, in statibus negant et impugnant, imo buccis crepitantibus conclamant, Statum laicum seu laicizantem, ut aiunt, non consequenter et in hypothesi, sed etiam in linea principiorum esse normalem condicionem, imo scopum attingendum et definitum atque perfectum schema in abstracto; vel exigentiam quamdam genuinae et purissimae doctrinae evangelicae (*Mth.* 22, 21); vel unam agendi rationem quae cum libertate fidei atque conscientiae concordat et conciliari potest; vel, denique, in praxim reductionem cuiusdam postulatus christiani, in examen forsan revocandae essent duae illae condemnationes Syllabi Pii IX (Denz. nn. 55 et 88), usque ad praesens ab omnibus theologis acceptae tamquam doctrina catholica, in innumeris aliis sollemnibus documentis Magisterii contentis.

Oecumenismus

Relate ad Oecumenismum, Concilium — merito, Deus faxit, Concilium unionis Ecclesiarum vocandum — vias sternere animosque parare totis viribus studere debet, ad huiusmodi unionem in futurum consequendam, forsan hodie adhuc utopicam.

Concilium, ni fallor, huic nobili adspirationi et omnium in Christo credentium ferventi desiderio efficacissime cooperabitur, his mediis adhibitis:

1. Sollemni affirmatione conscientiae Ecclesiae catholicae ipsam esse unicam veram Ecclesiam Christi, sanctam, perennem, indeficientem, apostolicam. Ideo unionem fieri non posse, nisi per reincorporationem ceterarum ecclesiarum dissidentium.

2. Sollemni item proclamatione sincerae et ardentissimae voluntatis quam Ecclesia habet, ut omnes qui in Christum credunt et Christum

amant cito adunentur, sed hoc nullo modo fieri posse cum detrimento aut macula depositi fidei christianae eius custodiae commendati.

3. Invitatione instantissima atque amoris materni plena, in qua constet Ecclesiae sinceram intentionem dialogi et intelligentiae in his omnibus rebus quae essentiale constitutivum Ecclesiae verae non sint, ex voluntate divini Fundatoris.

4. Invitatione omnibus fidelibus facta ad orationem, sacrificium et caritatem pro fratribus separatis, ut quam citissime fiat unum ovile sub uno Pastore.

5. Organismi seu Institutionis alicuius creatione, cui proprium erit cum auctoritate et competentia, modo tamen praecise determinando, oecumenismum non catholicum sequi eique studere, cum communitatibus non catholicis conferre et cum eis conversationes et contactus assidue habere, sub ductu et oboedientia sanctae Sedis.

6. Creatione facultatum Oecumenismi in Universitatibus catholicis, ad studium comparatum Ecclesiarum christianarum instituendum et, in genere, nihil intentatum relinquendo, in ordine intellectuali, ad cognitionem problematum unionis.

In re morali

Prae primis necessarium videtur, in hac summa ac praeclara occasione, populum christianum ad bonam frugem compellere, illum ad maiorem vitae austeritatem invitare et ad resistentiam impavide opponendam putrido materialismo in moribus, qui mundum universum invadere minitatur et conceptum vitae evangelicum atque urgentiam vocationis christianae « ad configurationem mortis Eius » deformare ac penitus evertere in dies conatur.

Urget praeterea animum attendere ad mores qui, non tantum inter acatholicas, sed etiam inter catholicas gentes, sensum honestatis, imo ordinem divinum deturbant et pervertunt.

1. In primis, et praecipue, natalitatis voluntaria limitatio (birth Control), quae vere lapis offensionis pro familiis christianis dici potest, magnum crimen quod divexat et angit mundum atque conscientias et una ex causis praecipuis deschristianizationis et apostasiae a fide et a religione.

Opportunum ideo erit ut Concilium non tantum in sollemnibus lectionibus et monitionibus insisteret olim a Summis Pontificibus Pio XI (*Casti Connubii*) et Pio XII datis, et condemnationem roboraret huius praxis legi divinae et iuri naturali contrariae; sed etiam ut, vestigia premens Pii XII, studio subiciat et criteria certa stabilire satagat circa remedia conceptionis quae scientia genesiaca proponit efficacia et tamen violationi legis divinae non obnoxia. Quod quidem conscientias innu-

meras sine dubio pacaret et remedia apponeret malis lugendis quae ex hac deordinatione, in dies ingravescente, miserabiliter promanant.

2. Oporteret etiam Concilii attentionem ad alias praxes vertere quae in hac re experimenta scientifica, ordine divino persaepe posthabito, et rectae conscientiae iuribus passim conculcatis, apud gentes facile divulgantur et fucatae technicae nomine commendantur, scl. foecundatio artificialis mulieris et incubatio, ut dicunt, humana seu resectio uteri foecundati in una muliere et in alteram translatio et insertio.

3. A Concilio forsan etiam commendandum esset ne magistri theologiae moralis a vera et genuina natura huius disciplinae devient, ita ut Th. Moralis in nostris scholis non ethica mere naturalis evadat, sed stricte et specifice christiana, ob primatum caritatis in Deum et hominem tamquam centrum universae tractationis; non scientia moralis tantum peccatorum, sed perfectionis praecipue et Christi imitationis; non mera casuistica, sed vera theologia virtutum.

De reformatione Ecclesiae

In pluribus locis disputatur de necessitate moderandi et coërcendi animum illum omnia in unum ordinandi seu nimiam, ut aiunt, centralizationem Ecclesiae, quae ansam accusationibus acatholicorum contra Sanctam Sedem facile offert et obicem praebet unioni oecumenicae et incondicionatae acatholicorum, qui actualem Ecclesiae catholicae structuram latinismi incusant, romanismi aut italianismi.

Tale votum non esse tantum « quid instinctivum et vitale » dicitur, quod pari gressu procedit cum sensu in dies acutiore, in hominibus catholicis modernis, circa libertatis et personalitatis cultum, sed etiam communem esse adspirationem, quae echum et resonantiam facile habet in circulis theologicis, in coetibus ecclesiasticis, adhuc in Universitatibus magno nomine praeditis.

Concilium ideo iudicare deberet de ratione et veritate, de commodis atque incommodis quae ex proposita reformatione derivari possent:

1. Distensio quaedam in exercitio iurisdictionis Summorum Pontificum et Curiae Romanae; quae quidem, si hae voces attendantur, ultra quod iustum est producitur ob rationes historicas iam superatas, et Episcopos parvi aut minoris pendit, eosque meros mandatarios considerat, cum detrimento iurisdictionis eorum ordinariae, ex iure divino provenientis.

2. Moderatio eorum quae in re doctrinali praecipiuntur: *a*) quoad novorum dogmatum definitionem; *b*) quoad doctrinarum censuram sive condemnatoriam sive prohibitivam, quae saepe saepius molesta aestima-

tur et inefficax evadit ad librorum seu sententiarum evulgationem comprimendam; *c*) quoad propositionem auctoritariam doctrinarum in Documentis sollemnioribus. Quae omnia libertatem atque studium investigationis et discussionis theologorum nimis coarctant.

3. Magis efficax fortasse foret universalizatio, ut ita dicam, Ecclesiae in suis Organis repraesentativis et rectoribus, quod est temporibus nostris maxime accommodatum. Mundus enim, ut perspicue animadvertitur, ad magnas unitates universales sensim procedit, in quibus « ad tutamen vocantur ea omnia quae in mundo latino-occidentali praestantia antiquitus fuerunt ». Quod desideratur *a*) in s. Collegio Cardinalitio, in quo omnes totius mundi communitates christianae repraesentandae essent; *b*) in Congregationibus Romanis; *c*) in Missionibus Diplomaticis.

Caelibatus atque officium divinum

Quoad obligationes quas clerici, vi ordinationis et iuxta Iuris Can. praecepta habent, praesertim vero caelibatus, non parva Nobis sollicitudo impraesentiarum inest: multa enim ad aures insusurrantur inter sacerdotes, multae anxietates atque curae in sacrorum pastorum animis suscitantur, multas lacrimas, easque amaritudine plenas, Ecclesiam hinc illinc profundere videmus; quot etiam pericula et difficultates, his diebus vere lugendis, in quibus adeo hominum luxuries invaluit et malitia, inferni calliditas et socordia!

1. Concilium, autumor, argumentum hoc praecipuum in disciplina sacerdotali et apostolica praetermittere nequit, illud examini subicere et affirmare iterum atque iterum studebit, ut sacra lex, coetus sacerdotalis decus atque ornamentum et pignus atque securitas laboris apostolici efficacis, in sacerdotio catholico intemerato fulgore semper eniteat.

Oportebit etiam ut Concilium oecumenicum malis undique grassantibus remedia praebere insistat et documenta sacerdotibus dare, ne talis honor illis, incuria, impudentia aut malitia, onus importabile fiat, ne tantus decor atque decus in ignominiam vertatur atque infamiam, ne pignus foecunditatis apostolicae, in bonum et aedificationem fidelium datum, in scandalum et in cladem animarum vergat.

2. Relate ad Divinum Officium, in omnium votis est ut quam primum Breviarium reformetur et ad iustos limites ducatur hoc divinum pensum, ut spiritum vere nutriat non fastidiat, solamen animae sacerdotis sit non spirituale detrimentum. Pietas enim supernaturalis, etiam atque maxime in sacerdote, erit semper unio personalis atque contactus, ut ita dicam, cum Deo; laudatio proinde officialis Ecclesiae nequit dici emissio vocis effectu personali carens et motionis atque devotionis internae expers. Offi-

cium Divinum ordinari tali modo deberet, opinor, ut oratio officialis sacerdotibus tempus aptum ruminationi, meditationi, affectibus personalibus relinquat.

In reformatione ideo, Officium ad modum atque ad limites convenientes reducatur et nimis ne protrahatur, ita ut hoc divinum et cotidianum onus personalem ad Deum cordis ascensionem foveat non suffocet, spiritum roboret non fatiget, instrumentum progressus spiritualis sit non spirituale detrimentum, digna laus Deo non dedecora in Deum offensio.

De statu perfectionis

Si attenta mente consideramus periculum laicismi simul et materialismi, quod minans ubique terrarum serpit apud catholicas nationes, animas atque instituta inficiens, non parum expediret ut Concilium oecumenicum antiquas et perennes declarationes renovaret de excellentia statuum perfectionis.

Oporteret etiam errores quosdam animadvertere et damnare in hac re his nostris temporibus detectos, quos quidem Pius XII, f. rec., non semel sive verbis sive scriptis profligavit.

Etiam naturam atque essentiam perfectionis christianae declarare opportunum videretur, quod in ea elementum substantiale definire et qui sint characteres specifici spiritualitatis dicere in diversis statibus qui in Ecclesia exstant, cum clericalium, tum religiosorum atque laicorum.

De redistributione cleri

Melior et sapientior distributio sacerdotum in dioecesibus magnum equidem problema est, quod Concilium oecumenicum posset utilissime examini Patrum subicere, in bonum Ecclesiae.

Regiones et dioeceses sunt in quibus, ex variis causis, abundant sacerdotes, pullulant vocationes, vita atque mores christiani florescunt, actio pastoralis atque ovium cura facilis evadit. Aliae vero sunt quae fame pereunt, cum magno detrimento animarum et ministeriorum sacerdotalium.

Systema incardinationis sacerdotum dioecesibus, iure actuali vigens, impedimentum ex magna parte affert, ut clerici per totum Ecclesiae territorium facile distribui possint, quod secum ferret solutionem magnorum problematum pastoralium huius temporis.

Organum seu institutum nationale supradioecesanum

Nonnulla sunt negotia, his nostris temporibus, quae ambitum et characterem induunt supradioecesanum, quorum administratio et regimen in toto territorio civili aut natione Ecclesiae competit. Ea quidem solvi aut moderari efficienter et uniformiter necessarium est, sed revera nequit hoc fieri, ex defectu Organi seu Instituti in hoc ordine competentis.

Nec Sedi Apostolicae facultas est ut ea dirimat nec illi forsan expedit talibus se negotiis implicari, cum detrimento iuris atque actionis episcoporum; nec Conciliis Nationalibus, quae raro celebrari possunt; nec Conferentiis, ut dicunt, Metropolitanorum aut Episcoporum, quae persaepe inefficaces sunt propter defectum auctoritatis et competentiae; nec Primati aut Metropolitis et similibus, qui praecellentiam mere honorificam habent.

Studio igitur subicienda est possibilitas et convenientia et etiam modus constituendi in diversis Nationibus aut territoriis Institutum seu Organum quoddam, auctoritate supradioecesana praeditum, quod, sive ex delegatione et ductu Sanctae Sedis sive ex delegatione expressa aut implicita Ordinariorum omnium illius nationis, procul tamen periculis nationalismi amotis, his negotiis praesit, eaque dirigat, ordinet atque auctoritative solvat.

Experientiae in diversis Ecclesiae partibus factae, modum atque schema indicere facile possunt, ut tale Organum seu Institutum constituatur.

De exemptione Religiosorum

Offendiculum fere semper constituit relationibus inter sodales religiosos atque Episcopos privilegium exemptionis, ab Ecclesia religiosis viris concessum. Quod quidem amissam coordinationem et collaborationem explicat in operibus et laboribus apostolicis ab religiosis aut sacerdotibus moderatis, in societatibus stricte religiosis aut in iis quae characterem induunt dioecesanum. Inde etiam molestiae atque rixae, quae cum fidelium scandalo quandoque habentur inter clerum saecularem et religiosum, inter episcopos atque religiosos ordines, quaeque in mutuis relationibus frequentissime versantur.

Prudens quaedam et moderata independentia seu autonomia, ut verbo actuali utar, a potestate episcopali religiosis omnibus necessaria profecto est, in his scilicet quae ad regimen internum spectant, ad ministeria quae ipsis peculiari modo adscripta sunt, ad ea denique quae oecumenicam rationem prae se ferunt.

Ut haec omnia vitari hinc deinceps possint, oporteret ut Concilium

conceptum atque definitionem exemptionis pro omnibus religiosis stabiliret, non ut quorumdam eorum privilegium privativum, quod fundamento caret cum ratio concessionis prorsus sublata sit, sed ut moderata quaedam sui iuris ordinatio, natura rerum atque personarum expetita.

De paroeciarum nimia extensione in civitatibus

Ex magnis difficultatibus quae laborem pastoralem sterilem reddunt motusque apostolicos atque impetus morantur in paroeciis magnarum urbium, potissima fortassis est abnormis illa extensio territorialis atque humana paroeciarum in illis existentium, quas barbaro nomine « macroparoecias » appellant.

Ministerii paroecialis complexus, rerum atque negotiorum magnus numerus, qui sacerdotes talibus paroeciis adscriptos in administrationem « burocraticam » et in curam fidelibus praestandam impense intentos atque immersos detinet, fabricationes atque aedificia civica, quae paroeciam efformant, fidelium dispersio atque disiunctio, ratione laboris et societatis, quae in dies maxime implicantur, paroeciam, si multorum hominum vocibus aurem praebeamus, institutionem in discrimine positam demonstrant, confractam aut pene confectam.

Re quidem vera difficultatum maxima pars, ne dicam omnes, ex hoc phaenomeno « macroparoeciarum » promanat, quae immani magnitudine atque extensione, impari atque exiguo sacerdotum numero, nequeunt iustum ac definitum paroeciae schema evolvere et ad perfectionem ducere.

Concilium idcirco studio submittere hoc phaenomenon oporteret, regulas de extensione paroeciarum allatas urgere novisque legibus, si opus est, pro temporum adiunctis, institutionem paroecialem firmare atque complere.

Labor apostolicus inter opifices

Sedula semper fuit atque indefessa Ecclesiae cura, ut ministerium pastorale impigre exerceretur inter homines labori atque operae deditos, hisce nostris temporibus praesertim, cum necessitatem magis magisque in dies ingravescere videretur. Quod quidem difficultatibus non caret; opificum enim coetus, inter quos latissime, per plures annos, doctrinae socialismi et communismi sive aperte sive larvate propagatae sunt atque mente et vocibus agitatae, longe abest ab Ecclesia in omnibus fere nationibus, hominum scelestorum malitia, quandoque vero bonorum incuria.

Nihil ergo mirandum, ad hanc apostasiam opificum tollendam, ad maxima hostilitatis, diffidentiae, indifferentiae, ignorantiae obstacula de-

vincenda, Ecclesiam catholicam tot adhibuisse atque aptasse mediorum, tot viarum tentasse atque excogitasse.

Concilium oecumenicum, hoc nostro tempore antonomasia sociali celebrandum, in quo ideas et acceptionem antiquiores circa vitam atque historiam penitus eversas atque superatas videmus, non poterit hoc maximum negotium, quod materna Ecclesia viscera angit, diligentissime non considerare, ea quae experientia docuit in re examini iterum subicere, methodum atque viam demonstrare quam, defectibus seu erroribus purgatam, omnibus sive laicis et religiosis viris sive sacerdotibus et episcopis affabre adlaborantibus, nihil ab ea deflectendo, sequi oporteat, ut Deo opificum turma iterum lucrari et fidei rursus atque caritati christianae reddi possit.

Marxismo atque Communismo, qui coetus « proletarios », uti dicitur, allicit et attrahit, apostolatum actionis et testimonii Ecclesia apponere debet, iuxta principia et leges a Concilio proposita.

De actione apostolica laicorum

Ubique terrarum hoc potissimum in votis est, de hoc potissime agitur, ut actio seu labor apostolicus laicorum qui Associationibus religiosis nomen dederunt pari gressu procedat cum labore apostolico sacerdotum. Nondum in Ecclesia iustam habemus rationem atque legitimam intelligendae Actionis catholicae normam: haec enim Hierarchiae catholicae Organum Officiale vocatur, ac si ceterae Associationes apostolicae pari modo actioni catholicae non incumberent aut Ecclesiae catholicae officiales minime essent.

Hinc rixae, hinc zelotypiae, hinc unitas in negotiis sive promovendis sive moderandis aut evolvendis toties desiderata, hinc denique efficaciae et exitus destitutio in nobilissimis apostolici muneris actibus atque factis.

1. Actionem ideo catholicam definire convenit, illam dico quae ex omnibus Organis Associationibus, Institutis completur quae, ab Ecclesia probata, originem ab institutionibus ecclesiasticis ceperunt aut ab eis reguntur ac moderantur, quibus vero laici adhaeserunt ut sacerdotum et sacrorum Pastorum in regno Dei dilatando validi essent adiutores.

2. Statutum aut saltem ipsius generalia lineamenta stabilire de apostolatu laicorum in Ecclesia, ut Actio catholica.

3. Interest praesertim ut normae atque principia afferantur ad efformanda et coordinanda Organa internationalia Actionis catholicae et Cooperationis internationalis, auctoritate et efficacia praedita apud ea maxima Instituta quae influxum in nationum et universi orbis regimine exercent: *a*) acta diurna seu ephemerides, Radiophonia, TV., Cinema-

tographia, etc.; *b*) Organa ad culturam fovendam; *c*) Instituta caritatis et beneficentiae (ad emigrantes, fugitivos, exules, opifices iuvandos). Pius Papa XII, f. r., homines catholicos his omnibus adesse, in his assidue versari atque adlaborare vehementer volebat; catholici autem nostri physice atque moraliter ab his Organis internationalibus absunt.

De Missionibus et de mundo nigro

Litterarum Enc. *Fidei donum* vestigia terens, Concilium in mentem Patrum revocare atque animo considerare deberet quantum Ecclesiae problema et aenigma constituat quod nationes atque gentes, hucusque rudes et incultae imo barbariae proximae, agitationibus et doctrinis antichristianis, saltem profecto acatholicae, allecatae atque vexatae, ad lucem progressus et culturae civilis repente quasi excitentur, ex. gr. gentes Africae, mundus niger. Quod quidem rem attente consideranti non parum affert sollicitudinis atque curae.

Hominum nigrorum perturbatio et in eis rerum novarum cupiditas hoc maxime contendit ut propius ad vitam digniorem atque humaniorem accedant, ut ad mundum eruditiorem et cultiorem veniant, ut sui iuris tandem sint, quin communi bono cooperare desinant una cum ceteris terrarum populis.

Ecclesia nequit huic negotio non consulere, legesque ferre debet opportunas in hac reapse gravissima et sollemni occasione, cum Concilii oecumenici celebratione, tum adventu atque nativitate tot populorum, qui ab agresti cultu ferisque moribus sese conferunt ad civilis vitae humanitatem, quae quidem — en negotii momentum — et christiana esse potest et achristiana et antichristiana.

De usu linguae vulgaris in Sacra Liturgia

Studio et decisionibus Concilii subicienda esset etiam magna illa eademque tenuis et acuta quaestio de usu linguae vulgaris in liturgia, praesertim vero in celebratione sanctae Missae.

Res ardua profecto est, in qua summa prudentia et ponderatio necessariae sunt.

Ex una enim parte, *a*) hoc fideles, imprimis religiosiores, postulant, hoc non ignobilis nominis liturgistae atque pastoralis theologiae cultores; *b*) usus etiam linguae vulgaris, ut conicere licet, multum faveret participationi activae fidelium in sacrosancto Missae sacrificio.

Ex alia vero parte, *a*) difficultas adest interpretandi multa archaica

verba, quae latine dicta aures non offendunt, sed in linguas vernaculas translata vehementer strident; *b*) historia ritualium protestantium et reformatorum nos diligenter cavere admonet; *c*) character arcanus sacrae Actionis hoc idem suadet.

Si liceat meam sententiam modeste aperire, hoc unum concedi posset in re, et fortasse expediret: *a*) usus linguae vernaculae in Missa catechumenorum, quae ad liturgiam verbi maxime pertinet, atque in gratiarum actione; *b*) in canticis religiosis — non stricte liturgicis — quae in omni genere Missarum, sive lectis sive cantatis atque sollemnibus habeantur.

Hoc, ni fallor, petitionibus liturgistarum et fidelium satisfaceret et Missa characterem « mystericum » plene servaret, si scl. Canon secrete dici pergat.

Leges ieiunii atque abstinentiae

Norma clara, obiectiva atque practica, circumstantiis et condicionibus vitae modernae adaptata desideratur, quae aperte et indubitanter definiat in quo essentia legis ieiunii sita sit et ad quid abstinentia obliget.

Ex altera parte, liturgia, quadragesimalis praesertim, fere cotidie iteratis verbis ieiunii observantiam ob rationes pastorales commendat et instanter petit. Ex alia parte, lex ecclesiastica, quae ex constanti traditione idem exigit, sive propter mitigationes in praxi introductas his proximis temporibus sive propter benignas interpretationes auctorum, fere obsoleta dicenda est et a fidelibus, ad laxismum proclivibus, facile parvi penditur. Ex alia denique, condiciones sociales atque physiologicae non parum mutatae sunt.

Hinc dissonantia evidens inter liturgiam, cum suis formulis venerabili usu consecratis, leges et vitam.

De kalendarii reformatione

Licet in praxi perplures praevideantur difficultates, quae in praeiudiciis praesertim fundamentum habent et in inveterata iteratione, hispanice « rutina », posset tamen Concilium oecumenicum Kalendarii reformationem examinare et aggredi, ex qua, ut conicere licet, tot commoda pro vita civili et liturgia exsurgere possent. Quae reformatio amplecti deberet ex. gr.:

Dierum, hebdomadarum atque mensium definitionem;
Festorum mobilium suppressionem;
Paschae celebrationem in die fixo semper pro semper designato.

1. Kalendarii reformatio et nova statuitio, ut videtur, sufficienter studio peritorum subacta est, et technici, ut etiam videtur, in consensum

fere unanimem venerunt circa schema ab Unione Nationum confectum et propositum.

2. Rationes et argumenta in quibus, sub aspectu sociali et civili, Kalendarii reformatio sustentatur ab omnibus nota sunt. Sub adspectu religioso etiam, et in primis quoad liturgicam reformationem, quae est in votis, plures et magnae utilitates praevidentur, et, ipso facto, reformationis problemata solvuntur non pauca, quae ex mobilitate Paschae et dominicarum promanant.

3. Desideratae reformationis opportunitas in uno Concilio posita est, quae quidem reformatio unioni totius Ecclesiae non parum conferret. Sancta Sedes, quae initio et in genere reformationis ideam excepit, ad auctoritatem futuri Concilii quaestionem seu negotium Paschae et hebdomadarum distributionis semper mandavit.

De celebratione S. Missae et de Communionis Sacrae distributione

Codicis I. Can. normae et facultates a Ss. Congregationibus anno 1918 sq. concessae quoad tempus et locum sanctae Missae celebrandae, si ad praxim communem attendimus, obsoletae videntur, siquidem respondent vitae adiunctis omnino diversis et insuper, vi frequentium dispensationum et concessionum, deturpatae sunt atque abscissae. Adhuc autem norma in Motu proprio « Sacram Communionem » data explicatione atque ampliatione indiget.

Hinc peropportunum iudico: 1) ut aperte stabiliatur et definiatur norma quae orientationes aut leges liturgicas a Sancta Sede promanantes colligat et aperte statuat pro universa Ecclesia: *a*) horae etiam praecisae statuantur in quibus Sacrum litari liceat tum in diebus feriatis quam in diebus festivis et in specialibus sollemnitatibus (puta Congressus, Concentrationes, Missiones, etc.), quin recursus ad S. Sedem necessarius sit in unoquoque casu. Quod quidem declarare oportebit quoad tempus nocturnum, matutinum atque vespertinum. *b*) Item, relate ad locum, in ecclesia, in oratoriis, sub dio, in mari, in vehiculis ferratis, in aëronavibus, attentis mutatis condicionibus securitatis et decoris.

2) Quoad S. Communionis distributionem, solvere difficultates oportebit: *a*) in ordine ad Missam, an distribui possit separatim ab ea; *b*) an etiam quacumque hora diei et noctis porrigi possit, ad fovendam pietatem et necessitatibus occurrendum.

Salvis semper, ut patet, legibus ieiunii eucharistici.

De diebus festivis

Desideratur etiam a Concilio oecumenico norma praecisa, clara, obiectiva, temporum condicionibus respondens:

a) de numero festorum quae in Ecclesia universa uniformiter et sub praecepto observari debeant, de eorumque assignatione iisdem diebus pro omnibus regionibus.

b) De natura atque condicionibus laboris servilis in eis prohibitis.

1. Quoad primum, ob legitimas consuetudines aut peculiaria indulta, praxis tam varia in Ecclesia est, a lege communi Codicis (c. 1247, seq.) distincta, ut admirationem excitet, imo saepe confusionem in conscientiis fidelium, qui hodie facillime ex una in aliam regionem commeare solent.

2. Quoad secundum dicendum partitionem in *C.I.C. allatam* (c. 1248), illam etiam apud theologos moralistas vigentem, nimis vagam atque impraecisam videri et condicionibus socialibus undique superatis respondentem. Diversitas insuper criterii atque sententiarum apud moralistas et confessarios efficaci modo ad laxismum fideles adducit et ad conscientiae deformationem in hoc negotio.

✠ ARCTURUS TABERA ARAOZ
Episcopus Albasitensis

2

EXC.MI P. D. ALPHONSI RÓDENAS GARCIA
Episcopi Almeriensis (Almeria)

21 decembris 1959

Eminentissime Domine,

Litteris Eminentiae Vestrae die 18 iunii 1959 sub Prot. N. 1 C/59-110 datis, omni cum reverentia rescribens, primum Eminentiae Vestrae ob dilationem huius responsionis quae non ultra diem primam septembris anni currentis differri debuit, humiliter veniam peto.

Circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt, haec, inter alia, examini subiicienda mihi videntur:

I. *De unione ecclesiarum cum Ecclesia Catholica, earum, nempe ecclesiarum quae protestantes aut schismaticae appellantur.* Omnibus compertum est quam ardens sit desiderium sive ex parte catholicorum, sive ex parte ipsorum dissidentium ut hoc problema religiosum solutionem habeat.

II. *De Beata Maria Virgine omnium Gratiarum Mediatrice.* Huius veritatis lux in diem crescit; quanto magis effulgebit si de eius enucleatione futurum Concilium tractet!

III. *De revisione exemptionis religiosorum.* Vera et efficax coordinatio omnium associationum quae in apostolatu laborant nequit fieri ab Episcopis nisi fideles omnes aliquo modo illi subdantur.

IV. *De apostolatu laicali in Ecclesia.* Huius apostolatus notio, ambitus et relatio cum ecclesiastica hierarchia desideratur.

V. *De usu linguae vulgaris in Liturgia praesertim in Sacramentorum administratione.* Hodiernis temporibus fideles exhortantur ad participandum in sacris functionibus; unde necessarium est ut bene intelligant caeremoniarum sensum, quod sine usu linguae vulgaris obtineri non est possibile.

VI. *De simplificatione* — non reductione — *recitationis Officii divini.*

VII. *De vitae christianae genuino sensu.* Existit enim schola *largior,* ut ita dicam, quae admittit vitam pietatis et sacramentorum frequentem receptionem simulque mundanam conversationem quae in relationibus praematrimonialibus, in diversionibus, in vestibus, etc. normis christianae moralitatis oppositis, *manifestatur.*

VIII. *De capitulis canonicorum.* Capitulum canonicorum ad hoc institutum est ut sollemniorem cultum Deo in ecclesia exhibeat. Attamen dantur tantae causae quibus canonici ab adsistentia a choro excusantur!

Sunt et alia multa argumenta quae studio Concilii offerri possent, sed hae non possunt non tractari.

Quae quidem cum ista Pontificia Commissione communicans, Eminentiae Vestrae quo par est obsequio aestimationem obtestor, sacramque Purpuram deosculans me profiteor

add.mus in C. I.

✠ ALPHONSUS RÓDENAS GARCIA
Episcopus Almeriensis

3

Exc.mi P. D. IOSEPHI CASTELLTORT SUBEYRE
Episcopi Asturicensis (Astorga)

Asturicae Augustae, die 11 septembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Infrascriptus Episcopus Asturicensis, in Hispania, libentissime obsecundans quae ipsi fuerunt significata per litteras Eminentiae Tuae d. d. 18 iunii 1959, Prot. N. I C/59-158, quae sequuntur proponere opportunum duxit:

I. *Pro Seminarii alumnis.* – Omni adnitendum est ope ut Seminarii alumni, *ad sacrae Scripturae atque sanctorum Patrum cognitionem* quod spectat, magis magisque in dies instituantur. Sufficere enim non videntur circa sacras Litteras studia; opus vero est ut alumni isti, antequam e Seminario discedant, sacram Scripturam semel saltem perlegant totam. Neque sufficit Sanctorum Patrum cognitio quae e textibus allatis in theologia sive dogmatica sive morali erui valeat. Necesse est ut qui ecclesiasticis ministeriis sese devovere cupiunt, prae manibus habeant ipsamet praelaudatorum Patrum opera. Hunc autem in finem maxime opportuna erit eorundem divulgatio operum. Seminarii alumni necnon et sacerdotes plures, oblivioni amandantes Fidei atque Moralis catholicae fontes, vix percurrunt nisi opera, et quidem non theologica, auctorum hodiernorum; sicque, intellectualismi pedissequi, pluris scientiam quam sanctitatem atque virtutem faciunt.

II. *Pro Sacerdotibus.* – 1) Plures gravioresque ob rationes quae respiciunt tam clericos ipsos quam ecclesiasticum ministerium, *talaris habitus* pro clericis, in regionibus saltem illis pro quibus in usu est, servari debet omnino.

2) Ad *ecclesiasticum coelibatum* quod attinet, *nihil prorsus nullaque sub specie* remittendum censet infrascriptus cum universo clero populoque suae dioecesis.

3) Diaconatus, uti vocant, saecularium fidelium conveniens non videtur.

4) Sacerdotes adsunt qui vota emittere cupiunt quin tamen dioecesanorum sacerdotum condicionem amittere velint. Curanda igitur est institutio, *indolis eminenter dioecesanae,* in qua et per quam sacerdotes praefati maioris perfectionis desiderio rite facere satis queant. Istius

autem institutionis Superior maior esset pro sua quisque dioecesi Episcopus proprius. Instituta enim saecularia quae dicuntur, hunc in finem expertia non videntur difficultatum, praesertim quod attinet: *a*) ad oboedientiae votum, saltem in praxi; *b*) ad spiritualem moralemque sociorum institutionem; *c*) ad pastorale consilium et gubernium. Consentaneum aliunde videtur ut dioecesani sacerdotes, in propria dioecesi, omnia invenire possent sanctificationis media, sicuti et religiosi sodales ipsa inveniunt in suo Ordine vel Congregatione. Instituta praeterea saecularia dioecesanis sacerdotibus ad proprios ipsorum Institutorum utuntur fines. Neque praetermittendum in una eademque dioecesi Institutis saecularibus diversis sese aggregare valere sacerdotes, quod secumferre potest difficultates nec paucas nec parvas tam pro sacerdotibus ipsis quam pro Episcopo. Quibus omnibus rite perpensis, dioecesanos sacerdotes, qui simul sodales sint Institutorum saecularium, non esse admittendos censet infrascriptus.

5) Optanda videtur amplior pro Episcopo libertas in parochorum remotione.

III. *Ad animarum curam quod attinet.* – 1) Magna est contentione conandum ut paroecia magis magisque extollatur in dies ut christifidelium multitudo revera constituat paroecialem Communitatem. 2) Religiosorum sodalium ad paroeciam accessus maior maiusque auxilium curanda videntur. 3) Ut familiae vere christianae constituantur, adlaborandum maxime est pro iis qui nuptias iam iam sunt inituri, ut rite inveniantur edocti ac instituti. 4) Determinare ulterius oportet quae ad sanctissimam Eucharistiam frequenter riteque suscipiendam sunt necessaria. Frequentia enim ista componi non valet cum vivendi rationibus ac modis quae nonnisi humanae vitae delicias et commoda sapiunt. 5) Animarum cura tota quanta conari debet pro evangelica austeritate, caritate, iustitia et castitate augenda. Defectus enim harum virtutum, postremae notatim, fidei christianae nocumentum affert quam maximum. 6) Publica est damnanda turpitudo. 7) Definiri debent relationes quae intercedant necesse est inter sodales Institutorum saecularium propriamque paroeciam. Sodales autem isti, saltem laici, alicuius parochi subditi sunt atque, ut tales, apostolorum more sese gerere tenentur et fidelibus caeteris pietate, auxilio ac filiali oboedientia erga parochum in exemplum excellere.

IV. *De fide et moribus.* – Protestantica principia mentibus atque moribus catholicorum plurium, in praxi saltem, singulis instillantur diebus. Ad modum exempli quae sequuntur notanda occurrunt: *a*) Minus numero gravitateque in dies adsunt peccata! Publicae turpitudines peccata haud reputantur. *b*) Neque peccata censentur obscoeni actus qui tanquam actus naturae simpliciter aestimantur. *c*) Omnia in gerendis nego-

tiis licita sunt. *d*) Parvipenditur et difficultatibus scatet erga Superiores oboedientia. *e*) Fides atque religio in vitam non transcendunt atque, ipsa sacra Communione non excepta, ad pios reducuntur usus, vanos foventes sensus, quorum vi homines aeternam adepturi sunt salutem *etiam sine bonis operibus*. *f*) Laici adsunt nec clerici deficiunt qui ecclesiasticum coelibatum habitumque talarem parvipendunt atque oppugnant; latinam linguam e sacra Liturgia reicere volunt, ac in discrimen vocant oboedientiam et obsequium erga Episcopos et ipsum Romanum Pontificem. *g*) Technici viri atque periti stipendia plus aequo exigunt atque nimia, etiam ex pauperibus et egentibus, pluraque percipiunt, tanquam lucri participes, quae non patitur iustitia. Nemo autem hunc agendi modum reputat peccaminosum. Errores isti licet dogmatici non sint, saltem in pluribus, magnum scandalum gignunt magnumque nocumentum pro christiana afferunt vita; quare omni ope sunt extirpandi.

V. *De Liturgia*. – Magnis extollimus laudibus Instructionem postremo datam a S. R. Congregatione anno proxime elapso 1958 de Musica Sacra et Sacra Liturgia. Latina lingua et cantus « gregorianus » adhibendi sunt in actionibus liturgicis tanquam argumentum et signum ecclesiasticae Unitatis. Expedit quam maxime Unitatis illius vincula non infirmare, quin immo totis curandum est viribus ut vincula ista quotidie sustineantur et strenue roborentur.

VI. *De religiosa institutione*. 1) Curandum est valde ut in athenaeis et collegiis quibus praesunt religiosi sodales, adamussim diligenterque intendatur alumnorum institutio religiosa et moralis. 2) Omni studio curandum est etiam ut in praefatis locis alumni paroecialem frequentent ecclesiam propriam, praesertim pro Sacro audiendo diebus dominis aliisque per annum festis de praecepto. 3) Modus denique est investigandus ac praefiniendus componendi alumnorum vitae rationem in collegio cum apostolatus ordinatione pro laicis.

Quae quidem omnia filiali obsequio ac reverentia Supremo Sanctae Sedis iudicio per Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico humillime subiicit infrascriptus.

Hanc nactus occasionem, omni etiam qua par est reverentia, Eminentiae Tuae Reverendissimae me profiteor

addictissimum atque obsequentissimum in D.no

✠ IOSEPHUS CASTELLTORT SUBEYRE
Episcopus Asturicensis

4

EXC.MI P. D. SANCTI MORO BRIZ
Episcopi Abulensis (Avila)

Abulae, in Hispania, die 19 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Libentissimo animo litteras Circulares excepi Eminentiae Tuae Reverendissimae, — clarissimi Praesulis Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico —, datas die 18 iunii (Prot. N. 1 C/59-173), quibus desiderium significabas S.mi D. N. Ioannis XXIII fel. regn. cognoscendi « animadversiones, consilia et vota... circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt ».

Egregia animi alacritate animadversiones et vota nonnulla — non sine rubore — exaravi, quae sequentibus paginis continentur.

Haec dum isti Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae communico, fausta cuncta Eminentiae Tuae Rev.mae in Domino adprecor et me profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
humilem atque devotissimum in Christo servum
✠ SANCTUS MORO BRIZ
Episcopus Abulensis

I. *Quaedam doctrinae capita*

1. *Ius Publicum Ecclesiasticum.* Iuvabit fortasse, auctoritate Concilii, Summam Iuris Publici Ecclesiastici pro fidelium institutione concinne exarare, theses saltem complectentem, quae hodie prae caeteris ab acatholicis (immo, non raro a fidelibus et a clericis) impugnantur.

Exempli causa, tres commemoro: *a*) Sic dicta « thesis » catholica: Estne, hodieque, locus « Statui catholico »? *b*) Quid de « tolerantia » (non praecise ut *factum,* quod passim hodiernis temporibus imponitur), de « theologia », ut sic dicam, tolerantiae (= de esa actitud de tolerancia), quae intime cohaeret cum fide theologica. *c*) Relationes, seu habitudo inter Ecclesiam et Statum Civilem (profecto optabilis non est « separatio »: quamvis, de facto, in nonnullis nationibus, v. g., in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, fructus bonos pariat).

2. Iuvat forte denuo in mentem revocare: « Iura Ecclesiae et Status » circa educationem (« Monopolium docens » iterum reiiciatur); matrimonium (pestiferum divortium vinculare sollemniter anathematizetur).

3. Expediret, Concilii auctoritate, « Enchiridion » sive « Synthesim Christianam » conficere, in quo primo praecipua doctrinae capita ab Ecclesia proposita post Tridentinum Concilium colligantur, et postea « confrontatio » fiat cum systhematibus erroneis nostri temporis (materialismus omnis generis, laicismus, historicismus, existentialismus...), incorporatis nostrae « Synthesi Christianae » particulis veritatis, quae in praefatis systematibus erroneis contineantur; tamquam Appendix, expediret novum « Syllabum » sive catalogum errorum omnis generis huius temporis edere, praeter alios, eos praecise, qui in Litteris *Humani generis* Summi Pontificis Pii XII configuntur (ut tam cleri quam christifideles faciliter prae oculis semper habere valeant genuinum Ecclesiae sensum).

4. Theologia sic dicta fidelium « laicorum ». Nimirum: qua ratione participent Sacerdotium Christi: quas canonicas missiones eisdem Sacra Hierarchia committere possit, etc.

5. Iura « personae » humanae, independentia a Statu, eique praecedentia (codificare iuvabit praeclaram, de hoc argumento, Pii XII doctrinam). Dignitas « humani laboris » (pro opificum iuvamine et solatio).

6. Ad trutinam revocentur nonnullae theses dogmaticae in sua habitudine cum *terminologia* aristotelico-thomista. Inspectis progressibus scientiarum physico-naturalium, interest forte aliquid immutare?

7. *Doctrina moralis. a*) Errores praecipui nostri temporis palam prodantur, v. g. sic dicta « moral de situación »... *b*) Circa *bellum*. Bellum inferre, praesertim inter nationes praepotentes, estne hodie iustum?; quibus in adiunctis? Quae hodierna *arma* iure naturali prohibentur (bellum chimicum, bacteriologicum, glans ignifera atomica...).

8. Virtus *iustitiae socialis,* eiusque consectaria. Quo pacto practice applicanda? Quandonam adimpletur, vel e contra peccatur contra eam? Praxis pro confessionali (auctores Theologiae Moralis nihil fere hac de re edocent; hinc nec fideles peccata contra eam confitentur).

9. *De Sacra Scriptura.* Interest in epitomem redigere, pro cleri et christifidelium institutione, ea quae hodie tenenda sunt, ut vere historica, v. g. in Genesi, de mundi creatione, de constitutione corporis protoparentum etc.

10. Liceat votum nostrae Abulensis Dioecesis promere de definitione dogmatica Universalis Mediationis Beatissimae Virginis Mariae.

II. *Disciplina cleri et populi christiani*

Factum. Conspectus Ecclesiae in hac parte, proh dolor, est vere lugendus. Advenisse videntur tempora a Christo Domino praenuntiata: « quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum » (*Mt.* 24, 12); desideratur caritas (veri christifidelis signum); mores populi in dies paganizantur...; populus, sic dicta « massa », iugi intoxicationi subest ex parte cinematographi, Radii, TV, Proeli... Nonnulli, etiam clerici contagio infecti sunt recentioris modernismi et « americanismi »... Evanuit apud plurimos notio peccati (Pius XII). Plerique christifideles habitualiter in peccato lethali vivunt... Luce clarior est invasio materialismi et neopaganismi.

Remedium? Nova effusio Spiritus Sancti in Ecclesia, quae, ope Concilii Oecumenici, veram ac radicalem *reformationem* mentibus inspiret.

Reformatio quidem, prae omnibus, in Clero (non exceptis nobismetipsis, Episcopis), et in Ordinibus Religiosis.

1. Accuratius seligantur candidati ad Sacerdotium.

2. *Seminaria.* Praeter alia plurima:

a) maior exigentia in materia castitatis...

b) sunt qui propugnent, absolutis philosophiae scholasticae studiis, cursum praeparatorium alumnorum, priusquam Sacrae Theologiae curricula incipiant; *c*) aperiantur Seminaria Regionalia ad eos adspirantes recipiendos, qui in proprio Seminario, ob excessum candidatorum admitti non valuerint; *d*) vehementer affigatur alumnorum animis spiritus Encyclicae « Fidei donum », ita ut plurimi, suo tempore, sponte sese offerant ad missiones inter infideles.

3. Magni interest *elevatio Cleri saecularis sive dioecesani,* ita ut eorum obligationes propinquae sint iis quae Clero Regulari sunt communia, et « apostolicam vivendi formam » aemulentur. Hinc, praeter caelibatum et votum castitatis, exigatur: *a*) non quidem mera promissio oboedientiae Episcopo, sed votum; *b*) votum quoque, vel saltem verus spiritus, paupertatis; *c*) vita *communis,* saltem in civitatibus vel oppidis ubi plures sunt sacerdotes. Immo, forte expediret et vitam communem praescribere parochis, qui in finitimis oppidulis in solitudine vivunt (dummodo mediis aptis ad animarum curam sint instructi, v. g. telephonio, automobili vel motocycleta...); *d*) « Omnis species lucri a divinis ministeriis arceatur! ».

Non desunt qui hoc votum exprimant: « Sit universus Clerus Dioecesanus quasi peculiare Institutum Saeculare »...

4. Maneat immutata lex habitus ecclesiastici (can. 136).

5. Quo sacerdotes « resuscitent gratiam » quae ipsis data est per

sacram ordinationem, et arceatur periculum teporis, nonnulli propugnant ut eisdem imponatur obligatio peragendi integrum mensem Exercitiorum Spiritualium, semel absoluto quinto anno ab ordinatione.

6. Hodie pro fidelibus exitiale exemplum est luxus et sic dictus « confort » sacerdotum...

7. Videtur valde conveniens hanc veluti legem vel principium instituere: « Hodiedum cuncta officia et beneficia ecclesiastica, praesertim paroecialia, sunt amovibilia ».

8. Praestaret hodie, inter officia parochi, et hoc annumerare: « Actio Catholica, sive instituere fideles ad apostolatum exercendum, est pars ministerii pastoralis » (Pius XI).

9. Intuitu maioris efficientiae in « praedicatione » verbi divini, interest denuo urgere normas saepius a Sede Apostolica datas hac de re. Abundant enim, *a*) qui seipsos, non Christum et hunc crucifixum, praedicant; *b*) qui propter retributionem praedicant: (estne opportunum has taxas prohibere, vel saltem praescribere ut pauperibus erogentur?)...; *c*) qui imparati praedicant; *d*) parochi, praesertim, qui nimis temporis insumunt, ita ut fideles taedio afficiant; *e*) qui « allusiones » personales usurpant.

10. Clerici religiose servent leges iustitiae « socialis » erga servitio templi mancipatos.

11. Urgens necessitas est fovere sinceram *fraternitatem inter sacerdotes;* ad cuius assecutionem (praeter stimulos ordinis supernaturalis) conferret: *a*) in functionibus liturgicis solemnioribus (v. g. in Missa Pontificali...) accessum habeant non modo capitulares, sed reliqui sacerdotes. *b*) Sit obligatoria omnibus sacerdotibus intensior participatio in apostolatu (cura animarum) v. g. divini verbi praedicatio, catechetica institutio, sacramentorum dispensatio, praesertim poenitentiae... *c*) Penitus eradicentur vel saltem moderationem accipiant inaequalitas oeconomica et distributio taxarum in indice assignata inter clericos eiusdem paroeciae.

Expedit modificare et computationem meritorum et proemiorum distributionem in concursu ad paroecias; nullatenus, tamquam « proemium » pro labore pastorali designentur praecise paroeciae quae pinguioribus gaudent emolumentis!... Ad disparitatem oeconomicam funditus eradicandam refert, exempli gratia, « fundum commune » in quavis Dioecesi constituere, ita ut omnes sacerdotes percipiant saltem illam quantitatem minimam assignatam tamquam « congruam » pro honesta sustentatione clericorum.

Refert in Hispania modificare legem concursus generalis pro paroeciarum collatione. Conventio cum Statu, hac de re, viget in praesenti.

12. In magnis praesertim civitatibus valde interest novas paroecias

sine mora creare, ita ut — si fieri posset —, numerum 5.000 paroecianorum non excederent.

13. Solvendum sine mora, amplissimo et fraterno spiritu catholico, grave illud problema ingentis diversitatis dioecesium... Expediretne declarare, ut verum officium pastorale Episcoporum, conferre — aequa proportione —, et sacerdotes et pecuniam dioecesibus indigentibus, immo et terris Missionum inter infideles?

Desiderabilis est intimior consuetudo et mutua intelligentia dioecesium inter se, earum, praesertim, quae finitimae sunt et similia habent problemata.

14. Ad efficaciam apostolatus et fidelium aedificationem magni refert cordialis unio et fraterna compenetratio inter utrumque Clerum, dioecesanum et regularem.

15. *Religiosi.* In exercitio externo apostolatus habeant semper prae oculis eorum strictam dependentiam ab Ordinario loci. Radicitus vitentur excessus qui, in Collegiis puerorum et adolescentium laicorum (quae ab Institutis Religiosibus moderantur), pecuniae causa, tot querelas et murmurationes suscitant ex parte patrumfamilias... (saltem in Hispania).

16. *Capitulum Cathedrale.* Opportuna esset nova structura Capitulorum in iis quae ad liturgiae splendorem attinent, assistentiam choralem et activitates ministerii pastoralis: novae scilicet normae, quae moderentur etiam vitam apostolicam capitularium ad animarum servitium. (Opus esset etiam Episcopo peculiarem in his tribuere facultatem, ut posset praefatas normas efficaciter urgere...).

Non desunt qui propugnent peculiaris paroeciae creationem in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, quae vitam spiritualem foveret fidelium, qui haec templa frequentant.

Nonnulli canonici, iubilationem quod attinet, hoc votum exprimunt: « pro his qui, ante canonicatum, laudabiliter animarum curam gesserunt, computentur, partialiter saltem, illa servitia extra Cathedralem; hinc, 50 anni sufficiant ».

17. *Diaconatus.* Expeditne ut fiat coniugatis, qui id mereantur, facultas hunc ordinem exercendi (sine onere breviarium recitandi)?

18. Salva lege coelibatus clericalis (ad normam Iuris Canonici), optabile esset perpendere an Mater Ecclesia subsidium aliquod spirituale tribuere valeat — immo et possibilitatem rehabilitationis, in propria conscientia et coram Ecclesia —, iis qui misere attentarunt matrimonium contra disciplinam canonicam.

Christifideles quod spectat:

1. Urget quam maxime omni ope curare religiosam fidelium *institutionem*: individuam, familiarem et in scholis cuiuscumque ordinis.

2. *Caritas et iustitia socialis* sunt, hodie praesertim, fundamentales, ad arcendum « scandalum saeculi xx » (apostasiam opificum) et periculum communismi.

Supposita igitur adimpletione officiorum iustitiae socialis, enitendum magnopere est opportune et importune in labore affigendi penitus animis fidelium hunc conceptum: « caritas est genuinum signum sive » distinctivum « Novae Legis »... Hinc, omni cura peccata contra caritatem (omissione quoque) oppugnanda, v. g. murmuratio.

Ad haec interest vel maxime inculcare *oboedientiam* supernaturalem, tamquam Deo, legitimae potestati. Hoc quidem ad obsistendum efficaciter spiritui hodierno « insubordinationis » et rebellionis, nec non « superaestimationis » propriae libertatis.

3. *Actio Catholica* sit ampla et « flexibilis ». Declarentur eiusdem gradus. Imponatur tamquam obligatorius omnibus christifidelibus gradus infimus: sentiant omnes conceptum « christiani » implicare de se apostolatum (dilemma est: « vel apostolus vel apostata »...).

4. *Sanctificatio dierum festorum,* sub triplici aspectu: audiendi sacrum, abstinendi a labore, oblectamenta licita... Viget quam maxime peccatum contra hoc praeceptum.

Oportet authentice declarare quae opera sint prohibita diebus festis. Terminologia mediaevalis « operum servilium et liberalium » non videtur amplius retinenda circa hoc Decalogi praeceptum. Hodie, quando tantopere contenditur in « dignificatione » laboris opificum, interest ut praecise Ecclesiae filii, hac in re, non considerentur deterioris conditionis.

Nota. Hoc addam: in Indice taxarum (vulgo Aranceles) paroeciarum desiderabile erit nimiam differentiam oeconomicam sive « classes » expungere, ne divisio inter divites et pauperes codificetur: omnes enim, in Ecclesia, sunt aequales.

5. *Matrimonium.* Iterum extollantur eius dignitas et sanctitas, unitas, indissolubilitas... Sollemniter anathematizetur non modo divortium vinculare, sed anticonceptionismus et onanismus coniugalis, inseminatio artificialis, aliaeque hodiernae aberrationes...

« Formatio », ut dicitur, praematrimonialis nupturientium valde commendetur. Nonnulli propugnant suppressionem impedimenti tertii gradus consanguinitatis pro matrimonio.

6. *Publica immoralitas.* Pestiferum « cancer » domorum lenocinii, inhonestus feminarum vestiendi mos, qui tot peccatorum est fons et origo (S. C. C. 1 ianuarii 1930, et 15 augusti 1954).

7. Iuvat « deonthologiam » diversorum officiorum (« professioni ») edocere. Opportunum esset edere, iussu et auctoritate Sancti Concilii, aptum libellum sive « catechismum » hac de re.

8. Laudibus efferantur sacra *virginitas,* vita *contemplativa* (ita ut religiosi laborent ad victum consequendum), virtutes supernaturales « passivae » (humilitas, poenitentia, sui abnegatio, austeritas vitae, patientia...) quas hodie mundus despicit vel etiam irridet.

9. « *Turistae* ». Eorum visitatio (ingressus) in templa sit semper absque detrimento divini cultus et venerationis loco sacro debitae.

10. *Oratoria privata.* De facto (exceptis Praelatorum Oratoriis), haec privilegia quasi reservantur divitibus. Congruitne haec praxis « mentalitati » hodiernae fidelium?...

11. « *Anticlericalismus* » — qui etiam inter fideles pietatem profitentes serpit —, sollemniter reiiciatur, immo et anathemate damnetur.

III. *Liturgia*

1. Rituum simplificatio, attenta semper eorum natura theologica atque liturgica et efficientia pastorali (non praecise « archeologia » et historia, quamvis et haec praetermittenda non sint).

2. *Lingua vernacula* admittatur — saltem in mensura iam nonnullis ecclesiis concessa —, obligatione imposita versionem « officialem » usurpandi. Profecto lingua latina maneret pro nonnullis ritibus, et praesertim pro Missae sacrificio.

Populus enim, sive plebs christiana, plurimos ritus et orationes (qui pro fidelibus plene excultis sunt pretiosi), non capit, defectu sufficientis institutionis religiosae. Constat profecto quo gaudio recentiores « reformationes » Liturgiae acceperit, eo praecise quia maior participatio et intelligentia rituum populo elargita est.

Sine usu linguae vernaculae arduum sane et salebrosum erit assequi ut plebs intense « vivat liturgiam », et recurrendum erit ad liturgiae « succidanea » sive « paraliturgias »... Utique usus linguae vernaculae difficultatem omnem non solvit; videtur tamen gressus primus, quem alia prosequentur.

IV. *Actuositas qua hodie Ecclesia tenetur* (sive negotia maioris momenti quae Ecclesia obire debet).

1. *Lex abstinentiae et ieiunii,* qualis in *Codice Iuris Canonici* statuitur ad trutinam revocanda, ne peccata formalia multiplicentur.

2. Efficaciora media adinveniantur ut maxima fidelium pars, si fieri potest, sollicitudinem *sentiant* pro magnis illis Matris Ecclesiae problematibus, eaque tamquam propria solvenda curent. Haec inter alia:

a) *Missiones* inter infideles... Africa praesertim (« Ad triarios redit... »);

b) *Migratio;*

c) « *Ecclesia silentii* »;

d) *Actio catholica. Vocationes ecclesiasticae;*

e) *Unio Ecclesiarum dissidentium.* Oportet novum indere spiritum consuetudini nostrorum fidelium cum fratribus dissidentibus: « dilatentur spatia caritatis »!...

Ad explanandam unitatis viam, forte conferret: *a*) Patriarcharum dignitatem veteri splendori restituere, ex. g. eos in linea Patrum Cardinalium constituendo; *b*) Conservare ritus, legitimas consuetudines, hierarchiam etc. fratrum dissidentium. Explicatio « irenica » formularum catholicarum in quaestionibus doctrinalibus maioris dissensionis; *c*) Splendidis radiis exhibere intimam Ecclesiae Catholicae naturam, notas distinctivas, regimen, vitalitatem... ut fratribus dissidentibus nitide appareat vera facies Ecclesiae « unius, sanctae »... quam ipsi invenire satagunt.

3. Fortasse expediret subsidia oeconomica obligatoria Sanctae Sedi (Curiae Romanae) suppeditare diversa agendi ratione (« procedimiento »). Taxae, ex. g., pro dispensationibus ordinariis ansam praebent anticlericalibus murmurandi, quasi dispensationes elargirentur praecise propter pecuniam.

4. Interest magnopere omni ope curare ut splendeat Ecclesiae aspectus supernaturalis (Mysticum Christi Corpus). Adnitendum igitur est ut in omnibus Ecclesiae et membris et institutionibus (vulgo « estamentos ») spiritus supernaturalis fulgeat, praesertim fides et caritas (lex constitutionalis Ecclesiae).

5. *Prelum, Effemerides...* (« giornali, riviste »)... In Hispania, ex. g., sunt permultae signi catholici (cum censura ecclesiastica): plus quam 800...; plurimae tamen pauca exemplaria edunt. Valde expediret unionem (« fusionem ») complurium assequi (loco tot exiguarum capellarum, quanto melius templum cathedralitium erigere!...). Hoc profecto, sine Sedis Apostolicae interventione, forte impossibile evadit.

6. *Cinematographus et Televisio* signi catholici desiderantur. Urget societatem internationalem catholicam instituere, cui fideles collaborationem sinceram et abnegationem plenam praestarent...

✠ SANCTUS MORO BRIZ
Episcopus Abulensis

5

Exc.mi P. D. IOSEPHI M. ALCARÁZ Y ALENDA

Episcopi Pacensis (Badajoz)

Pace Augusta, die 28 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litteris Tuis, die 18 iunii currentis anni sub Prot. I C/59-175 datis, libenter obsecundans, isti Commissioni Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico sequens tantum votum communicare placet:

Celebratio futuri Concilii Oecumenici videtur optima occasio pro Definitione Dogmatica Mediationis Universalis Beatissimae Mariae Virginis, quam sollemnem proclamationem humillime atque instantissime Dioecesis Pacensis in Hispania a futuro Concilio Oecumenico toto ex corde efflagitat.

Quod cum Tibi placet significare, qua par est reverentia et obsequio permaneo

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addict.mus et obseq.mus
in Domino servus
qui S. Tuam Purpuram deosculatur
✠ Iosephus M. Alcaráz y Alenda
Episcopus Pacensis

6

Exc.mi P. D. SECUNDI GARCIA DE SIERRA Y MENDEZ

Episcopi Barbastrensis (Barbastro)

Eminentissime Domine,

Nobis non licuit usque modo ad Pontificiam Commissionem indicem rerum mittere, quae ex nostra humili sententia essent consideratione dignae. Aliqua hodie remittimus generalia capita, quae suo possint tempore a Commissione Praeparatoria evolvere, aut sapientiorum Patrum voto arenulae granum addere.

I. Gratissimo animo cognoscerem Universalem Mediationem B. Mariae Virginis, Dei nostrique Matris, in scriniis Concilii primi luce solis prae caetera praestare.

II. Quae circa Ecclesiam et Episcopos iam in Vaticano Concilio fere elaborata nondum eruperant, novo examine pro nostro Concilio subiicere fortasse perutile foret.

III. Plena apertaque invitatione omnes christiano nomine nobilitatos ad Unitatem *advocare*.

(De hac re nobis quidem videtur sacro Concilio praemitti oportere excogitatam et actuosam actionem, potius quam ad supremos dissidentium duces, ad christianos omnes qui bona versantur fide, ad hoc ut flagrans Christi desiderium [*Ioan.* XVII, 21] in conscientias omnium hominum, et catholicorum et acatholicorum, irruat atque ad communem precationem compellat. Humili nostro iudicio pastorale officium nobis sacrum onus imponit orandi et omni ope et ratione assequendi ut omnes christifideles pia ardentique motione permoveantur ut Christo Domino oranti coniungantur; cuius quidem orationis virtus et efficacitas nullatenus in dubitationem adduci potest).

IV. Sententiam damnatoriam contra laicismum institutionalem (laicismo educacional) ferre atque iura et officia omnium et singulorum hominum asserere ex quibus veram Religionem cognoscere debent.

V. Communismum, tamquam omnium errorum transcendentium summam atque negationem hominis in superna destinati, gravi et publico Ecclesiae iudicio damnare.

VI. Ut clericorum adscriptio non uni tantum dioecesi, cui serviunt, fiat, sed Ecclesiae universae; quin tamen clericus sit qui Episcopo residentiali non subiiciatur. Liberum saltem sit clericis ut universae Ecclesiae se tradant serviendae.

VII. Ut omnes sacerdotes Exercitia Spiritualia quotannis peragant.

VIII. Ut omnes qui curam animarum gerunt, ad constitutam saltem aetatem, quotannis et per octo dies, moderantibus probatis magistris, in illas pastorales quaestiones aliasve disciplinas, quas Episcopus designaverit, studiose incumbant.

IX. Prohibitio, qua clerici constringuntur ne publicis cinematographeis aliisque spectaculis parum honestis intersint, accuratius definiatur et sanciatur.

X. Vitam communem clericorum statuere, nisi causae vere graves interponantur, usque ad quadragesimum saltem aetatis annum, atque, si id opus sit, residentiae canonicae notionem immutare.

XI. Ut Episcopi facultatem habeant Poenitentiae Sacramentum ubique terrarum omnibus christifidelibus cuiuscumque ritus administrandi, nulla alia praefinita exceptione quam generales quae in *Codice I. C.* continentur. Ipsis etiam tribuatur facultas erigendi per delegatum Stationes Viae Crucis in omnibus ecclesiis, oratoriis, sacellis vel exemptorum.

XII. Nemo ad ordinem Presbyteratus ascendere valeat quin prius per duos annos Diaconatum exercuerit et laboribus pastoralibus operam dederit. Aliorum ordinum, etiam minorum, exercitium temporibus accommodetur et exigatur.

XIII. In singulis Curiis dioecesanibus — ex multiplici et varia hodierni apostolatus ratione — Delegatum episcopalem constituendum esse censemus cum sociis seu officialibus qui opus sint; isque Delegatus easdem ac Vicarius Generalis facultates habeat ut Episcopum in ministerio pastorali adiuvet.

XIV. Ut Episcopi Canonicis Capituli Cathedralis et Collegialis — quibus sibi opportunum visum fuerit — commendari possint officia seu munera apostolatus, licet id secum ferat a Choro per decem dies singulis mensibus abesse; qui tamen distributiones inter praesentes percipiant dum modo tertia pars Capituli Officium divinum persolvat et canat. Quod si haec, ut videtur, perdifficile evadunt, supprimantur ex toto Capitula, et alio modo Consilium Episcopo paretur.

XV. Ut Religiosorum privilegia penitus recognoscantur, in quibus sunt quae his moribus repugnent aut nostrae aetati sint aliena, sintque saltem fidelibus admirationi.

XVI. Ut Religiosorum exemptio ad vitam, quam intus apud se secundum regulas et constitutiones agunt, contrahatur; ita tamen ut magis Ordinario subiiciantur, vel in ordinando ecclesiarum, oratoriorum publicorum cultu, et praecipue in universo ipsorum aut piarum societatum in eorum ecclesiis statutarum apostolatu externo digerendo. Episcopus facultatem habeat ut religioso quodvis apostolatus opus aut quorundam ministeriorum exercitio concredere possit in illis locis quibus ipse opportunum duxerit.

XVII. Ut episcopalis auctoritas interponatur in Collegiis quae Religiosi et Religiosae regunt ad institutionem primariam, mediam, universitariam laicorum, in ordine studiorum, in moderando convictu seu pedagogico — si sit —, et in directione spirituali. Horum Collegiorum administratio inspiciatur oportet ab Ordinario eiusve delegato, onerata Religiosorum conscientia.

XVIII. Ordinarii localis facultates augere ut venia dare possit anctimonialibus ut e monasterio egredi valeant: *a*) ad sanitatem in valetudinario recipiendam — non vero apud propinquos —; *b*) ut a medico, radiorum X ope, inspiciantur; *c*) ut a perito dentario vel oculario aliisve curentur; *d*) ut aegrotam comitentur, cum Sorores externae desint, ut ipsum medicum adeant vel valetudinarium, si curatio non ultra hebdomadam protrahatur.

XIX. Ut lingua vernacula adhiberi possit in administrandis Sacra-

mentis, saltem in precibus praeparatoriis et formulam sacramentalem insequentibus. Idemque in Epistulae et Evangelii lectione et in propriis diei orationibus collectis. Pericopae, quae in Epistula et Evangelio leguntur, forsitan plures essent oporteret, quo fideles sacram Scripturam aptius meliusque cognoscerent.

XX. Nova et perfecta Officii divini ordinatio, quod sacerdotes recitare debent, et quo modo a sacerdotibus curam animarum habentibus, in adiunctis clare definitis, suppleri possit. In eoque Officio preces aliquae etiam in Beatam Virginem Mariam addantur.

XXI. Naturam et indolem apostolatus laicalis eiusque cum disciplina canonica connexionem definire.

XXII. Librum V *Codicis I. C.* recognoscere in his praesertim quae ad peccatorum reservationem et quasdam censuras spectat.

Labores istius Commissionis Pontificiae maximi quidem momenti ardenti animi studio Deo commendamus; et nuper datis litteris fideles hortati sumus ut Deum precari non intermittant ad prosperum felicemque Concilii exitum. Perquam Venerabilis Pontificia Commissio sciat volumus hanc licet minimam Dioecesim Barbastrensem coram Domino genibus adesse provolutis et communi oratione ut Ecclesiae Sanctae Dominus misereatur, et eius instaurantem Spiritum in omnium conscientias immittat, animosque confirmet, permoveat, sustentet omniumque mentes illustret qui nunc operam conferunt ac deinceps conferent in hunc sacrum totius Ecclesiae Conventum, per Christum Dominum Nostrum.

Opinio ut mea est, diligenti ita studio res a diversis erunt tractandae Commissionibus, ut Concilii sollemnes quantumvis exsequantur brevi sessiones.

Vestrae Eminentiae et Pontificiae Commissioni addictissimus in Domino

✠ SECUNDUS GARCIA DE SIERRA Y MENDEZ
Episcopi Barbastrensis

7

EXC.MI P. D. GREGORII MODREGO Y CASÁUS
Archiepiscopi Ep. Barcinonensis (Barcellona)

Barcinone, die 24 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Tuis venerandis Litteris, die 18 iunii nuper elapsi datis, sub Prot. N. I C/59-194, libentissime obsecundans, reique significatae maximam adhibendo curam, pergratum mihi est huic Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico mittere adiunctum libellum, ubi invenientur quaedam humiles animadversiones de his rebus quae, ut fructus sollicitudinis pastoralis et, post auditum consilium virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium, mihi huic Pontificiae Commissioni tractanda videntur, ut, si opus fuerit, rebus quae agitabuntur in Concilio adnectentur.

His quoque litteris gratum animum nostrum Summo Pontifici, Concilii promotori et fautori maximo, necnon huic nobilissimae Commissioni aperte pandere volumus, qui nostrae humilitati consulentes viam aperiunt qua toti Ecclesiae opem feramus; unde honorifico mandato functus, quod in conspectu Domini curavi ad decorem et gloriam Sanctae Matris Ecclesiae promovendum, mihi placet Tuae Eminentiae obsequentissimi animi significationem facere, dum Tuam Sacram Purpuram, qua par est reverentia, osculor,

addictissimus in Domino
✠ GREGORIUS MODREGO Y CASÁUS
Archiepiscopus Ep. Barcinonensis

I. *Doctrinae capita*

1. *De re dogmatica.*

Praecipuum periculum quod in re dogmatica Ecclesiae imminet quodque omni vi et studio cavendum est, in nimia quadam rerum novarum cupiditate ponendum videtur, qua, in stabili veritate mens humana nostris diebus quasi consistere nequeat. Radices huius status mentis inquirere, ut ei efficax remedium afferri possit, peropportunum est, ut patet. Ac licet in tota hominum hodierna formatione venenatos hos fontes obvium sit inveniri, praestat ea praesertim et sine ambagine in lucem proferre quae immediate in rerum divinarum cognitionem pervertendam influere pos-

sunt. Haec iam dilucide proposuit recenter S. Pontifex Pius XII in Litteris Encyclicis *Humani Generis,* in quibus denuntiantur quae velut reliquiae Modernismi a Sancto Pio X damnata iure considerari possunt.

Colligi haec posse videntur uno quodam despectu atque animi aversione erga tres fontes Theologiae traditionalis: *a*) Despicitur philosophia scholastica utpote intellectualismi medioaevali infecta, ex infantili quadam ac superstitiosa admiratione recentiorum speculationum quae nomine Scientiae, Vitae ac Philosophiae circumvehuntur. *b*) Inde oritur, ut pronum erat, despectus traditionis theologicae, quam illa adiutricem habet ad pleniorem rei revelatae cognitionem obtinendam, eius consectaria eruenda ac in systema scientificum proponendam. *c*) Tandem, « a Theologiae Scholasticae contemptu, ad neglegendum vel etiam ad despiciendum facile transeunt ipsum Magisterium Ecclesiae, quod Theologiam illam hac sua auctoritate tantopere comprobat », ut graviter ac dolenter animadvertit Pius XII. Hinc non est mirum tot errores enasci plane oppositos doctrinae catholicae, praesertim quem repetito nomine relativismi dogmatici denuntiat Summus Pontifex velut exitiosum fontem ceterorum qui in omnes partes Theologiae irrumpunt, fere ut principia quibus Modernismus innitebatur eumque fecerunt omnium hereseon collectum ut S. Pius X in Litteris Encyclicis *Pascendi* iure affirmavit.

Pauca de singulis his punctis.

a) Opportunum videtur allucinationem detegere qua sibi fucum faciunt qui revolutionem quandam in Theologiam invehere vellent, ut eam novis fundamentis methodicis aedificent. Aiunt enim se in hoc nonnisi exempla sequi velle S. Thomae Aquinatis. Sicut enim Doctor Angelicus theologiam composuit peripatetica philosophia adiutus, systemate nempe suo tempore vigente (quam utique non ita pridem ab auctoritate Ecclesiae prohibitam, ipse suo ingenio baptizavit ac dogmatis expositioni servire coegit) ita nunc opus esse novis tendentiis philosophicis indulgere, correctis certe quibusdam plane erroneis consectariis, atque novo modo revelatum depositum proponere qui menti nostri temporis congruat.

Verum quis non videat quam ingens fallacia iis dictis lateat? Eam nitide ac perspicue detegit Romanus Pontifex dum apprime distinguit systema philosophicum quodlibet ab « his principiis et notionibus ex vera rerum creatarum cognitione deductis, in quibus deducendis cognitionibus humanae menti veritas divinitus revelata, quasi stella per Ecclesiam illuxit ». Quod si peripatetica philosophia, suis naevis purgata, Theologiae scholasticae servire potuit, id accidit quia illa principiis philosophiae perennis ac christianae congruebat saltem in praecipuis fundamentis. At vero qui possunt recentiorum systematum principia Theologiae auxilium praebere? Agitur enim de Criticismo, de Idealismo, de Imma-

nentismo, de Pragmatismo, de Historicismo, de Vitalismo, nempe in universum de Relativismo. Afferunt quaedam singularia quae accipi possunt; sed fieri nequit ut fundamenta et praecipua eorum elementa cum veritate Domini, quae manet in aeternum, cohaereant. Iure ipse Summus Pontifex in iis impudentissimis conatibus virus detegit Relativismi dogmatici. In iisdem tandem Litteris Encyclicis sollerter detegitur atque damnatur principium adversum scholastico intellectualismo, « facultatibus nempe appetendi et acceptandi vim quandam intuendi adiudicare... cognitione et voluntatis actu incompte permixtis ».

b) Despectus Theologiae scholasticae in hoc relativismo philosophico inniti aperte ostendit Pius XII, cum rationem mutandi theologiam innuant « fidei mysteria numquam notionibus adaequate veris significari posse... sed notionibus approximativis, ut aiunt, ac semper mutabilibus, quibus veritas aliquatenus indicetur, sed necessario quoque deformetur. Hunc quidem errorem falsae pietatis sensu erga devios ab Ecclesia Catholica christianos atque mendaci irenismo firmare audacter contendunt. Immo, fallaci quadam specie religionis, theologiam traditionalem speculationi Sanctorum Patrum opponere non dubitant, atque, formulis relictis quibus sub ductu Ecclesiae dogmata recentioribus temporibus clariori modo proposita sunt, « notio quaedam vaga » praevalet, incongrua prorsus methodo adhibita, ut advertit S. Pontifex, « qua ex obscuris clara explicentur ». Quae de hac re Litterae Encyclicae *Humani generis* continent maximi momenti sunt, et attentam theologorum considerationem postulant.

c) Quanti sit momenti, in explicanda doctrina revelata, Magisterium ecclesiasticum neminem profecto latere potest; ideoque quam maxime dolendum, cum Summo Gregis Domini Pastore, transitum factum esse ad « neglegendum vel etiam despiciendum » hunc primum ac praecipuum fontem revelatae doctrinae, qui, cuilibet theologo proxima et universalis veritatis norma esse debet. De quo amaro animo conquaeritur, ita ut « officium quo fideles tenentur illos quoque errores fugere, qui ad haeresim plus minusve accedant, nonnumquam ita ignoratur ac si non haberetur », normas clariores statuit, quae antea non ita fortius et apertius propositae fuerant, praesertim circa ordinarium Magisterium cui adhaerendum est. Ait videlicet Pius XII: « neque putandum est ea quae in Encyclicis Litteris proponuntur assensum per se non postulare, cum in iis Pontifices supremam suam Magisterii potestatem non exerceant. Magisterio enim ordinario haec docentur, de quibus illud etiam valet: " Qui vos audit, me audit "; ac plerumque in Litteris Encyclicis proponuntur et inculcantur quae iam aliunde ad doctrinam catholicam pertinent. Quodsi Summi Pontifices in actis suis, de re hactenus controversa data opera sen-

tentiam ferunt, omnibus patet rem illam secundum mentem ac voluntatem eorumdem Pontificum, quaestionem liberae inter theologos disceptationis iam haberi non posse ». Quae quidem ea sunt quae penitus firment tum doctrinam theologice saltem certam de infallibili Magisterio Ecclesiae quoad res cum revelatis connexas, tum etiam de infallibilitate Romani Pontificis in Magisterio etiam ordinario, quam praeclari theologi propugnant.

Quae cum ita sint, praecipuum munus quod Concilio Oecumenico in re dogmatica incumbere videtur in hoc ponendum est, ut authentice declarentur ac confirmentur principia quae iis tendentiis opposita sunt, quod praestari posset sollemni quadam acceptione Litterarum Encyclicarum *Humanis generis.* Imo, hac occasione, quoniam erroneae istae tendentiae in Modernismi reliquiis computari videantur, opportuna esset iterata confirmatio decretorum contra Modernistas, scilicet, decreti « Lamentabili », encyclicae *Pascendi,* et iuramenti quod etiam nunc cum professione fidei coniunctum est.

Iam capita doctrinae catholicae quae iis conatibus ac tendentiis singillatim et praecipue impetebantur recenset Summus Pontifex dum ait harum novitatum venenatos fructus ad omnes fere partes Theologiae emanasse. Et proinde opus erit iterum, erroribus reiectis, nova firmitate donare.

In dubium vocatur possibilis per argumenta ex rebus creatis deducta demonstratio existentiae Dei; negatur mundum initium habuisse, vera libertas in creatione, ineffabilis Dei praescientia; corrumpitur notio peccati originalis, imo peccati in universum, ut est Dei offensio, atque adeo notio satisfactionis Christi et gratuitas ordinis supernaturalis; in quaestionem vertitur personalitas angelorum ac essentiale discrimen inter materiam et spiritum; Transubstantiationis doctrina ac realis Christi praesentia in Eucharistia ad nihil reducitur; Corpus Christi Mysticum extra Ecclesiam catholicam extenditur, eiusque necessitas ad salutem ad vanam formulam deducitur, fideique credibilitati iniuria infertur. Quibus addi possunt « alia id genus — ait Encyclica — quae de Novissimis sat temerarie proponuntur ac innuuntur, aut plane adversa doctrinae catholicae vel sententiae communi theologorum, aut magnis ambagibus et obscuris lucubrationibus obvoluta ». Dictum est resurrectionem carnis esse eventum seu potius realitatem quae coextenditur cum successivis factis huius mundi; natura corporis gloriosi vera realitate corporea spoliatur; poena aeterna de facto nemini infligi; omnibus in hora mortis lumen tantum supernaturale concedi ut omnes facile convertantur; pueris sine baptismo decedentibus salus aeterna conceditur.

De tolerantia non recta docentur: quamvis in hypothesi, scilicet, qua homines mutuo divisi sint inter se diversis doctrinis et erroribus, tole-

rantia horum errorum, si fiat debito modo, possit esse recta ratio agendi, numquam tamen haec *hypothesis* erit *thesis,* quasi, scilicet norma idealis sit societatem et homines semper versari in diversitate errorum (vel doctrinarum idem prorsus valentium etsi mutuo oppositarum); thesis vero ad quam contendere est: ut sincero amore, ab omnibus veritas quaeratur humillime, ac proinde in veritate fiat unio. De relationibus inter Ecclesiam et Statum, ac de religione in Societate civili non pauca proferuntur quae damnatum a Pio IX et a Leone XIII Liberalismum iterum satis palam profitentur. Necesse est in hoc viam praecludere novis doctrinis, et puto rem esse magni momenti quia non solum qui extra Ecclesiam sunt, sed multi catholici, immo et sacerdotes, docent quae cum doctrina hactenus tradita non cohaerent.

Neque omittendum videtur non semel oblivioni dari quae de natura fidei in iuramento contra modernistas stabilita sunt.

In re biblica abusus adesse videtur libertatis in inquirendis rebus historicis Veteris Testamenti ab Ecclesia concessae. Caute admodum opus est invigilare quae de motu dicto oecumenico dicuntur. Valor perennis traditionis hodie ab aliquibus despicitur, quasi revelatio tantummodo contineretur in Sacris Scripturis. Tenendum est certe magni faciendas esse Sacras Scripturas, quippe quod, Spiritu Sancto inspirante conscriptas, continent verbum Dei et sunt velut epistola Ipsius ad nos missa.

Laudabile esset ut in Concilio evolveretur theologia Episcopatus, de cuius origine divina iam constat. Puto quod valde desideratur de hoc haberi claram et completam doctrinam.

2. Quoad *rem moralem et socialem* spectat, documenta Summi Pontificis Pii XII ea tangunt quae praecipuam curam hodiernae Theologiae Moralis postulant: ut sunt Moralis sic dictae « situationis », quaestiones de Morali professionali, de iustitia sociali cum caritate coniuncta; quae vitam spiritualem attingunt, etc. Forte opportunum esset obligationem ad eleemosynam quantum fieri posset arctius circumscribere. Neque desunt qui optarent theologos morales momentum transgressionis levis profundius in mentes christianorum infigere.

Principia essent statuenda de re morali ac sociali, in specie quae Matrimonium attinent, prae oculis habendo Encyclicam *Casti connubii;* et quae ad conditionum opificum spectant, perspectis quae habentur in pontificiis documentis, praesertim in Encyclicis *Rerum novarum* et *Quadragesimo anno.* In iis insistere et ea quam maxime considerare necessarium mihi videtur. Quaestio dicta socialis adhuc habet animos suspensos, et exspectat normas vel principia clara et definitiva a suprema Ecclesiae auctoritate.

Iuvaret etiam in Concilio pertractari ac definiri quae in Encyclica *Divini Illius Magistri* docentur de Ecclesiae iure ad scholas cuiusvis gradus et disciplinae condendas, et de iuventutis educatione.

Tandem, habeatur necne novum Concilium Oecumenicum ut continuatio Concilii Vaticani a. 1869-1870, opportunum videtur schemata doctrinae catholicae quae in illo discutienda erant in examen adducere, ut fundamentum quoddam Constitutionis dogmaticae futuri Synodi; atque ea omnia quae in re dogmatica et morali post Concilium Vaticanum ab Ecclesia proposita sunt, in unum corpus colligere ac novo et sollemni modo promulgare, quod saepe factum est in ceteris conventibus conciliaribus, ut iterum definirentur ac proponerentur quae in aliis Conciliis, vel alias, ab Ecclesia proposita sunt. Immo non incongruum videtur totam doctrinam catholicam per modum novi Symboli seu professionis fidei, ut fructum dogmaticum Concilii instaurare.

3. *Doctrina de Beatissima Virgine Maria,* valde evoluta est istis ultimis temporibus. Quapropter Concilium optime isti doctrinae mariologicae faceret, revisioni subiciendo quaecumque nostris diebus a mariologicis prolata sunt; et quae matura videantur Patribus proponendo pro definitione, ut puta quod Maria Virgo est omnium gratiarum Mediatrix. Hoc postulat et gloria et honor debitus Matri Dei et Matri nostrae. Eo vel magis quod hodie non desunt qui vellent tanti Matri detrectare sub praetextu quod Christus sit centrum unicum totius christianae religionis, quasi honor tributus Matri Filium minueret, cum e contra verum sit quod qui Matrem honorat et Filium honorat.

II. *Cleri et populi christiani disciplina*

1. Notum est oboedientiam grave pati discrimen non solum apud laicos sed etiam apud non paucos clericos sive saeculares sive regulares, tum in ordine doctrinali quum in ordine practico. Pronum esset explicare et urgere quae hanc maximi momenti materiam, fundamentum totius disciplinae, spectant. Ad id iuvaret si iam in Seminariis et domibus formationis religiosorum haec res attentius consideraretur ita ut non digni sacerdotio reputarentur qui rectum de oboedientia conceptum non haberent, quique non dederint experimentum satis diuturnum oboedientiae ex motivo supernaturali praestitae.

2. Considerandum etiam est num oporteat ordinationem sacerdotalem tardius conferri quam quod disciplina vigens permittit. Multa bona inde promanarent, teste experientia ubi tardior aetas ad ordinationem requiritur. Non me latent graves difficultates inde oriturae, sed videndum est num praevaleant necne bona secutura ex nova inducta disciplina.

3. Videtur conveniens reformatio Curiae Romanae, eo sensu quod Congregationes, Officia, etc., et melius coordinentur, et instrumentum quam maxime efficax evadant ad exercitium supremae ac plenae potestatis qua Summus Pontifex gaudet super Ecclesiam universam.

4. Supposita theologia Episcopatus, de qua supra in parte dogmatica diximus, valde iuvaret definire relationem Episcoporum ad suas ecclesias particulares; sunt enim in praesenti non pauca quae minus expeditam minusque proficuam reddunt ipsorum Episcoporum auctuositatem pastoralem erga gregem sibi commissum.

5. Ad hoc conferret clare definire subiectionem sacerdotum omnium Episcopo, plenam si agatur de clero dioecesano; si vero de religiosis, in iis quae spectant ad exercitium apostolatus et ad quamlibet actionem pastoralem, salva semper lege exemptionis. Oporteret proinde circumscribere limites ipsius exemptionis, qui quandoque nimis extenduntur. Item ad examen revocanda essent privilegia religiosis concessa; quorum quaedam certe revocari debent, quae hodie utilia non sunt, utpote respondentia exigentiis aliorum temporum; e contra, quaedam nova essent forsan ipsis conferenda, quia magis congrua temporibus hodiernis.

Ob eandem rationem admittendae non essent associationes cleri dioecesani quae plenam subiectionem sacerdotum Episcopo, de qua supra, plus minusve impediant; idem dicatur de adscriptione ipsius cleri dioecesani Institutis saecularibus, quin tamen amittant dioecesanitatem, quia hoc inde, inter alia, inconveniens venit, quod oboedientia duobus Superioribus debetur, reservata Episcopo sola oboedientia quam dicunt *canonicam*. Uno verbo: quae efficacitatem et unitatem actionis pastoralis sub auctoritate Episcopi impediunt supprimi debent; quae ipsis magis favent, retinenda sunt. Suprema lex: gloria Dei et bonum animarum.

6. Canonicorum Capitula non apte respondere videntur praesentis temporis conditionibus et exigentiis, nec fini propter quem fuerunt instituta; reformari deberent ut melius provideatur et sollemnitati cultus in ecclesiis cathedralibus, et efficacius valeant Episcopo consiliari. Liceat mihi dicere in genere « systema beneficiale » hodie minus aptum inveniri et non parum officere agilitati et efficacitati apostolatus. Ad hoc deberet oeconomica Ecclesiae organizatio melius temporibus hodiernis accommodari. Inde haberetur quod clerici dioecesani facilius possent ad praxim deducere paupertatem evangelicam et consequenter expeditius ministerium suum et apostolatum exercere.

7. Utile quam maxime videtur statutum asceticum pro clero universo conficere, quia communia sunt iura et officia, communiaque privilegia omnium clericorum qua talium, salva tamen conditione religiosorum ob vota emissa. Non desunt documenta Summorum Pontificum, praesertim

a Pio X usque ad Pontificem Ioannem XXIII feliciter regnantem, et alia documenta pontificia et ecclesiastica quae de hac re multa et optima docent. Ea a Concilio plene confirmari perutile videtur, praesertim quia quaedam hodie a multis oblivioni dantur, ne dicam despectui. Ita sanctitati clericorum, praesertim sacerdotum optime provideretur, et via praecluderetur plurimorum conatui imitandi quae sunt propria laicorum, minime vero clericorum. Putant enim aliqui ad efficaciam apostolatus iuvare quod a clericis mores et usus laicorum imitentur, ex. gr. in vestitu, in ornatu, in adsistentia spectaculis, generatim in modo agendi vitam et relationes sociales (id est, volunt ut clerici *minus clerici* evadant), quod plane erroneum est et valde periculosum, cum minime auget, imo e contra valde minuat existimationem et reverentiam populi christiani erga sacerdotes, sin minus apud nos hispanicos ita res habetur, populus enim noster amat utique quod sacerdotes sint populares, sed simul quod modus agendi eorum semper tales commonstret.

8. *Quod laicos spectat.* Valde interesset determinare quem locum ipsi in Ecclesia occupent, Theologiae laicatus principia statuendo.

9. Sunt qui dicant utile esse, supposito parvo numero sacerdotum, Diaconatum conferri sine ulteriori ordinatione sacerdotali. Sed ut reor inconveniens magis quam utile esset id decernere.

10. Quoad saeculares, Deo consecratos sive in Congregationibus religiosis, sive in Institutis saecularibus, oporteret exacta definitione eorum conceptum et statum iuridicum, itemque quod spectat ad Instituta saecularia, eorum relationes cum religiosis definire.

11. Agendum esset de associationibus saecularium in ambitu nationali et internationali, ac determinare quasnam partes habeat Episcopus Ecclesiae particularis, sive in ipsis associationibus sive in earum actuositate.

12. De Actione Catholica bonum esset documenta Summorum Pontificum concinne compendiare et normas claras exponere circa ambitum competentiae ipsius, necnon circa relationem cum aliis associationibus apostolatus.

13. Hodie laici plures verbo et scripto multa docent de rebus sacris et ecclesiasticis. Non pauci sunt professores qui tradunt scientias theologicas vel cum iis intime connexis in Universitatibus Pontificiis. Determinare quaenam sit eorum auctoritas in his doctrinis tradendis opportunum dicerem.

14. Matrimonii impedimenta essent ad examen revocanda; quaedam enim revocari circumstantiae hodiernae exigunt, alia emendanda sunt.

15. Oporteret etiam quae in Encyclicis Litteris *Mediator Dei* et in

aliis pontificiis documentis habentur de re liturgica auctoritate Concilii confirmare, ad evitandos lamentabiles errores qui sparsi fuerunt recenti tempore, cum periculo veritatis dogmaticae. Item conveniens esset decernere codificationem legum liturgicarum; res sane ardua, sed quod in votis multorum est, ne dicam omnium. Progressus technicus hodiernus suadere videtur quasdam leges aliquatenus modificandas esse, ex. gr. quod praecepto audiendi missam aliquando satisfieri possit reverenter et devote adstando televisioni.

III. *Negotia maioris momenti quibus Ecclesia hodiernis temporibus obire tenetur.*

1. In paganismum seu neo-paganismum, qui in dies magis grassatur, et non solum afficit populos qui negant vel ignorant Deum, sed et alios populos etiam christianos, imo et catholicos, multi catholici ita sese gerunt ut potius pagani quam catholici appareant. Notandum est populos cultiores et etiam incultos ad id hodie festinare, ad imbibendam culturam quandam supra nationalem seu communem, quae tandem aliquando erit velut eorum religio. Optima occasio Ecclesiae offertur, similis ei quae oblata fuit tempore hellenismi sub initio christianismi, ad influendum in illam culturam, spiritu vere missionali et apostolico; quare Concilium suis decretis posset excitare actuositatem Ecclesiae in hoc magno negotio. Ad hoc maxime inserviret recte tractare verbum Dei. Multa et praeclara dixerunt novissimi Pontifices de hac re; Concilium posset ea compendiare et alia addere. Nullum dubium est quod neopaganismus provenit praecipue ex ignorantia religionis, quae non raro invenitur etiam in eis qui in aliis scientiis eminent.

2. In laicismum, tum illum qui negat vel restringit Ecclesiae iura et vellet eam nullum influxum exercere in rebus civilibus, tum illum qui apud laicos catholicos serpit, qui amant sese immiscere in his quae sunt propria hierarchiae.

3. Separatio multorum a vera Ecclesia Christi vi haeresis et schismatis. In hac re procedendum est cum caritate sed simul cum veritate. Dolendum quod aliqui velint pollicere ad veram Ecclesiam eos qui foris sunt, dissimulando veritatem vel acceptando quaedam quae cum veritate catholica, aut cum integritate morum non apte componuntur. Protestantes dictitant quod multi catholici sibi appropinquant et forte opinantur quia multa sint quae similitudinem ostendunt cum eis quae in usu sunt apud protestantes.

IV

Adderem, faxit venia, quod Concilium magis quam per anathemata errores damnare, positive ac directe deberet doctrinam proponere sive ut credendam (de fide) sive ut tenendam (connexam cum fide); quod apte fieri potest per Constitutionem dogmaticam de qua supra dixi.

Additis deinde statuto pro disciplina, necnon statuto ascetico de quo supra etiam dixi, haberetur notitia sat completa totius doctrinae catholicae, et ipsa Ecclesia catholica appareret ut « civitas supra montem posita » quam omnes facile videre possent et ut « lux supra candelabrum » quae omnibus hominibus luceret. Forsan omnia possent recapitulari in una Constitutione sub titulo « De vera Christi Ecclesia seu de Corpore Christi Mystico »; quod si insuper adderetur definitio identitatis Ecclesiae Christi cum *Ecclesia Petri et Successorum* id commodi haberetur quod via praecluderetur omni falso oecumenismo.

Haec sunt quae mihi pro nunc exponenda veniunt, semper parato oboedire non solum mandatis sed et optatis ac votis amantissimi Patris Ioannis XXIII et istius Commissionis Pontificiae ante-praeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico, cuius incoeptos labores dignetur Dominus benedicere.

✠ GREGORIUS MODREGO Y CASÁUS
Archiepiscopus Ep. Barcinonensis

8

EXC.MI P. D. PAULI GÚRPIDE BEOPE
Episcopi Flaviobrigensis (Bilbao)

2 septembris 1959

Eminentia Reverendissima,

Gratas Vestrae Eminentiae litteras opportuno tempore accepi.

V. Em. placere cupiens, convenienti examine facto, in proximo Oecumenico Concilio haec themata studenda duxi, semper tamen superiori et certiori R. P. iudicio obnoxius.

V. E. addictissimus in Domino servus
✠ PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

1. Relationes Institutorum Saecularium cum Episcopo.

2. Suppressio vel modificatio Capitulorum Cathedralium, ut in hac hodierna societate efficaciora videantur.

3. Necessitas ponendi modo clariori et magis determinato Ordinarii facultatem in externo Religiosorum apostolatu.

4. Necessitas saecularium apostolatum inter se efficaciter coordinandi, ut maior sit Ecclesiae profectus.

5. Necessitas Ordinariorum facultates roborandi et eas ampliandi: *a*) circa administrationem, venditionem etc. bonorum Ecclesiae; *b*) circa casuum dispensationem; *c*) circa licentias et alia similia.

6. Natura et extensio peccati originalis.

7. Eius compatibilitas vel incompatibilitas cum pluralitate primorum parium (parejas primeras).

8. Natura iurisdictionis ecclesiasticae et eius extensio.

9. Relationes inter Ecclesiam et Statum. Tolerantia.

10. Existentia et natura poenarum et proemiorum alterius vitae.

11. Natura inspirationis.

12. Inerrantia Scripturarum.

13. Extensio et amplitudo generum litterariorum.

14. Quid est in Scripturis certe authenticum?

15. Esset conveniens Curiae Romanae et Curiae dioecesanae novam et ampliorem organizationem iuxta huius temporis exigentias imprimere?

16. Esset conveniens Paroeciae conceptum beneficialem mutare et vitalem, communitarium et functionalem propugnare?

17. Optimum esset in vita religiosa haec considerare:

a) suae naturae maiorem exaltationem;

b) regulas magis exactas et simplices paupertatis;

c) clausuram et habitum ad mentem S. P. Pii XII;

d) exitum ex Ordine vel Congregatione religiosorum sacerdotum et votorum perpetuorum.

18. Actuatio politica et in negotiis Institutorum Saecularium, magna est confusio, immo et scandalum inter fideles. Cum his rebus et votum oboedientiae et votum paupertatis habent relationem.

19. Necesse est explicare et determinare campum seu extensionem apostolatus saecularium. Praeterea normas adamussim dare super apostolatum socialem, apostolatum ephemeridis, aliorum mediorum diffusionis v. g. radio, cine, televisio et apostolatum caritatis.

20. Doctrina moralis negotiorum. Magna est confusio et fere nulla est hodie conscientia circa id quod potest lucrari pecuniae possessor.

21. Aliqua dicenda erunt de morali sexuali et de morali matrimoniali.

22. Existentialismus ethicus vel moralis, ut dicitur, « de situación » et malitia luxuriae.

✠ PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

9

EXC.MI P. D. LUCIANI PÉREZ PLATERO
Archiepiscopi Burgensis (Burgos)

Burgis, die 7 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Reverenti gratoque animo accepi consultationem a Vestra Eminentia missam de communicatione quaestionum, Prot. N. I C/59-269, diei 18 iunii 1959, quae in proximo Concilio Oecumenico expedit pertractare. Diligenter perpendi ac omne quod ad hoc grave et valde accuratum mandatum pertinet, cum viris clericis huius dioeceseos experientia et virtute excellentibus diu deliberavi.

Postquam supplices etiam atque etiam ad Spiritum Sanctum admovimus preces, credimus, sincera confessione meae ineptiae prius facta, opportune esse sequentes quaestiones indicare.

1. Theoriae circa quaestiones biblicas ultimis temporibus propagatae aperte Sacrae Scripturae auctoritatem restringunt et in eiusdem interpretatione Sanctorum Patrum argumentum atque etiam ecclesiasticum magisterium praetermittunt. Hae sententiae et errores, quos Pius XII attingit in encyclica *Humani generis* suas perniciosas consequentias latius extendunt ad ordinem theologicum. Quam ob rem multum interest iterum urgere et bene determinare necessarium esse maximum momentum tribuere divinae auctoritati Sacrae Scripturae, quae exponenda et interpretanda est iuxta mentem Ecclesiae a Christo Domino Nostro interpretis et fidelis custodis revelationis eiusque veritatum constitutae.

2. In re liturgica manifeste tenditur ad usum linguarum, quae vernaculae dicuntur; earum introductio concludit cum totali praetermissione sermonis latini, lingua enim mortua et laboriosa consideratur, ac simul, quia fideles eam non intellegunt, causa percrescentis irreligiositatis.

Credimus culpam regressus spiritus christiani, ubi revera adest, in alias causas valde diversas inferendam esse, atque versiones satis vulgatae textuum usus liturgici certe supplere sermonis latini ignorantiam.

Moerore premimur, cum animadvertimus in seminariis quoque negligenter agere litteras latinas, quae tamquam vetustum monumentum in hodiernis temporibus inutile despicitur.

Admittimus conservationem sermonis latini non esse coniunctam cum ullo dogmate aut aliquo principio necessario vitae religiosae; omnes enim linguae sub hoc aspectu vindicare possunt idem ius, quod Ecclesia, cum diversa idiomata rituum orientalium admittit, certe confirmat. Quaestio tamen est practicae utilitatis et solidaritatis cum praxi romanae liturgiae, quae ab ipso origine in saeculo tertio vel quarto semper sermone latino perficitur.

Praeterea haec lingua plene connexa manet cantu gregoriano, cui omnes perennem efficaciam ac maximum momentum religiosum assignant. Addenda etiam est alia consideratio. Lingua latina, etsi non est unica neque prima ratio unitatis, habet saltem vim ipsius signi omnibus aperti atque est vinculum validum unionis cum traditione, necnon intelligentiae inter viros ecclesiasticos totius mundi et eiusdem temporis.

Quas ob causas absque haesitatione affirmamus opportune esse proponere et declarare sermonem latinum tamquam unicam linguam iuridice propriam liturgiae romanae atque imponere et urgere in Seminariis eiusdem studium.

3. Altera opinio vult abrumpere traditionem caelibatus clericorum. Hanc quaestionem publici scripti caute magnaque circumspectione attingunt, attamen maiori cum libertate loquuntur in concionibus et disputationibus. Sed praesertim maximo ardore insidiosoque animo contra caelibatum sese vertunt et animi aversionem vehementibus signis ostendunt libelli occulte et nomine omisso editi, qui inter ecclesiasticos viros circumferuntur epistolarique via audent aliquibus episcopis manifestare.

Maximi momenti est radicitus evellere omnem disputationem omnemque accessum obstruere qui ad attenuationem legis caelibatus perducere possit. Decus enim splendidius et auctoritas necnon influxus maior firmiorque cleri provenit e vita caelibataria. Experientia docet, quo caelibatus cum maiori fidelitate servatur et cordis castitas exteriori vita manifestatur ac fulget, eo expeditius sacerdotes percurrunt viam qua ad optimam fructificationem perveniunt.

4. Maiori impetu irrumpit opinio valde propagata quae suppressionem clericalis tonsurae et habitus ecclesiastici propugnat. Absit cogitare modum vitae nostri temporis eiusque circumstantias suadere huius consuetudinis disciplinae transmutationem! Firmo animo tenemus habitum ecclesiasticum augere venerationem erga sacerdotes, illos tueri ad multa pericula et nullum impedimentum opponere dignae dilatationi sacri ministerii.

Expedire potest accendere aestimationem quam Ecclesia de habitu clericorum profitetur simulque prohibere innovationem cuiuslibet generis in regionibus, in quibus consuetudo ecclesiastici habitus adhuc permaneat.

5. Defectus oboedientiae nimiaque vis spiritus effrenatae libertatis, quibus gentes nostri temporis laborant, transfusi etiam sunt ad clerum et ad catholicos qui labori intellectuali sese dicant, cum gravi damno ecclesiastici magisterii atque fidelium scandalo; sunt radices ex quibus oriuntur praecipua impedimenta quae difficilem reddunt formationem Seminarii alumnorum et submissa concordia cum Episcopo. Absque difficultate percipitur angor, qui omnes movet ad sui suarumque rerum apud vulgus notitiam omnesque novitates fovet, stolida propensio qua iudicium fertur de omnibus rebus, personis et institutionibus, ac denique animadversio, contemptu plena, erga omnia quae traditione servantur.

Si praevia censura librorum, qui edendi sunt, moderate applicatur eademque moderatio pro regula habetur in concessione licentiae ad typis aliquid mandandum necessariae, fortasse vinceretur periculum, saltem magna ex parte. Multum enim iuvaret commendare aut sollemniter et iuridice praescribere strictam observantiam censurae et non absque valida causa concedere licentiam ad legendum et scribendum requisitam.

6. Alia causa, ex qua multae difficultates proveniunt vitae pastorali episcoporum qui simul variis molestiis afficiuntur, est privilegium exemptionis religiosorum. Multis viis ad nos pervenit religiosos fidelibus dicere: « subditi sumus Romano Pontifici » « laboramus cum facultatibus a Romano Pontifice directe concessis ». Haec mens manifestatur in exercitio pastoralis ministerii per independentiam, non Ordinis religiosi qua talis sed eiusdem membrorum, quae interdum difficilius reddit ministerium paroeciale aut detrimentum ipsi affert, interdum collaborationem declinat vel etiam extorquet normas praeordinatas atque praescriptiones structurae paroecialis et dioecesanae ac semper fovet dedecus et contemptum ordinariae iurisdictionis hierarchiae ecclesiasticae.

Potest conservari vel, si ita placet, etiam augeri exemptio in ordine interioris formationis, administrationis et directionis domus ac communitatis; in exteriori vero urget omnino restringere et moderare exeptionem atque manifeste praescribere subordinationem religiosorum erga loci Ordinarium, ita ut nulla species apostolatus intra ambitum ecclesiae vel extra ipsum possint instituere neque exercere cum fidelibus libero suo arbitrio nec absque explicita relatione cum hierarchia et potestate episcoporum.

In hac ipsa re facultas, qua aliqui Ordines religiosorum possunt constituere determinatas associationes religiosas, debet vel aboleri vel moderari ita ut iurisdictio Ordinarii integra et efficax maneat. Sic vitantur

in ministeriis apostolicis pugnae et dissensiones, quas leviter attingimus. Praeterea fideles non mirarentur de existentia, in eadem dioecesi, duplicis potestatis, quae, etsi eundem finem persequuntur et per eamdem viam currunt, tamen independentes manent cum gravi damno unitatis regiminis ac subiectivae deobligationis existentis semper in Ecclesia tamquam nota propria.

7. Quaestio maximi momenti in praesenti situatione Ecclesiae est ea quae ad structuram Actionis Catholicae refertur. Actio Catholica promovit nostris temporibus apostolatum fidelium, excitavit conscientiam socialem catholicorum atque misit animo intrepido cuius vehementia capax semper fuit superandi omnia sacrificia, ad salutem animarum et publici ambitus christianam transformationem ita ut lucrentur Christo omnes gentes omnesque aspectus vitae humanae. Influxus Actionis Catholicae talis fuit ut quodammodo formam dederit congregationibus, quae a religiosis directae in ordine apostolico ab ultimis diebus laborant; has quoque invasit fervor eventus Actionis Catholicae quosque superare intendunt.

Hae rationes suadent Actionem Catholicam nullo modo esse aequiparandam in reordinatione apostolatus saecularis cum associationibus religiosorum, sed praeeminere semper debere nomine, dignitate et functione ut viva maneat sancta aemulatio catholicorum qui ad ipsam non pertineant. Denique praevidere debemus aliquod periculum quod statim oriretur ex aequiparatione iuridica et in publica aestimatione associationum apostolicarum; earum enim foederatio ad aequalitatem suscitaret discessum eorum, qui ad Actionem Catholicam pertinentes, omnes vires, animi fortitudines et sacrificia redigerunt in fidelem servitutem Ecclesiae cum plena submissione hierarchiae mandatorum.

Reverenti animo proponimus ea omnia quae scripta sunt, atque magna cum reverentia et filiali acceptamus quidquid proximum Concilium Oecumenicum disponat ac innuat.

✠ LUCIANUS PÉREZ PLATERO
Archiepiscopus Burgensis

10

Exc.mi P. D. THOMAE GUTIÉRREZ DÍEZ

Episcopi Gadicensis et Septensis (Gadiz e Ceuta)

Gadibus, 3 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi est desiderio Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, litteris 1 C/59-272 formulato, cognoscendi opiniones necnon consilia Exc.rum Episcoporum circa nuntiatum Concilium responsum dare.

Cum unica vera Ecclesia docens a D. N. I. C. fundata in futuro Concilio adunanda sit ut omnium animarum, sive earum quae re ipsi pertinent sive quae conscie vel inconscie a Vite vera ut palmites steriles scissae sunt necnon etiam earum quae a Christo suaviter vocatae vocem tamen eius non audierunt, omnium horum, dico, salutem afferre conetur, maximi momenti esse videtur:

Brevis, clara ac praecisa, ad modum compendii, expositio omnium veritatum dogmaticarum et moralium quae, in Concilio Vaticano iam propositae, ab ipso tamen definiri non potuerunt; necnon omnium earum quae a RR. Pontificibus, Magisterio Ecclesiastico et Sacris Congregationibus ab illo hucusque expositae, sancitae vel definitae fuerunt.

Hoc facto, doctrinae, institutionum et elementorum supernaturalium Ecclesiae exactior et plenior cognitio pro populo christiano curanda est, efficacioribus mediis et methodis modernis ad hoc utens ut ad omnia membra talis cognitio efficaciter pervenire valeat.

In his tamen curandis maxime nitendum est quod superexcellentia et efficacitas elementorum supernaturalium nullo modo celetur vel obscuretur inter tot tantasque institutiones pure humanas et civiles, cum quibus mutua interdependentia et necessariae relationes adesse debent. Inferioritas et subordinatio talium elementorum, nostris diebus, maxima in perspicuitate curandae videntur.

Simul, cum media transmissionis doctrinae etiam in longinquas gentes in dies efficaciora et potentiora fiant, videtur his etiam nimis attendendum esse ut illa clarior et perfectior cognitio omnibus gentibus cuiuscumque societatis pervenire valeat.

Quo consecuto, magnum omnium dissidentium, sive haereticorum sive schismaticorum, necnon paganorum progressum in Ecclesiam Catholicam, quantum hominibus datum est, videtur esse paratum.

Maxima prudentia et caritate, tam in Concilio quam extra eum, in suis rationibus attendendis curandum est; quin tamen nec a minimis, si substantialia sint, Ecclesiae praerogativis recedatur.

Et Deo instanti orationi preces effundantur ut illud desideratum fiat: « unum ovile sub unico Pastore ».

Circa disciplinam Cleri integra severitas videtur servanda. Qua ratione etiam in earum formatione morali et intellectuali ampliores exigentiae, iuxta ultima documenta Summorum Pontificum et Magisterii Ecclesiastici, vindicari videntur.

Utinam Concilium, totam illam doctrinam sibi approprians, in unum redigeret ut novam vim et efficaciam ei tribueret et eius confirmationi maxime faveret.

Infrascriptus Episcopus Gadicensis et Septensis ferventissima vota et preces fundit ut, Beatissima Maria intercedente, optatissimum copiosum fructum e Concilio florescere possit.

Fausta omnia a Domino adprecans Eminentiae Tuae Rev.mae

add.mus
✠ Thomas Gutiérrez Díez
Episcopus Gadicensis et Septensis

11

Exc.mi P. D. ABILII DEL CAMPO Y DE LA BÁRCENA

Episcopi Calaguritani, Calceatensis et Logrognensis
(Calahorra, La Calzada e Logroño)

Calagurris, die 30 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Libentissime obtemperando Litteris ad Nos usque transmissis, pergratum mihi est Eminentiae Vestrae ex animo communicare nonnulla argumenta quae, meo iudicio, in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt.

Interim, fausta quaeque a Domino adprecans, ex corde me profiteor.

Eminentiae Vestrae add.mus
✠ Abilius Del Campo y De La Bárcena
Episcopus Calaguritanus, Calceatensis et Logrognensis

IN RE THEOLOGICA

I. De mediatione universali B. M. Virginis.

Thesis: « B. V. Maria Mediatrix, in Christo, omnium gratiarum ».

II. Problemata exposita in Enc. *Humani Generis* (Pio XII).

Errores « theologiae novae »:
a) de valore historico Librorum Sacrorum.
b) de ratione Inspirationis Librorum Sacrorum.
c) de interpretatione catholica Librorum Sacrorum.
d) de creatione mundi.
d) de origine generis humani.
f) de divina Revelatione.
g) de lapsu generis humani.
h) de Christo Legato.
i) de valore et interpretatione formularum dogmaticarum.
k) de munere philosophorum catholicorum.

III. De origine, natura et constitutione Ecclesiae.

Ecclesia, societas perfecta immo et suprema.
Relationes inter Ecclesiam et Statum.
Thesis de Statu Catholico confessionali.
Doctrina de « tolerantia » statuatur.
Doctrina de « laicismo » doctrinali et officiali.
Doctrina de « libertatibus perditionis ».
Potestas Magisterii Ecclesiae vindicetur et definiatur.

IN RE MORALI

I. Theoria, sic dicta « moral de situación », damnetur.

II. De Malthusianismo aliisque methodis anticonceptionistis.

III. De tertio Decalogi praecepto, collato cum primo Ecclesiae.

Actualis legislatio ecclesiastica, hac in re, videtur inadaptata hodiernis condicionibus socialibus, tam in parte negativa « de abstinendo a laboribus », quam in positiva « de audiendo Sacro » singulis diebus dominicis et de praecepto.

a) Distinctio inter opera servilia et liberalia prima fronte apparet « mosaica ».

b) Prohibitio abstinendi a laboribus pro plurimis fidelibus est hodie impossibilis: cogita Industrias sidero-metalurgicas, Alimentitias (Hoteles, Restaurantes, Cafes-Bar etc.), Spectacula, Servitia publica, Communicationes, Labores agricolae in regionibus horticolis in quibus fructus colligi debent singulis diebus statimque adsportari pro commercio publico. Attentis diversis his capitibus sunt millia millium hominum qui laborare tenentur singulis diebus dominicis et de praecepto, immo et diebus dominicis speciali ratione et maiore cum urgentia.

c) Idem valet, servatis de iure servandis, de « audiendo Sacro ». Exinde sequitur impossibilitas audiendi praedicationem catechisticam pro plurimis fidelibus.

Videtur necessaria revisio actualis disciplinae.

In iure canonico

Revisio *Codicis Iuris Canonici* videtur necessaria:

a) In Lib. II, Tit. VIII, Cap. V: De Capitulis Canonicorum.

b) In Lib. III, Tit. III, Cap. I, Art. III, can. 821. « Missa potest celebrari qualibet hora diei ».

Idem dicatur de susceptione S. Eucharistiae, servatis condicionibus de ieiunio eucharistico ultimo datis.

c) In Lib. III, Tit. IV, Cap. II. Supprimatur.

Idem dicatur de reservatione in genere, nisi excipias, fortasse, casus specialissimo modo reservatos Sanctae Sedi.

d) In Lib. III, Tit. VII, Cap. VI, can. 1094. Reformetur hoc sensu: quatenus defectus iurisdictionis, sive ordinariae sive delegatae, non obstet validitati matrimonii celebrandi ritu publico. Unde quilibet Sacerdos, licentiis ministerialibus sui Ordinarii praeditus, valide semper assistit matrimonio publice celebrando. Ad liceitatem, vero, requiritur licentia data ab Ordinario loci vel a Parrocho in cuius territorio matrimonium celebretur.

e) In eodem Tit. VII, Cap. VIII, can. 1108. Reformetur hoc sensu: Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest.

Cetera supprimantur.

f) Liber IV simplificetur.

g) Liber V simplificetur et in plurimis supprimatur.

In re disciplinari

I. De unione inter clerum saecularem et regularem.

II. De apostolatu laicorum.

a) De Actione Catholica.
b) De Associationibus apostolatus Religiosis subiectis.
c) De relationibus inter Actionem Catholicam et Associationes apostolatus Religiosis subiectas.
d) De competentia Episcoporum quoad apostolatum externum.

III. De aptiore distributione territoriali utriusque cleri.

In re sociali

1. *Doctrina Ecclesiae*:

a) De origine societatis civilis.
b) De origine auctoritatis in civili societate.
c) De iuribus personae humanae.
d) De origine familiae.
e) De iure proprietatis.
f) De Socialismo.
g) De Communismo.
h) De Sindicalismo.

✠ Abilius Del Campo y De La Bárcena
Episcopus Calaguritanus, Calceatensis et Logrognensis

12

Exc.mi P. D. RAYMUNDI SANAHUJA Y MARCÉ
Episcopi Carthaginensis in Hispania (Cartagena)

Murciae, 1 sept. 1959

Ad Epistulam diei 18 iunii huius Commissionis haec pauca respondendum censeo:

In rebus Fidei

Nihil proponendum puto, attentis circumstantiis huius dioecesis, vel etiam totius Hispaniae.

Instituta canonica

Capitulum canonicorum puto fore immutandum: Quoad recitationem choralem horarum canonicarum.

Imminuatur etiam numerus ipsorum; ut sint potius consiliari legales Episcopi in rebus gravioribus.

Habitus talaris sit in usu, ut in praesenti omnino.

Breviarium expurgetur circa ea quae Chorum redolent; uti sunt: capitula et responsoria brevia, repetitiones, et his similia.

Dialogus cum populo in missa catechumenorum augeatur et foveatur.

✠ Raymundus Sanahuja y Marcé
Episcopus Carthaginensis in Hispania

13

Exc.mi P. D. IOSEPHI BASCUÑANA LLÓPEZ
Episcopi Civitatensis (Ciudad Rodrigo)

Mirobrigae, die 18 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Honorificum pergratumque est mihi, eas animadversiones significare Eminentiae Tuae, quae visae sunt maxime utilitatis pro concilii Oecumenici argumentis parandis.

I. *Theologiae Dogmaticae capita*

1. Conceptus realitatis supernaturalis profundius elaboretur prae oculis habitis erroribus Baianismi et Theologiae Novae.

2. Monogenismus theologicus, ad lucem doctrinae peccati originalis, accuratius in fontibus revelationis perpendatur, et, si opus sit, definiatur.

3. Doctrina recens de « Generibus litterariis » in S. Scriptura, enucleatius a peritis in re biblica consideretur, eiusque influxus in Evangelia praesertim, authentice declaretur.

4. Periculosiores errores, qui in Enc. *Humani Generis* recensentur, iterum scrupuloso examini subiiciantur, maxime prout de relativismo historico agitur.

5. De B. M. V. mediatrice omnium gratiarum, definitio sollemnis desideratur.

II. *Ecclesiasticae disciplinae capita*

1. Diversi canones *C.I.C.*, a peritis in re canonica ut discrepantes designati, concordes fiant.
2. Lex caelibatus, quam, hodierno tempore, multi imprudenter aggrediuntur, firmior evadat.
3. Similiter habitus ecclesiasticus, in unaquaque natione traditionalis, permaneat atque enixe praecipiatur.
4. Auctoritas Episcoporum circa Religiosos quam maxime roboranda videtur in omnibus, exceptis tantum quae ad regimen internum spectant.
5. Clausura papalis nulla exsistat, vel, ubi adsit, ab Episcopis pendeat.
6. Peropportunum duco quod parochi omnes amovibiles habeantur.
7. Nova enucleatio simplificata libri V « de delictis et poenis » *C.I.C.* intendatur.
8. Facultates, sic dictae quinquennales, a iure fiant.
9. Moderatores in genere Seminariorum diligenter edoceantur ad tale munus rite et efficaciter exercendum. Fortasse conveniens fuerit institutio specialis in hanc rem.

Interea Eminentiae Tuae me devotissimum ex corde profiteor ac optima quaequae a Domino adprecor.

✠ IOSEPHUS BASCUÑANA LLÓPEZ
Episcopus Civitatensis

14

EXC.MI P. D. EMMANUELIS LLOPIS IVORRA
Episcopi Cauriensis - Castrorum Caeciliorum (Coria-Cáceres)

Castris, 17 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Grato serenoque animo, immo etiam hilarique spiritu, reverenter accepi a te conscriptas litteras quibus institutionem Commissionis nuntiabas — die 18 iunii 1959, 1 C/59, 401 — ac consilia, vota et animadversiones circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt postulabas.

Cum in labore hoc conficiendo me licere dicebas opiniones virorum

ecclesiasticorum peritorum et prudentium quaerere, tale feci ut, Officiales praeclaros Curiae dioecesanae vocarem, eorumque verba rationem inquirens.

Ultro etiam prodivi quia, Vicario Generali interveniente, ad omnes Vicarios Foraneos scripsi, itemque suarum voluntatum requirens manifestationem.

Quae omnia deinde colligens, quod subsequitur confeci schema ac Eminentiae Tuae, tota devotione, remitto iis quoque litteris, quibus me totum obsequentissimum profiteor.

Faxit omnipotens Deus eiusque Genitrix semper Virgo Maria, propositum Concilium Oecumenicum, historicum Sanctissimi Ioannis XXIII fastum, in Ecclesiae matris iuvamen et laudem et gloriam prodesse.

Haec omnia tibi Commissionique Antepraeparatoriae significans integer, totus ego, benevolentiae gratiora animi aperio et subiicio.

✠ EMMANUEL LLOPIS IVORRA
Episcopus Cauriensis - Castrorum Caeciliorum

I. *Doctrinae capita*

1. Necessarium est ostendere insufficientiam progressus scientifici ad solutionem principiorum vitae.
2. Delimitare relationem inter fidem et progressum scientiae hodiernae.
3. Exponere positionem Ecclesiae solemniter coram Existentialismo.
4. Declaratio Mediatricis Universalis B. M. Virginis ut dogma catholicum.

Tota Ecclesia plaudente devotio et amor filialis in Mariam Matrem invaluit. Recentioribus temporibus, dogmata Immaculatae Conceptionis et Assumptionis, Ecclesiae universali gaudium maximum, fuere. Cur etiam in hoc faustissimo eventu, Summus Pontifex novam gemmam Deigenitricis aureae coronae non inserit, proponendo, ut universale dogma catholicum, « catholicam veritatem » de omni Mariae interventu in gratiarum distributione?

II. *Lex praeceptiva in quibuslibet clericorum obligationibus*

Quaedam sunt de his obligationibus sic in *C.I.C.* determinata ut veram obligationem non imponant; sed loquitur « de convenientia », « de cura locorum Ordinarii », etc. Attamen in praxim fere universalem seu generalem devenerunt, spontanea ac voluntaria clericorum devotione.

Sic ergo puto:

1. In can. 125 erga frequentiam poenitentiae sacramenti; orationem mentalem; Sanctissimi Sacramenti visitationem; Mariale rosarium; examen conscientiae.

2. In can. 126: Vacare exercitiis spiritualibus non tantum ut Codex dicit « tertio saltem quoque anno », sed unoquoque, vel secundo anno.

3. In can. 127 de reverentia et oboedientia clericorum suo quisque Ordinario, tollere fas est verba « praesertim vero presbyteri », ut lex generalior fiat, et omnes, etiam non presbyteros tantum, obstringat.

4. Aliqua formula, arctiori nempe modo constructa, desideratur in can. 134 de vita clericorum communi.

5. Sicut enim in Seminario unus aut plures stant alumnorum moderatores spirituum, sic pro clericis competentes et idonei patres spirituales adsint.

6. Itemque: Cum clericis prohibeantur negotiatio, administratio, commercium bonorum huius saeculi, fiat ultro, si potest, denuo complexus rerum ordinandarum ut paupertatis spiritum, si non votum, imponatur.

7. Cann. 144 et 969 permittunt ministerialem operam sacerdotes dare extra sui territorii limites. Haec tota res funditus retractari non videtur, ut hoc iuvamen aspiciat universalis ecclesiae servitium, pro his territoriis, infra exigentiam et necessitatem, clericis, potius vero sacerdotibus, orbatis? Si omni consideratione *C.I.C.* hanc rem metueret, eam inter se Episcopi attendant cum provincialem Conferentiam habeant.

De potestate sacerdotum ut ipsi inter se valeant in universa ecclesia confiteri.

Hoc multi desiderant, nempe: ii omnes sacerdotes qui, sua dioecesi facultatem ad confessiones audiendas habent, iurisdictione non careant ut quolisbet sacerdotes, quocumque territorio, confiteri possint.

Institutio Diaconatus. Multiplices nostri temporis necessitates, quae maximam afferunt oppositionem apostolatui sacerdotum, suadent institutionem Diaconatus; ii diaconi, non signati charactere sacramentali, adiutores erunt sacerdotum ut illi adeant loca sacerdotibus prohibita.

Instituta Sacerdotalia.

A S.S. Pio XII condita haec fuere et postea in *Menti Nostrae* memorata hunc in finem ut sacerdotes, praesertim iuniores, instruantur primis sui officii ministerialis temporibus.

In Hispania saltem nonnullae dioeceses habent suum unaquaque. Sed desideratur:

1. Ut consideratio talium institutorum vim acquirat ipsius Iuris Canonicis praecepto.

2. Ut normas et regulas Ecclesia Mater intimet, quibus horum institutorum vita interna et labor signetur.

De omissione taxarum.

Hodierne mos invaluit, pluribus in locis, omittere taxas pro Sacramentorum administratione, novum ordinem oeconomicum intendens. — Forsan conveniat Concilium aliquam normam generalem dare.

III. *De Capitulo Cathedrali*

Opportunum erit Oecumenicum Concilium intendere ordinationem Capituli Cathedralis et, saltem in Hispania, Capitulares maximam habeant rationem pastoralem, hoc maxime, ut Sacramenta administrent.

Circa c. 432 « *De Vicarii Capitularis electione* ».

Electio in casu, sicut § 1 huius canonis statuit, fons est et causa capitulorum divisionis, aliarumque nequitiarum. Alio modo provideatur, e. g., ut inserit § 2, vel, quando dioecesis per translationem episcopi vacet, subeat titulum Vicarii Capitularis qui, sede plena, Vicarius erat Generalis.

* * *

1. Beneficia Ecclesiastica.
2. Poenae l. s. ad plenam efficaciam in hac aetate.
3. Potestas Episcopi residentialis iuxta temporis exigentias.

IV. Circa can. 500 « *De Religiosis* »

Maximi momenti de exemptionis Religiosorum privilegio tractare mihi videtur, et huius adaptationem facere ita ut sine impedimento actionem apostolicam in sua dioecesi Episcopus disponere possit.

V. *Breviorem facere Divini Officii recitationem*

Sacra Rituum Congregatio, sua 23 martii 1955 instructione « De rubricis ad simpliciorem formam redigendis » et multiplex nostrorum dierum consideratio suadentur, ut videtur, reducere divinarum laudum deprecationem.

Ea propono capita:

1. *In Psalterio,* quia pars prae coeteris venerabilis est, parum iudico faciendum. Tantum forsan ut longiores Psalmi non dividantur; sed aliquid eis auferatur. Sic minorantur.

2. *In lectionibus*: Satis longae ac nonnullae etiam videntur non cum veritate historica, nec cum biographia concordare. Unde oportet rele-

gere ut eniteantur et brevientur. Item: reducere lectiones una pro uno nocturno.

3. Mutatis mutandis, quod de quantitate Psalmorum dico, de extensione aliquorum hymnorum, etiamque de « Cantico Moysis » in II Laudibus in sabbato.

4. Forsan etiam in favorem Sacerdotum curam animarum habentium, qui magno labore detinentur diebus dominicis et festis de praecepto, breviare conveniat officium his in adiunctis.

A. M. D. G. et B. M. V.

✠ Emmanuel Llopis Ivorra
Episcopus Cauriensis - Castrorum Caeciliorum

15

Exc.mi P. D. INNOCENTII RODRIGUEZ DIEZ
Episcopi Conchensis (Cuenca)

Conchae, in Hispania, 12 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Acceptis, qua par est reverentia, Litteris Pontificiae istius Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, diei 18 iunii 1959, N. 1 C/59-418, Augusti Pontificis votis libenter obsecundans, iuvat debita cum simplicitate ac filiali animi libertate nostras, humillimas sane, proponere animadversiones, circa res et argumenta, doctrinam vel ecclesiasticam disciplinam spectantia, quae nostro quidem iudicio, requisito etiam consilio virorum nostrae dioecesis peritia ac virtute eminentium, utiliter possent in futuro Concilio Oecumenico Patrum examini subiici et, pro sua prudentia, pertractari.

Haec quidem sunt quae, inter alia minoris forsan momenti, suggerenda putavimus.

1. Sollemniter improbandos iudicamus errores omnes in Encyclicis Litteris *Humani Generis* memoratos, illos praesertim qui moralem ordinem funditus evertere conantur, ac maxime Communistarum placita. Cui damnationi solemni enixam iuvabis addere commendationem, magni apud omnes christiani orbis fideles habendam, hilari animo ea omnia adimplendi quae caritas et socialis iustitia, his temporum adiunctis, vehementiori exigentia reclamant.

2. Summi etiam erit momenti ambitum definire paragraphi n. 1, *c*) Decreti *Spiritus Sancti munera*, circa ministrum Confirmationis; adeo enim diversae sunt traditae interpretationes a Iuris peritis in ephemeridibus atque ab ipsis episcopis in pastoralibus instructionibus, ut sacerdotes qui in una dioecesi libere sacramentum conferunt iis qui, ex gravi morbo, in mortis periculo sunt constituti, debeant in alia, iisdem sane in adiunctis, a sacramento conferendo abstinere, ex proprii Ordinarii praescripto.

3. Expediret etiam omnibus fidelibus facultatem erogare accipiendi Sacram Eucharistiam qualibet diei hora in qua posset Missae sacrificium celebrari, etsi desint rationes ordinis pastoralis quae Missam in horis vespertinis celebrare permittant.

4. Diligentiori etiam examini subicere oporteret novas, ac non levis momenti, quaestiones quas recentiores progressus scientiarum Biblicae, Oeconomicae, Medicae aut Chirurgicae praesertim, hodiernis proponunt temporibus, et prudentes praefinire normas quibus in ipsis pertractandis, fideliter sese accommodent magistri, atque secura semper possint incedere via.

5. Doctrinam de Corpore Christi Mystico accurate declarare iuvabit, ut quae circa intimam Ecclesiae naturam in Concilio Vaticano fuerunt tradita, matura deliberatione in praesenti compleantur.

6. Salvo semper superiori Ecclesiae iudicio, minus recta et haud periculis immunia nobis videntur nova, quae leviter invalescunt, tentamina adhibendi linguam vernaculam in celebratione Eucharistici Sacrificii.

7. Ut alumnorum Seminarii aptior in dies evadat ad sacrum ministerium praeparatio, utile forsan erit curriculis, quibus in omnibus fere dioecesibus presbyterorum completur institutio, nova quidem addere in quibus, sub moderatoribus omni scientia virtute ac experientia commendatis, futuri animarum pastores, dum acceptam institutionem perficiunt, modum fideles edocendi convenienter addiscant et in praxi pastorali exerceantur.

8. Prudentes etiam cautiones expediet assignare quibus Sacrae Theologiae alumni ac iuniores presbyteri praemuniri debeant ad studiorum itinera per exteras nationes, sat hodie frequentia, tempore maxime vacationum aestivarum.

9. Summi etiam erit momenti urgere, aut necessariam forte declarare foederationem Monasteriorum eiusdem Ordinis monialium, ut aptiori sodalium institutione, in Novitiatu communi, et faciliori earumdem transitu ex uno in aliud monasterium plurima quae nunc sane patiuntur vitentur incommoda.

10. Ut religionis ignorantiae, praecipuae malorum radici, qua hodier-

nis temporibus fidelium communitas laborat, opportunum adhibeatur remedium: praestetur in missis dominicis ac festorum de praecepto dierum, pro consueta homilia, doctrinae dogmaticae aut moralis argumentum, ex ordine, breviter et sermone fidelium captui accommodato temporaliter saltem explanatum.

11. Ad gravia vitanda incommoda quae non semel ex negligentia praescripti can. 470 *C.I.C.* habentur, praestabit urgere, etiam canonicis adhibitis poenis, obligationem communicandi parocho baptismi ea omnia quae, iuxta paragraphum secundam canonis supra memorati, in libro baptizatorum debent adnotari, ut in documentis accepti baptismi semper referantur .

12. Cum bonum animarum et Dioecesis utilitas haud raro, hodiernis temporibus id postulent, iuvabit aliquantulum reformare can. 338 § 3, *C.I.C.*, ut Episcopi possint, etiam tempore Adventus et Quadragesimae, a sede episcopali abesse ex qualibet iusta causa, etsi non gravi et urgenti.

13. In causis, praesertim separationis coniugalis, pertractandis coram tribunalibus ecclesiasticis, conveniens videretur brevius temporis spatium assignare, tum pro tribunali primi gradus, tum pro tribunalibus appellationis; ne, cum gravi partium incommodo, nimis diuturnae lites fiant.

14. Utile etiam erit his rerum adiunctis, meo quidem iudicio, censuras ecclesiasticas aliquantulum numero imminuere.

15. Cum felici ac longe iam protracta experientia uberrimi Actionis Catholicae fructus commendentur, plurimum interest ipsam in omnibus paroeciis instituendam curare, aut forsan decernere.

His omnibus liceat ardentissima pro felici Augusti Pontificis statu adiungere vota, dum instantes ad Coelum preces fundimus pro futuri Concilii successu.

Hanc nactus opportunitatem, iuvat, quo par est obsequio, impensos animi sensus profiteri Eminentiae Vestrae Reverendissimae, cui fausta quaeque libenter a Domino adprecor.

Eminentiae Vestrae Rev.mae
Ad.mus

✠ Innocentius Rodriguez Diez
Episcopus Conchensis

16

EXC.MI P. D. IOSEPHI CARTAÑA INGLÉS

Episcopi Gerundensis (Gerona)

Gerundae, 24 augusti 1959

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Litteris Eminentiae Vestrae, diei 18 iunii, quae magno mihi fuerunt honori et propter benevolentiam gratitudine prosequens, maxima reverentia breviter mentem aperio.

Sufficiens mihi deest informatio ut Pontificiae Commissioni cui Eminentia Vestra dignissime praeest, sententiam proponam, quae attentionem et studium mereatur; sed firmum propositum exhibeo pro illis sententiis quae indicantur a Summo Pontifice, cui addictissimum me profiteor.

Aliqua minoris fositan momenti significo:

1. Religionis instructio magis videtur urgenda quia fidelium externae pietati, laudandae, vita christiana in aliis non respondet.

2. Causa est quia religionis genuinum conceptum non habent et in quo vita supernaturalis sit reponenda ignorent?

3. Forte conveniret, propter amissionem doni integritatis, fideles cognoscere, ad recte agendum secundum rationis fide illuminatae dictamen, facultatum hominum inferiorum subiectionem requiri.

4. Ad apostolatus maiorem profectum esset conveniens clarior expositio adiutorii in ministerio pastorali quos religiosi praestant. Mihi placet dicere religiosos qui in hac Dioecesi degunt, laude dignos esse.

5. Forsitan esset determinanda conditio sacerdotum qui magisterium exercent in Scholis ad Ecclesiam non pertinentibus, et eorum qui aliud officium habent, respectu adiutorii in paroecia praestandi.

6. Animi tranquillitas est sacerdoti necessaria ut fervore officium adimpleat, ad quod certe inserviret securitas tum in casu infirmitatum et in senectute simul ac in morte per societates constituendas, in unaquaque Dioecesi, nisi aliud iam esset constitutum; et melius, si ad personam quae in ultimo momento adiutorium praestet, beneficium extenderetur.

Foederatio societatum in dioecesibus quae constituerentur, esset conveniens?

7. Vita communis in Codice Canonico commendatur; esset urgenda

et possibilis pro sacerdotibus paroecias finitimas qui regunt, cum sacri muneris detrimentum non praevideatur?

Spiritum novitatis tum in doctrinae expositione tum in moribus, qui in aliquibus sacerdotibus, praesertim nuper ordinatis, manifestatur, videtur profundo D. Thomae studio necessario precavendum.

Ideo in Seminario alumnos instrui oportet solida pietate et doctrina, et eius dignitatem ad quam Deus vocat, ut sentiant firmiter Iesum cum Ecclesia semper fore, excluso timore et securi de victoria in Iesu Christo.

Aliquis sacerdos, ex interrogatis, loquutus est et petiit utrum opportunum et conveniens esset omnes sacerdotes litari posse Feria V in Coena Domini, necne.

Professor Theologiae Moralis mihi proponit: Nonne conveniens esset normas certas et concretas statuere super modestia christiana: *a*) in templis; *b*) in viis et plateis; *c*) in caeteris locis; *d*) in praxi quorumdam « sports »?

Opinionem scriptam, benevolentiae Vestrae, Eminentissime Domine, cuius sacram purpuram deosculor, commendo et Deum pro Summo Pontifice et futuri Concilii Oecumenici exitu toto corde deprecor.

✠ IOSEPHUS CARTAÑA INGLÉS
Episcopus Gerundensis

17

EXC.MI P. D. RAPHAËLIS GARCÍA Y GARCÍA DE CASTRO
Archiepiscopi Granatensis (Granada)

Granatae, die 15 augusti anno 1959

Em.me ac Rev.me Domine,

Vestris acceptis Litteris de die 18 iunii praecedentis (Prot. N. 1 C/59-550), qua par est reverentia, diligentissime studio vacavi — non sine consilio ecclesiasticorum virorum peritorum ac prudentium — omnium capitum doctrinae quae, tum disciplinam cleri et populi christiani, tum actuositatem multiplicis generis, qua hodie Ecclesia tenetur, tum negotia maioris momenti, quae eadem Ecclesia obire hodiernis debet temporibus, respiciunt; quae omnia, nostro humillimo iudicio, proponi debent in futuro Concilio Oecumenico.

Quorum elenchum in adnexo V. Em.tiae Rev.mae libentissime mitto.

Sacram purpuram deosculor dum haec rescribo, et semper me profiteor.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimum servum in Domino

✠ Raphaël García y García De Castro
Archiepiscopus Granatensis

I. Illa doctrinae capita synthetice in memoriam revocentur quae hodie, aut larvatim negantur, aut subdole exponuntur, ut auctoritas divina Sacrae Scripturae, utilitas practica cultus Sanctorum, et Sacramentalium ...

II. Definitio Mediationis Universalis B. M. V., si opportunum videatur.

III. De Doctrina Iosephologica enucleanda, attentis necessitatibus, praesertim socialibus, huius temporis.

IV. Moneantur studiosi catholici ut, his erroribus modernis, existentialismi, vitalismi ... falsae democratiae et omnimodae libertatis, qui undequaque vagantur, attentionem praestent.

V. Specialis attentio habeatur ad illas doctrinas quibus Orientales et Protestantes ab Ecclesia Catholica separantur, et salvo Dogmate, ad eos Ecclesia Romana magis sese convertat.

VI. Ut naturalismus morum, qui hodiernis temporibus magis ac magis inter ipsos fideles grassatur, dispareat, foveatur summopere cognitio et spiritus fidei.

VII. Doctrina circa relationes Ecclesiae et Status et aliarum Confessionum magni habeatur ut res maxime actualis.

VIII. In legislatione Iuris Canonici opportuna erit inclusio, quantum fieri possit, doctrinae traditae a Summis Pontificibus in magnis Encyclicis circa Sacerdotium:

a) De virtutibus activis et passivis.
b) De habitu clericali.
c) De praesentia in spectaculis publicis.
d) De vita communi.
e) De residentia.

IX. Reformatio Breviarii ita instituatur praesertim in recitatione privata, ut respondeat verae lectioni spirituali, tam Sacrae Scripturae quam Sanctorum Patrum; et in lectione SS. locus praecipuus detur Novo Testamento, et in vita Sanctorum certa et utilia tantum conserventur.

X. Magno studio curandum est ut statuantur normae circa Sacerdotes iuvenes qui praetextu reformationis, ut dicunt, Ecclesiae iam defatigatae, sapiunt doctrinas protestanticas, praesertim circa cultum Sacratissimi Cordis Iesu, externa devotionis signa, debitam oboedientiam Superioribus...

XI Convictoria erigantur non tantum pro Clericis iuvenibus sed frequenter in vita sacerdotali post ministerium paroeciale, sive pro studio sive pro vita spirituali et apostolatu.

XII. Capitula Canonicorum quantum fieri possit vel supprimantur vel reducantur, adeo ut onera ipsis imposita pro animarum salute determinentur.

XIII. Sciant omnes nomine paroeciae non solum templum intelligi, sed ea quoque, quae institutione paroeciali sunt necessaria: v. g., scholae, aulae pro circulis studiorum et pro relaxationibus, ut vita Christi in omni grege paroeciali integre instauretur.

XIV. Unio statuatur clerum saecularem inter et regularem sub unica auctoritate Ordinarii Dioecesis, ita ut Religiosorum exemptio, quantum fieri possit, dispareat. Nulla privilegia eis conferantur in bonum fidelium quin eis fruatur Ordinarius loci.

XV. Urgeatur foederatio monialium, quantum fieri possit, et ita instituatur ut non ab Ordinario loci pendeant, sed a suis Superioribus Maioribus sub directione proprii Ordinarii.

XVI. Omnes fideles tenentur, suo quisque gradu, opera catholica iuvare suisque sumptibus sustinere et propagare.

XVII. Normae quoque statuantur circa Actionem Catholicam, Congregationes, Apostolatum laicorum et quascumque Associationes Pias.

XVIII. Normae quoque dentur in ordine oeconomico sociali, quarum vi sacerdotes omnes de pauperibus curent tutamque in his disciplinis doctrinam teneant cum caritate, iustitia, prudentia sacerdotali mixtam, quae tum ab erroribus capitalismi tum ab erroribus Communismi longe distent.

XIX. Magni fiat elevatio, tum moralis tum materialis, operariorum qui tam longe sunt ab Ecclesia.

XX. Commendetur quam maxime sanctitas familiae, illaque media proponantur quae hanc sanctitatem morumque honestatem confirment et protegant.

XXI. Magni quoque habeatur unificatio sub unico Pastore omnium virium catholicorum, maxime eorum qui Ecclesiae servitio sunt consecrati.

XXII. Confirmatio fidelium poteritne conferri a Sacerdotibus in dignitate constitutis delegatis ab Ordinario loci?

XXIII. Ordines Minores opportunum quoque erit ut a Sacerdotibus specialiter delegatis conferantur.

XXIV. Ordines Minores et Diaconatus conferantur, ut in primitiva Ecclesia, etiam iis qui nunquam ad Sacerdotium perventuri sint, iuxta necessitates actuales Ecclesiae.

XXV. Lingua vernacula, quantum possibile sit, in Liturgia permittatur.

XXVI. Reformatio Missalis ita fiat ut varietas sit in lectionibus Epistolarum et Evangelii.

XXVII. Locus sacrum litandi extendatur ubicumque utilitas populi christiani postulet, iudicio Ordinarii.

XXVIII. Reducatur numerus festorum intra hebdomadam, qui secum ferant obligationem audiendi Sacrum.

XXIX. Eadem ratione ieiunii et abstinentiae dies reducantur, cum a paucis hodiernis temporibus haec lex servetur.

XXX. Ministerium docendi, tam pueros quam iuvenes, etiam in Universitatibus magni fiat, et ad eum omnes clerici sese praeparent titulis academicis sub directione Ordinarii.

XXXI. Normae statuantur circa formationem puerorum cum vocatione religiosa vel sacerdotali in Seminariis Minoribus, vel Lyceis Status.

XXXII. Obligatio imponatur omnibus Sacerdotibus praedicandi Evangelium in omnibus Missis dominicalibus, cum brevitate et pietate, simulque obligatio fidelibus audiendi Verbum Dei.

XXXIII. Instituantur Seminaria Regionalia. Impossibile est unamquamque Dioecesim suum proprium habere Seminarium. Hodiernae necessitates postulant Sacerdotes qui apti evadant ad omne genus apostolatus praesertim in quaestionibus socialibus, in formatione religiosa iuvenum ad Universitates assistentium, in methodo moderna apostolatus, ut in ephemeridibus, radiodiffusione, cinematographo, televisione et formatione selectorum.

✠ RAPHAËL GARCÍA Y GARCÍA DE CASTRO
Archiepiscopus Granatensis

18

Exc.mi P. D. RAPHAËLIS ALVAREZ LARA
Episcopi Guadicensis (Guadix)

28 aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Litteris Em.mae Vestrae, die 21 martii subscriptis, et uti « 1 C/59-563 bis » subnotatis, reverenter profecto et devote acceptis, nunc denique, quo par est obsequio, responsum offerre — satagimus, silentii anterioris humiliter excusationem exoptans, ex infirma valetudine tunc temporis passa, et maxime quidem etiam quia evictus ex animo nullius esse momenti huius humilis — Ecclesiae Praesulis vota et consilia, in argumentis Concilii Oecumenici apparandis.

At benignitate hac Em.mae Vestrae quam maxime profecto affectus, en brevi et per capita, quae circa haec submisse et humiliter significare — existimat.

I. *Aliqua imprimis de doctrina*

Ex Ordinario Ecclesiae Magisterio, patet omnino, a tempore Concilii Vaticani, satis omnibus constare quae de profligatis erroribus hodiernis tenenda: unde forsan Concilii auctoritate ipsos subsignare sufficiat.

At insuper, peropportunum iudicaret subscribens, quosdam modos agendi specialiter subnotare. Nimirum, inter alia:

1. Procacem pruritum, placita novissima coram populo fideli de rebus piis exhauriendi, quae ipsum, profecto, scandalum saepe praebent.

2. Actuosum conatum exonerandi ab obligationibus quae ex veritatibus fidei et praeceptis enascuntur:

a) sive, ipsarum veracitatem et vigentiam obnubilans aut oblivioni apposite mandans, ut fit de inferni veritate;

b) sive, ipsarum etiam virtualitatem ad licitum vel illicitum tantummodo redigens, quae ad perfectionem attinent, uti de virtutibus, nimium obliviscens;

c) sive, quae ad vitam supernaturalem — uti aequipondium sensualium cuiuscumque generis technicae ac scientiae hodiernae nunc ita premens — maxime spectant, non sufficienter in memoriam revocans, ut de gratia, vita eucharistica, efficacia sacramentorum, inhabitatione Trinitatis, Corpore Mystico, etc.;

d) sive, denique, intelligentiam sapientium catholicorum, non satis

et opportune dicatam ad conformitatem scientiae cum veritatibus revelatis ostendendam, et ad progressum spiritualem hominis ad sui in naturam officium obtinendum.

II. *Quaedam nunc de disciplina cleri*

Et quidem, hac in re, subnotare aut etiam fortasse condemnare opus erit, quae saepe saepius, a via verae mentis sacerdotalis declinare, coram ipso populo fideli, apparent, videlicet:

1. Sacerdotem, non revera semper esse, totum quantum « pro hominibus in iis quae sunt ad Deum », sed pro se ipso, aut pro utilitate vel gloria propria.

2. Non uti missum a Christo et ab Ecclesia scienter et prudenter coram populo fideli agere, ut fit:

a) cum nimis naturae rationibus, supernaturalibus omissis, animarum offensione persaepe agit;

b) cum in verbi Dei praedicatione, immo vero in confessionali ut suspicandi adest ratio, doctrina, criteria et iudicia personalia, non Christi aut Ecclesiae, profert, uti circa modestiam, relationes professionales, relaxationes, et cetera;

c) cum ad animarum salutem obtinendam, vel ex omni parte humana utitur, ut puta, scientia, prudentia, technica, etc., vel quae visibilia, spectacularia et externa sunt, plus aequo existimat, dum vitam gratiae et orationis, nimis, aut obliterat, aut negligenter et desidiose, uti Officium Divinum vel actionem gratiarum post Missam, aliaque similiter peragit;

d) cum, denique, virtutes, suae missionis maxime proprias, uti caritas et oboedientia Ecclesiae Hierarchiae praesertim, non pie, recte et in exemplum, semper et coram omnibus, exequitur.

Si autem de remediis ad rem adhibendis, quaedam subnotare liceat, inter alia haec praecipue forsitan consideranda:

a) criteria recta ab ipsis vitae seminaristicae initiis quae pro efformatione psico-spirituali potissimum intersunt, sensim sine sensu at apposite, superimponere;

b) studia theologica, sub modulo pragmatico simul et spirituali, in futurum, ita per totum ipsorum decursum praeordinare, ut doctrina dogmatica, ascetica et moralis, vere vitam et praecordia simul ac intelligentiam, in aevum, quoad fieri possit, informent;

c) asceticam et mysticam, selectum illum locum praebere in efformatione practica sacerdoti, ad vitam populi christiani evolvendam praecipue efflagitatum; et quidem, non quae ad theoriam spectant so-

lummodo alumnis edocens, sed maxime et praecipue, uti in Sanctis, a quibus veritates Tractatibus Theologicis expositae, — ut de Deo Uno et Trino, de Verbo Incarnato, de Virtutibus, de Sacramentis, de Gratia etc., — in praxim mirabiliter rediguntur;

d) harum virtutum et criteriorum supernaturalium praxim, ut positivam liberationem suimetipsius ab affectionibus et agendi rationibus deordinatis, mundanis et Christo oppositis, et ut pars et modus sacerdotii a Christo participandi, tum in Seminariis, tum etiam postea in Postseminariis, Exercitiis spiritualibus, Conviventiis, et vita communi, semper ac fieri possit, aperte et firmiter, omnibus sacerdotibus, sine intermissione iniungere.

III. *De disciplina populi fidelis*

1. Verum est, circa Eucharistiae Tabernaculum ecclesiarum nostrarum, grex tener fidelium, licet pusillus, constanti fide et amore, permanere; at, verum est etiam, hoc nucleo secluso, massa fidelium, — generatim loquendo:

a) deficientem spiritum fidei habere: quapropter, vel nihil aut parum orare, vel non nisi raro in agendo rationibus supernaturalibus, duci;

b) retinere etiam, quandam obnotatam contumaciam seu resistentiam, perample quidem patescentem, Hierarchiae seu Ecclesiae mandatis, praesertim, cum de moribus, vestibus, relaxationibus et similibus agitur, in quibus ob criteria mundana admodum defixa, aegre competentiam et auctoritatem Ecclesiae uti supremam admittit;

c) Nimia sollicitudine iustificandi modos et criteria mundana temperari: quare haud facile invenitur qui audeat adverso mundi flumine navigare;

d) Caritas, signum maximum discipulorum Christi, uti virtus supernaturalis et supernaturalibus de causis, raro etiam inter ipsos sacerdotes, — exercetur: et ferme idem etiam de propria abnegatione et amore crucis, dicendum.

2. Duplex exstat ratio, huius abnormis sane relaxationis populi christiani:

a) mundi ambientis spiritus, qui paganismum redolet, quique spiritum Christi suffocare et interimere conatur;

b) Deficiens valde efformatio spiritualis fidelium, qua possint victoriam adversus mundi spiritum reportare.

3. Verum quidem est, nulla forsitan prae hac peste populo fideli pluris stetisse: etenim praessio talis, continue et indequaque, sensuum saturatione maxime, in proclivem naturam, exercetur, ut fidelium defi-

ciente efformatione attenta, non nisi heroice, a iuvenibus praesertim, ut omnibus patet, superari possit.

Quapropter, si verum remedium, huic demoniacae versutiae, natura attenta, opponere velimus, arma inimicorum capere tenemur, scilicet: quia, sub ideis profecto in animo defixis totus homo et totaliter evolvi naturaliter propendit, nihil exinde intentatum relinquere scienter, coram Deo, debemus, adusque irrespirabilem ambientem spiritu mundano omnino eradicemus ac destruamus.

Inter remedia ad hunc finem obtinendum, en quae subscribentis iudicio opem praestare possunt:

a) veritates supernaturales quae ad spiritualem profectum praecipue praesto adsunt, ut quae de filiatione adoptiva, de gratia, de inhabitatione Trinitatis, de Corpore Mystico, de praesentia eucharistica, etc., in fide tenenda, perample et tenaciter populo explicare, adusque in cordibus vere defixae, totam vitae suae rationem ordinent;

b) familiam, uti talem, fundamentum societatis ipsiusque Ecclesiae, studiosius attendere, et, hoc fine, familias christianas inter se coadunare, Ecclesiae et paroeciae, sacramentis et ritibus praesertim, connectere, et, ut suum sacramentum et statum, talibus eximiis officiis unctum et sacratum, iuxta Dei voluntatem, vivant et exequantur cotidie, scite et actuose profecto, quantum fieri possit, ipsas obstringere;

c) institutiones et associationes erigere, et piorum gregem seu agmina scite excolere, hoc peculiari consilio, nimirum: expugnandi a societate fermentum veterem, et spiritum ambientem mundanum eradicandi;

d) cooperationem a civili potestate, uti necessariam ad bonum commune vere promovendum, sollerter et assidue requirere;

e) contraria contrariis opponere, non autem cessionibus, quae in rebus fidei et morum admitti nequeunt, et praecipue in iis quae ad mores, vestes, et relaxationes, pertinent, uti choreae societatis (bailes de sociedad), spectacula hodierna (cine, television), et similia.

4. At simul, efformationem spiritualem fidelium peramplius et perfectius curare necessarium erit, animum quidem infundendo, non expugnati, sed expugnandi, uti redemptionem suimetipsius et mundi, Christi sectamina insequendo, scienter et victoriae securi agant.

Quapropter, prae oculis hac adspiratione habita, opere pretium erit:

a) doctrinam fidei et morum, non modo praedicatione serio effecta, sed et catechesi scite ordinata, et instructionibus, exercitiis, etc., opportune et importune ut ita dicam peractis, strenue, ut vitam spiritualem actuose et intrepide degere possit, populo fideli, per omnia et ab omnibus, maxima cura tradere;

b) vitam gratiae vivere, immo vero, interiorem spiritus vitam degustare, opere pretium erit populo edocere, ut spiritu inquam ambulante, desideria carnis, ad scripta Pauli, non perficiantur;

c) Omnibus sane, ac praesertim iuvenibus, evincere, adquisitionem virtutum omnium sed praecipue castitatis, non tantum in luctamine aperto ut ita dicam, reponendam, sed maxime et ultra, in actuosa sollicitudine, culmina vitae supernaturalis aggrediendi.

Quae quidem omnia, dum subsignatus, qua par est reverentia, purpuram Em.mae Vestrae devote deosculat, submisse, pro sua infima suffragatione Concilio Oecumenico apparando, humiliter significat, et interim, impensos animi sensus ex corde sese profitetur.

Eminentiae Vestrae
obsequentissimus et addictissimus
in Domino Iesu

✠ Raphaël Avarez Lara
Episcopus Guadicensis

19

Exc.mi P. D. PETRI CANTERO CUADRADO
Episcopi Huelvensis (Huelva)

30 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi est Eminentiae Vestrae Reverendissimae responsionem mittere ad quaesita in venerabili documento istius Pontificiae Commissionis Prot. N. 1 C/59-605 diei 18 iunii 1959.

Sit, quaeso, mihi venia de mora huius responsionis, eo quod propter officii Pastoralis negotia aestivo tempore extra Hispaniam per mensem incolui.

Eminentiae Vestrae sacram purpuram
addictissimus deosculor

✠ Petrus Cantero Cuadrado
Episcopus Huelvensis

Summi Pontificis Ioannis Papae XXIII, feliciter regnantis, circa Episcoporum manifestationes de iis quae in Concilio Oecumenico agenda videbuntur, vota fideliter obsequentes, necnon et Pontificiae Com-

missionis Antepraeparatoriae pro eodem Concilio die 17 maii 1959 institutae petitionem responsuri, re coram Deo mature perpensa, et nonnullis integrae famae probataeque prudentiae sacerdotibus, qua par est cautela, consultis, Eminentiae Vestrae Reverendissimae praesens propositum mittere nobis in honore est, quo ipsius Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae venerabili documento Prot. N. 1 C/59-605 pro viribus respondeamus.

Praeviam quamdam de hic dicendis observationem praebere velim, nempe: non omnia in praesenti responsione proposita, esse, meo humili iudicio, in futuro Concilio exagitanda, sed tantum intendo generalem conspectum Pontificiae Commissioni praebere de iis gravibus negotiis quae, in praesentiarum Magisterio et regimini Ecclesiae Catholicae obversantur, ut personales opiniones et pastorales curae, intuitu futuri Concilii, Pontificiae Commissioni pateant.

Quo clarius et facilius Eminentissimis Patribus labor lectionis evadat quaestiones ad schema reducere opportunum duxi, sub iis tantum capitibus: *a*) Doctrina; *b*) Disciplina; *c*) Apostolatus; *d*) Observationes generales.

Caput I. *Doctrina*

In primo hoc capite doctrinales deviationes quae his temporibus tum intra tum extra ecclesiasticum campum prodierunt recolere intendo.

A) *In campo ecclesiastico*:

a) Quaestiones theologicae:

1) Novae opiniones circa interpretationem sensus Sacrarum Scripturarum;

2) « Theologia nova »;

3) De valore Magisterii Ecclesiastici;

4) Ambitus crisis locutionis theologicae quae in quibusdam philosophico-theologicis expressionibus exhibetur, v. gr. « transubstantiatio » circa dogma eucharisticum;

5) De Progressismo christiano;

6) De Communismo materialistico et atheo.

b) Quaestiones morales:

1) Doctrina moralis relativa, vulgo « moral de situación »;

2) « Birth control » et media anticonceptiva in matrimonio;

3) Artificialis inseminatio humana;

4) Ambitus iustitiae socialis in omnes actus humanos, necnon et

in sociales institutiones, eiusque dilucidatio in libris ad Theologiam Moralem in scholis catholicis exponendam;

5) De christiana libertate et oboedientia;

6) De Spiritismo.

c) Quaestiones iuridicae:

1) Relationes Statum inter et Ecclesiam;

2) Auctoritas et iura Episcoporum relate ad ius exemptionis Religiosorum;

3) Ecclesiae iura et officia in docendo;

4) Status civilis et iura personae humanae;

5) Status civilis et iura familiae;

6) Quaestiones technicae circa ordinationem iuridicam pro reformatione Codicis Iuris Canonici.

B) *Extra campum ecclesiasticum*:

a) Quaestiones philosophicae:

1) Doctrina existentialistica;

2) Doctrina sic dicta: « Sensus Historiae »;

3) Hodiernus « Evolutionismus ».

b) Cultura moderna:

Pontificiae Commissioni hanc humilem opinionem exponendam duxi, quatenus magni non modo historici sed et apostolici momenti:

Historicum factum, et quidem lamentabile, hoc est: Hodiernam culturam longe a directione morali et intellectuali moderationi Ecclesiae vias suas arripuisse et progressus obtinuisse. Sed cum idearum et principiorum influxum in vitam tam individualem quam socialem nemo est qui non videat, si talis « cultura hodierna » easdem in futuro sequatur vias et directionem quin Ecclesia Catholica obviam ei exierit ut ipsa christiano spiritu baptizetur, doctrina et vita christiana maximas patietur difficultates ad sensum christianum in mundo instaurandum.

Iam vero, inter causas quae huic facto historico originem praebuerunt illa est et quidem institutionalis scilicet: Praeceptum tridentinum de Seminariis clericorum instituendis extra Universitates studiorum tunc existentes. Quod quidem de facto magnopere causa fuit « saecularizationis » studiorum et totius vitae pro Universitatum alumnis. Quibus positis, haec facile devenerunt; *a*) Universitatum « saecularizatio »; *b*) « Vivisectio » inter studium disciplinarum ecclesiasticarum et civilium. Ratio praevidet et experientia testatur studium scientiarum phi-

sico-chimicarum et naturalium absque theologicis fundamentis et principiis methaphisicis ad naturalismum et atheismum facillime ducere.

Quapropter haec iudicavi Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae proponere si forte ipsa ea censeat perpendenda, attento maximo influxu culturae in progressum scientiarum et sociales institutiones.

Caput II. *Disciplina ecclesiastica*

Deviationes ideologicae, de quibus in praecedenti capite, perniciosissimum habuerunt influxum in principia moralia catholica et ecclesiasticam disciplinam etiam in clericis tam saecularibus quam regularibus, et in institutionibus ecclesiasticis ut puta, Seminariis, paroeciis piisque associationibus laicorum, etc.

A) *Clerus.*

Meo quidem iudicio, disciplina et institutio quam perfectissima tam scientifica quam ascetico-apostolica clericorum habenda est inter potiores ne quidem forte potissima quaestio ex iis quae in Sancto Concilio examinanda venient.

B) *Seminaria.*

Idem dicendum ex consequentia praecedentium, siquidem ex vita et spiritu clericorum tota dicenda est vita interna Ecclesiae pendere; ex vita autem interna Ecclesiae, ipsius externa institutio, incrementum, fama et spiritualis influxus tam in proprios fideles quam in ipsos infideles.

C) *Paroeciae.*

Tam conceptus quam ipsa institutio paroeciarum immo et curiarum episcopalium plus missionem iuridico-administrativam quam pastoralem respiciunt. Earumque canonicae structurae ad ecclesiasticam administrationem potius quam ad apostolicam pastoralem curam referuntur.

Nonnullae quaestiones paroeciales.

a) Revisio ordinationis territorialis paroeciarum. In magnis urbibus ipsum domicilium non constituit hodiernum centrum activitatis collectivae et in pluribus neque individualis. Sociales structurae heri in territorialitate domicilii fundatae, locum cedunt aliis structuris socialibus ex professione, negotio, cultura ... dimanantibus.

b) Institutio oeconomica paroecialis mutanda: a) ampliore fidelium laicorum interventione; b) radicali suppressione distinctionum in admi-

nistratione functionum paroecialium ex perceptione oeconomica, unica solemnitate pro omni fidelium genere relicta; c) paroeciarum numeri multiplicatione.

c) Urgenda est executio praeceptorum cann. 711, 2°, 1329... circa constitutionem et laborem Confraternitatis Doctrinae Christianae, catechesim puerorum et adultorum ...

D) *Religiosorum familiae.*

1. Hodiernum problema maximae actualitatis maximique momenti tum ad internam Ecclesiae vitam tum ad pastoralium laborum coordinationem est « exemptio Religiosorum » eorumque relationes erga auctoritatem et iura Episcoporum.

Difficultates potissimum exurgunt in Institutis pro iuventutis educatione et in apostolicis associationibus alumnorum et eorum qui in collegiis religiosorum studia peregerunt et ab ipsis religiosis moderantur.

Saltem in Hispania, extat de facto ille rerum status, meo humili iudicio omnino removendus, inter Episcopatum et F.E.R.E. (Federación Española de Religiosos de Enseñanza). Difficultatum cardo hic est: Religiosorum collegia pro iuventute instituenda coram civilem auctoritatem ut collegia Ecclesiae apparent, dum relate ad Ecclesiasticam Hierarchiam ut collegia Religiosorum exemptorum moderantur. Episcopalis Commissio pro educatione nequit efficaci interventione et libertate gaudere ad abusus coërcendos qui saepe, lamentabili conditione, in iis Religiosorum Collegiis prodierunt.

2. Omnino saepe desideratur reditus sodalium religiosorum ad genuinum collectivum spiritum Fundatorum Religiosarum Familiarum.

Caput III. *Apostolatus*

Solatur animum, totiusque Ecclesiae spem fore apostolicus ille spiritus qui tam in clero quam in selectis laicorum coetibus his temporibus ortum habuit. Procul dubio, signum evidens supernaturalium virium Sanctae Matris Ecclesiae hisce nostris temporibus.

Tamen vitalis influxus in societatem, quem ex hodiernis apostolatus institutis omnino sperare oportebat saepissime — saltem in Hispania — desideratur, aut saltem aequa non datur proportio inter influxum et intrinsecum apostolicarum institutionum robur.

Causae autem hae forte sunt:

a) Quaedam subaestimatio valoris influxus apostolatus in campo ideologico et intra institutiones culturales.

b) Nimia multiplicitas directionum apostolicarum, et carentia uni-

tatis et coordinationis; 1) inter diversas dioeceses; 2) inter diversas Familias religiosas; 3) inter clerum regularem et saecularem.

Quaestiones quaedam, et quidem maximi momenti, hodie ambitum obtinent nationalem immo internationalem, earumque solutio proportionata ratione tum nationali tum internationali providenda est.

Caput IV. *Observationes generales*

Fas tandem mihi sit, humili et sancta nixus libertate filiorum Dei, Pontificiae Commissioni has proponere suggestiones:

1) Meo humili iudicio scopus praecipuus futuri Concilii Oecumenici in eo reponendus est, ut vita interna Ecclesia opportunis institutis ac principiis roboretur;

2) Praecipue autem puritate doctrinae catholicae necnon et sanctitate et integra institutione clericorum. Coetera « omnia adiicientur vobis » (*Matth.* VI-33);

3) In definienda doctrina et in regimine pastorali instaurando, ut puto, criteria « minimalista » periculosa et etiam nociva devenire poterunt, tum bono Ecclesiae tum etiam ipsi civilizationi christianae;

4) In spirituali clericorum et fidelium institutione non modo supernaturalium sed etiam naturalium virtutum valorem et momentum conclamare oportet;

5) Ille et Christi et Ecclesiae desideratus scopus « unum ovile et unus pastor » (*Io.* X-16) per viam puritatis doctrinae et sanctitatis omnium membrorum Ecclesiae Catholicae quaerendus et inveniendus est; quin immo: ut consequens necessarium puritatis doctrinae et sanctitatis exurget. Alia quaedam unificatio christianarum confessionum in sinu verae Ecclesiae forte nocivum pondus evaderet in ordine ad historicam evolutionem futuram et vitam Sanctae Matris Ecclesiae.

✠ Petrus Cantero Cuadrado
Episcopus Huelvensis

20

EXC.MI P. D. LINI RODRIGO RUESCA
Episcopi Oscensis (Huesca)

Oscae, 16 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Relate ad litteram Em.tiae Vestrae Rev.mae diei 18 iunii 1959, n. 1 C/59-606, valde honoror gratulari Eminentiae Vestrae pro nominatione Vestra, ab Augusto Pontifice facta, uti Praesidi Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico.

Postea, cum desideret Summus Pontifex, fel. regn., cognoscere opiniones seu sententias atque colligere consilia et vota Episcoporum, en opiniones infrascripti Episcopi Oscensis, in Hispania, Solio Pontificio Assistentis, cum omni libertate et sinceritate factae, quae possint tractari, si oportet, in futuro Concilio.

1. Cooptatio Ecclesiarum Christianarum non Catholicarum in Ecclesiam Romanam.

2. Complectetur Actio Catholica in Iure Canonico.

3. Normae concretae ad conservandam disciplinam ecclesiasticam hucusque habitam et quae nunc laxatione aliqua patitur.

4. Uniformitas materiarum discipulis praelegendarum in omnibus Seminariis Dioecesanis cuiusque Nationis ut evitentur difficultates quamplurimae ad studia prosequenda quibus patiuntur seminaristae transeuntes ab uno in aliud Seminarium.

5. Magisterium unicum Ecclesiae Docentis cum damnatione omnis alius magisterii laicorum, uti « theologiae laicae », « moralis novae », et sic de caeteris.

Quod ut Em.tiae Vestrae Rev.mae renuntio, ad osculum S. P. prostratus, me subscribo

addict. in Domino Iesu

✠ LINUM RODRIGO
Episcopum Oscensem

21

Exc.mi P. D. ANTONII CARDONA RIERA

Episcopi Ebusitani (Ibiza)

Ebusi, 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteras tuas (Port. N. I C/59-64) de praeparatione futuri Concilii Oecumenici, pergratus accepi. Inter res et argumenta quae in praedicto Concilio tractari poterunt, forsitan sequentes opportunas fore, nempe:

Doctrinales

A) Beatissimae Virginis Mariae Universalem Mediationem definire.

B) Nonnullas propositiones ad definitionem a Concilio Vaticano iam paratas, definire; exempli gratia:

a) « S. q. non confiteatur humanum genus in primo parente ad statum supernaturalem elevatum fuisse, a. s. ».

b) « S. q. d. sanctitatem et iustitiam in qua homo ante lapsum constitutus erat, non fuisse supernaturalem, a. s. ».

c) « S. q. d. naturae rationalis facultatem sine divina per Iesum Christum gratia sufficere ad aliquod opus bonum, quod ad iustitiam et vitam aeternam disponat, a. s. ».

C) Explicitam condemnationem errorum hodiernis temporibus, exempli gratia, theosophismi, spiritismi, existentialismi. etc., iterum iterumque iterare.

Disciplinares

A) Privilegia consuetudinesque C. Iuris Canonici in aliquibus locis adversantia, revocare.

B) Vitam communem Clericorum, ubi fieri possit, instaurare.

C) Caelibatum ecclesiasticum magis ac magis firmare atque urgere.

D) Quintum Curriculum S. Theologiae in omnibus Seminariis instaurare.

Et nihil amplius, Eminentissime Domine.

Eminentiae Tuae add.mus

✠ Antonius Cardona Riera
Episcopus Ebusitanus

22

Exc.mi P. D. ANTONII PILDÁIN Y ZAPIÁIN
Episcopi Canariensis (Islas Canarias)

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Iucundae sane, honorificentissimaeque Eminentiae Vestrae Reverendissimae invitationi libenter obsecundans, ea videntur mihi praesertim in futuro Concilio Oecumenico tractanda, de quibus sapienter loquuti sunt ultimi Romani Pontifices a Pio IX usque ad feliciter regnantem Ioannem XXIII, sive in Litteris suis, sive oretenus.

Ea videlicet quibus adversantur *liberalismus, totalitarismus* sive absolutus, sive mitigatus; *statismus,* principium subsidiaritatis penitus parvipendens, omniaque absorbens quae ipsi primario et per se non pertinent: *Nationalismus idolatricus* magnarum nationum, quae iura naturalia parvarum nationalitatum sive regionum criminose conculcant; *laicismus, communismus;* item *mammonismus,* operariis, pauperibusque quod debetur denegans, exitumque negotiorum prae omnibus quaerens, praecipue per societates ut dicunt anonymas, quarum operationibus iniustis, haud pauci catholici cooperantur.

Similiter *materialismus, existentialismus, homosexualismus, onanismus* et *hedonismus* maxime *in choreis, cinématographis et balneis,* et vestibus, circa quae, Concilium, sanam doctrinam moralem apprime determinare deberet.

Peculiari cura mihi videntur tractanda ea quae *ad sanctitatem sacerdotalem* referuntur, necnon et ea quae *ad Apostolatum Laicorum,* et ad *novum quod vocant Diaconatum;* itemque quae ad vitam matrimonialem spectant, ut talis sit, quae sit sacramento digna.

Ut vero hae res et argumenta non in mera speculatione ideologica consistant sed in praxim reducantur erroresque ipsis adversantes conterantur, omnino necessarium, humili meo iudicio, videtur ut impugnetur et acriter reiiciatur irenismus, non tantum dogmaticus sed et *irenismus moralis,* quem profitentur, non tantum fautores sic dictae « moralis situationis », sed etiam, quamvis inconscienter, non pauci reverendissimi viri, aliunde quidem laudabilissimi, sed in hac parte revera nocentes.

Illos innuo qui « moralistae » appellantur, necnon et confessarios in verba eorum iurantes, quorum plurimi, ad trahendos et non arcendos peccatores, sensim sine sensu, laxiores tradunt doctrinas morales, nullis argumentis theologicis suffultas, incommutabilem doctrinam catholicam

a Sacra Scriptura et traditione edoctam, paulatim relaxantes, maxime cum agitur de occasionibus proximis, necnon et de scandalo et cooperatione, ita enim respondent, sive in libris sive in confessionalibus, quasi si poenitentes personae solitariae essent, in aliquo depopulato sidere solitarie prorsus viventes, et prae oculis non habent homines semper, maximeque modernos, essentialiter sociales esse, eorumque actus in circunstantes indesinenter influere.

Item mihi videtur eadem severitate monendos esse a Concilio *moralistas et confessarios, qui saepissime parvipendunt gravissimas obligationes, sive iustitiae commutativae, sive iustitiae socialis,* quibus tenentur et divites, et domini opificum, et ita fit ut, haud infrequenter quidem, appareant coram omnibus aliqui ex his divitibus et dominis quotidie, aut saltem frequenter, ad sacram synaxim accedentes, simulque perpetrantes gravissima iniustitiae peccata in operarios, ipsis scandalum praebentes ut Deum blasphement et ab Ecclesia eius avertantur.

Ad haec similia scandali capita tollenda — mea humili sententia — agi in Concilio oporteret *de instauranda et in praxim reducenda genuina doctrina et disciplina Ecclesiae circa peccatores publicos,* connumerando inter ipsos huiusmodi scelestos iniustitiae patratores.

Denique, sincerissime opinor, *nullatenus nomine « theologorum » designandos,* sed e contra et titulum et privilegia et iura theologorum penitus abiudicanda esse illis scriptoribus qui, moralistae vocati, docent aut scribunt sententias suas aut asseclarum suorum exponentes, quin ipsas ullis argumentis theologicis, S. Scripturae, videlicet, et traditionis suffulciant, quod est proprium theologorum munus, sed auctoritate tantum quam sibi mutuo praestant, aut quam ingenuitas lectorum talium operum ipsis indebite tribuit.

Tales scriptores non ut theologi, sed ut mere scribae sunt habendi, et, mea humili sententia, ad Concilium non essent vocandi.

Hac occasione libenter utor ut impensos animi sensus tibi repetam.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimus in Christo servus

✠ Antonius Pildáin y Zapiáin
Episcopus Canariensis

23

Exc.mi P. D. ANGELI HIDALGO IBÁÑEZ

Episcopi Jacensis (Jaca)

Jaccae, die 10 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Considerantes res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt, litteris obsequentes Vestrae Eminentiae Reverendissimae diei 18 iunii 1959, Prot. N. I C/59-636, haec capita reverenter proponimus:

1. Determinare, ad mentem divinae Revelationis et sanctae Traditionis, potestatem episcopalem in Ecclesia, sive considerentur Episcopi tanquam « Pastores proprii » ecclesiarum singularium, sive tanquam « Hierarchia collegialiter » unita Pastori Supremo.

Principium collegialitatis unquam fuit, nec ignoratum, nec repudiatum in Ecclesia, nec habitum ut contrarium Principatui Supremo iuris et facti Pontificis Romani.

2. Exponere tam causas quam consectaria practica haeresis modernae, quae appellari potest « Humanismus naturalista »; inde vero declarare veram doctrinam et media proponere ad errorem eradicandum vel, saltem, ad effectus nefarios mitigandos.

Moderna vitae hominis conceptio est valores pure naturales considerare, eiusque finem proponere in assequutione eorum quae ad vitae praesentis necessitates et commoda inserviunt. Inde exaltatio collectivismi, vel ad modum communismi vel democratiae extremae.

3. Promulgare canones de « Gratia Dei » et de « Deo Uno », iam a Concilio Vaticano elaboratos, quin lucem attigerint.

4. Formam dare dogmaticam doctrinae quae in Encyclica Pii Papae XII *Humani generis* continetur.

5. Determinare naturam facti inspirationis et inerrantiam inde consequentem in Sacra Scriptura.

Concilium Vaticanum definivit solummodo factum inspirationis; nihil tamen statuit de eius natura atque de divini influxus limite. Inde perplures hodiernae quaestiones solutionem ac lucem acciperent.

6. Clare proponere doctrinam de confessionalitate Status, tam in thesi quam in hypothesi, prout in schola Iuris Publici Ecclesiastici communiter traditur.

Nostris temporibus « laicismi » error inficit leges fundamentales,

constitutionem organicam et vitam populorum publicam. Nec desunt catholici qui mentem non claram et modum non rectum sese gerendi prodant. In genere magna datur confusio, cum agitur de applicatione practica doctrinae Iuris Publici Ecclesiastici in relationibus Ecclesiam inter et Statum, et etiam in aliis quaestionibus ordinis socialis, politici, iuridici et repraesentativi.

7. Recolere et organice exponere quidquid circa « Theologiam novam », « Philosophiam existentialem » et « Moral de Situación » declaravit et docuit Pius Pp. XII, propositis definitionibus, damnationibus et explicationibus congruis.

8. Definire doctrinam Mystici Corporis Christi, quod forsan in praesens ad viam unionis Ecclesiarum iuvabit.

9. Revisio ex integro exemptionis Regularium, sine partium studio, ut multae solvantur collusiones in ordine hierarchico, disciplinari, pastorali et laicorum apostolatus, congrue accommodando bonum particulare Associationum et bonum commune Ecclesiae.

Ex hoc novum robur accipiet unitas interna Ecclesiae.

10. Elaborare Codicem Liturgicum.

In proponendis normis liturgicis prae oculis habeatur maxime efficacia pastoralis. Usus linguae vernaculae in actionibus liturgicis elementum erit praeclarum ad activam fidelium participationem.

11. Capitula Canonicorum reformare, ita ut eorum institutum modernis temporum necessitatibus accommodetur.

Ratio pastoralis praeprimis teneatur, sive in munere personarum, sive in ecclesiarum cathedralium servitio.

12. Statutum iuridicum Actionis Catholicae, tam genericae quam specificae, proponere, clare determinando eius internam constitutionem, finem, locum eius proprium in Iure Canonico et in hierarchica missione pastorali Ecclesiae.

13. Laicorum positio activa in Ecclesia, ut membra Mystici Corporis Christi, sollemniter recognoscere; ac simul definire eorum iura et officia.

14. Codicem Iuris Canonici convenienter renovare. Hoc autem in singulis amandamus in iure peritis.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimus in Domino

✠ Angelus Hidalgo Ibáñez
Episcopus Jacensis

24

Exc.mi P. D. FELICIS ROMERO MENJIBAR
Episcopi Giennensis (Jaen)

Giennii, die 6 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Id ab initio huius epistolae humillime postulans ut mihi venia propter moram in responsione donetur, gressum statim facio ad sententias, consilia et vota communicanda quae suggerere opportunum mihi videtur relate ad quasdam materias tractandas in futuro Concilio Oecumenico.

Ut res ordinate procedat, fieri liceat divisio secundum quam suggestiones exponuntur. Et sic agimus:

1. *De re dogmatica*

A) Forsan non esset conveniens nova nunc dogmata definire. Ratio desumitur ex fine praecipuo Concilii convocandi, cuius in votis est redintegratio ad sinum Matris Ecclesiae eorum qui separati exstant. Iis facilis via non aperiretur cum definitione novorum dogmatum.

Praeterea quae iuxta fere unanimem theologorum consensum definienda essent, hodie firmiter catholici credunt.

B) Pressius et accuratius enucleare ipsam Ecclesiae ideam sicut Corpus Christi Mysticum videretur valde consonum, ut quodammodo perficiatur et amplificetur conceptus Ecclesiae post-tridentinus forsan nimis polemicus ex adiunctis historicis.

Argumenta huius affirmationis nascuntur ex rerum liturgicarum praesenti cursu, ex charactere praesertim christocentrico spiritualitatis hodiernae et ex maiori in dies dignitate laicorum in Ecclesiae aestimatione, quibus additur actualis evolutio associationum et corporum socialium sensu christiano.

C) Proficuum quoque apparet, hanc lineam Ecclesiae ut Corporis Mystici sequendo, ponere et explanare quaedam veluti fundamenta peculiaris theologiae laicorum, ut dicam. In ea momentum laicorum in Ecclesia penitius declararetur, determinando eorum positionem et munus relate ad sacerdotium in labore apostolatus.

Hoc postulat legitimus progressus conscientiae laicorum prout pertinent tamquam membra ad Ecclesiam pro cuius robore et extensione

laborant modo intensiori et excelsiori quam antea, cooperando quadam cum officialitate, etsi subordinate, apostolatui hierarchico.

D) Oporteret ut ageretur de participatione Sanctissimae Virginis Mariae in opere redemptionis eo fine, ut, quin necesse sit pervenire ad definitionem doctrinalem, melius tamen intelligerentur natura et consectaria cooperationis praestitae in redemptione humani generis atque gradus et modus dependentiae a Christo in ipsa.

E) Nec extra locum iudicaretur agere etiam de quibusdam deformationibus circa devotionem erga SS. Cor Iesu, quae sustinentur inter aliquos, ut vocant, intellectuales catholicos et inter paucos quandoque ecclesiasticos, etiam post ipsam encyclicam *Haurietis aquas*. Iidem enim deviando a vero tramite influunt damnose in pietatem et vitam christianam.

F) Expediret ut Concilium iterum statueret doctrinam circa historicitatem priorum capitum Geneseos et circa authentiam Evangeliorum, cum aliis quaestionibus ex iis derivatis.

2. *De re liturgica*

A) Conficiatur *Codex liturgicus,* in quo plurimae leges liturgicae hodie vigentes, ordinata ratione colligantur, vitata excessiva multitudine caeremoniarum.

B) Foveatur magis magisque *spiritus liturgicus,* apud fideles laudabiliter propagatus, praesertim de eorundem activa participatione in officiis liturgicis, maxime vero in Missa.

C) Instituantur scholae paroeciales vel dioecesanae pro puerorum institutione tum ad cantum liturgicum tum ad ministerium in sacris functionibus, praesertim in Missa.

D) Confirmentur definitive modificationes in recitatione Breviarii Romani, et imponantur, quantum fieri possit, in chorali recitatione, facta prius necessaria adaptatione pro cantu chorali.

E) *De idiomate in sacramentorum administratione adhibendo.* Fortasse expediet adprobare usum linguae vernaculae in administratione sacramentorum. Saltem commendetur praxis commentandi ritus et caerimonias per moderatorem quemdam in Confirmatione, in Ordinibus conferendis, in Sacrorum Oleorum consecratione...

F) *De Missa participata.* Foveatur immo praecipiatur ut fideles partem sumant in Missa sive cantata sive lecta, adhibitis normis S. Rituum Congregationis.

G) Quoad communionem horis vespertinis commendetur ut fideles generatim mane communicent eo quod animus sit magis abstractus a

curis temporalibus et a strepitu rerum mundanarum; sed adstante rationabili causa, si adiuncta aliud suadeant, facultas provideatur ut vespere etiam extra Missam sacram communionem recipiant.

H) Oporteat animadvertere, quod est praesertim in ipsa vita liturgica, ubi hodiernis temporibus magis magisque studium innovationum crevit. Innovetur quidem, sed cauto et prudenter procedatur, conciliando, quantum fas sit, restaurationem elementorum antiquae liturgiae cum illis formis quae decursu saeculorum fixa et adprobata permansere.

3. *De re morali*

A) Forsitan oporteret tractare denuo de illa, quam vocant « Etica de situación », quae, etsi damnata a Sancto Officio, perstat attamen, gignendo confusionem in mentibus multorum et cohonestando iniuste mala et vitanda, ex praedominio philosophiae subiectivae.

B) Interesset ut Concilium in trutinam revocaret doctrinas ab Ecclesia hodiernis temporibus damnatas circa falsos fines matrimonii, circa amplexum reservatum, etc.

C) Spectatis hodiernis adiunctis, in quibus pax et securitas humani generis in discrimen adducuntur, eo quod nationes in praeceps dentur quoad ingentem numerum et inmanem efficaciam armorum (carrera de armamentos), utile aestimamus ut Concilium sollemnem declarationem proferret circa liceitatem vel illiceitatem armorum atomicorum, nuclearium et similium, addita exhortatione ut nationes omnes res controversas subiicerent examini et sententiae organismi internationalis pro his quaestionibus decidendis instituti.

4. *De disciplina cleri*

A) *De capitulis canonicorum.* Mitigetur lex de residentia capitulari, ut praebendati se dare possint studiis ecclesiasticis et operibus apostolatus et dummodo dentur. Imminuatur numerus praebendatorum in singulis capitulis ad numerum stricte necessarium pro cultu sollemni et pro spiritualium fidelium cura, ne in tanta actuali penuria clericorum distrahi debeant clerici e ministerio paroeciali.

B) (Can. 422). *Pro indulto emeriti seu iubilatione,* reducatur numerus annorum servitii stricte choralis ad triginta annos.

C) *De parochis* (can. 466). Obligatio applicandi Missam pro populo reducatur, ita ut applicare teneantur tantum semel in mense, habitis prae oculis annonae et vitae difficultatibus.

D) Ordinentur relationes utriusque cleri, saecularis scil. et regularis ita ut faveatur mutuus amor, mutua reverentia et mutuum iuvamen, et

vitetur scandalum et admiratio quae in populo christiano oriri solent ex discordiis inter utrumque clerum.

Inculcetur inter clericos saeculares et regulares concordia quoad praedicationem et catechesim, quoad exercitia spiritualia, quoad Missas praesertim in suburbanis.

E) *De exemptione regularium.* Expediet ut aliquatenus imminuantur exemptiones in clero regulari, in agnitionem potestatis Episcopalis, quo efficacior sit apostolatus, dum omnes in aliis Ordinario subiiciantur et in aliis congruentem accipere cogantur coordinationem.

F) Spiritus independentiae ita imminet mentibus clericorum, immo vero de facto plures pervasit cum magno scandalo fidelium, ut necesse sit confirmare doctrinam traditionalem eamque fulcire illis mediis aptioribus, quibus vitentur damna hinc derivanda erga Ecclesiam et societatem.

5. *De seminariis*

A) Ad cavenda gravissima mala, invigiletur magistrorum praeparationi et docendi methodo, ita ut pariter vitetur tum nimia adhaesio ad antiquas methodos, tum excessivum studium rerum novarum, quod maxima pericula pro alumnorum institutione afferre solet.

B) Ne praetextu excolendae personalitatis nimium indulgeatur libertati alumnorum, et ideo, ut alumni spiritu vere ecclesiastico imbuantur, eisdem inculcanda est saepe saepius humilis oboedientia, refrenata nimia libertate et sic dicta *autocritica.* Maximam in hac re habeant superiores curam et difficiliter se gerant, impediendo ascensum ad ordines illis qui hoc vitio apparerent illaqueati.

6. *De re sociali*

A) Prodesset denuo tractare de iure proprietatis eo sensu et modo, qui ex conceptu eiusdem et ex adaequatis consectariis aptior sit, ut praesideat et dirigat doctrinaliter, iuxta Summos Pontifices, activitates oeconomico-sociales hodiernas, quarum influxu structura societatis elaboratur distincta magna ex parte ab ea quam usque nunc vidimus.

B) Doctrina boni communis relationibus inter nationes applicata forsan postulat, ut definiantur, iura et officia Statuum tum in re politica tum in re oeconomica et sociali, ad procurandam exsistentiam digniorem populorum, praesertim sub-evolutorum ut dicunt, quamvis necessarium sit pervenire ad cessionem quamdam partialem ipsius supremae potestatis in bonum nationum indigentium ex creatione alicuius organismi supranationalis.

C) Expediret ut Concilium ederet sollemnem declarationem circa

personam humanam, quae est fundamentum doctrinae socialis Ecclesiae et petitionum opificum in materia sociali, iuxta documenta Summorum Pontificum.

D) Esset conveniens ut Concilium defenderet et tueretur beneficia socialia opificibus concessa et ut suaderet directoribus societatum commercialium et industrialium obligationes iustitiae et caritatis erga operarios suos.

E) In hodiernis adiunctis opus esset ut in memoriam revocaretur doctrina de primaeva destinatione bonorum externorum in commodum totius generis humani, ita ut praeponatur ius ad vitam, utpote primarium, iuri proprietatis, quod est ius secundarium. Itaque pari modo vitandi sunt tum capitalismus liberalis tum communismus, et statuendus verus conceptus hominis individui, qui utpote persona humana liberari debet ab iniustitiis provenientibus sive ex capitalismo liberali sive ex communismo atheo, ita ut provideatur iustiori divitiarum distributioni.

F) Opus esset ut statuerentur iura fundamentalia opificum quae deducuntur ex doctrina sociali P. P. Leonis XIII, Pii XI et Pii XII.

7. *De vita christiana instauranda*

A) Maxima protectio offeratur familiae, tum confirmando doctrinam traditionalem circa eius naturam, iura et officia tum eam defendendo ab hodiernis hostibus intrinsecis et extrinsecis, qui eiusdem sanctitatem impetere conantur.

B) Stabiliatur et commendetur interventus patrumfamilias relate ad catholicam filiorum educationem in scholis elementaribus, mediis et superioribus, et dilucidentur relationes associationum catholicarum pro patribusfamilias erga publicas auctoritates in materia instructionis et educationis.

C) *Quoad vitam professionalem,* commendetur erectio sindicatuum confessionalium. Suadeantur viri catholici, tam directores (empresarios y técnicos) quam operarii, ut se gerant iuxta normas datas a Summis Pontificibus in re laboris.

D) *Quoad vitam politicam.* In memoriam revocentur normae iuxta quas se gerere debeant catholici, quoad eorum interventum in re politica, praesertim quoad electionem deputatorum, senatorum et similium; quoad suffragium emittendum in legibus ferendis, quoad affinitatem cum quibusdam factionibus politicis quae adversantur doctrinae catholicae et oboedientiae Ecclesiae debitae. Damnentur *catholici* sic dicti *progressistae* et *catholici liberales...*

E) *Quoad vitam religiosam et liturgicam.* Commendetur participatio

activa fidelium in functionibus liturgicis, praesertim in Missa. In fidelium liturgica institutione, magnum detur momentum cantui liturgico. Praeceptum detur ut conficiantur libri seu collectiones cantuum, pro maiori uniformitate etiam in actibus internationalibus.

Conficiatur catechismus unicus pro universa Ecclesia catholica.

F) Quoad vitam apostolicam seu apostolatus. Commendetur fidelibus apostolatus erga missiones inter infideles, praecipue per associationes saecularium qui in terris missionum sacerdotes adiuvant. Commendetur pariter apostolatus Actionis Catholicae, et constituantur lineamenta generalia pro tota Ecclesia, quae in singulis nationibus compleri possint. Commendetur denique apostolatus liturgicus, apostolatus erga operarios...

Quibus sic expositis, omnia bona a Deo Eminentiae Tuae Reverendissimae adprecans, qua par est reverentia sacram purpuram deosculor et maneo

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimus

✠ Felix Romero Menjibar
Episcopus Giennensis

25

Exc.mi P. D. ALOYSII ALMARCHA HERNÁNDEZ
Episcopi Legionensis (Leon)

Legione, 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

In responsione ad litteras Eminentiae Vestrae diei 18 iunii 1959, Prot. N. I C/59-737, pergratum mihi est quaedam tum disciplinae, tum doctrinae atque actuositatis capita signare, quae meo quidem iudicio in memoria habere possit futurum Oecumenicum Concilium.

Faxit Deus ut haec mea minima cooperatio futuri Oecumenici Concilii laboribus, reverenter ac libentissime praestita, aliquot utilitatis afferat.

Dum haec Eminentiae Vestrae communicare delector, pro futuri Concilii felici exitu, necnon pro salute et incolumitate amantissimi Papae Nostri Ioannes XXIII oro, et Eminentiae Vestrae cuncta prospera a Deo adprecor.

Eminentiae Vestrae addictissimus in Domino

✠ Aloysius Almarcha Hernández
Episcopus Legionensis

I. *Circa doctrinam*

1. *De doctrina theologica.*

A) Doctrina de Mystico Corpore Christi.

B) Definitio praecipuorum doctrinae capitum tum Encyclicae *Pascendi* et Decreti *Lamentabili,* cum Encyclicae *Humani generis.*

C) Doctrina de inspirationis et inerrantiae Sacrae Scripturae natura et extensione.

D) De natura historicitatis Sacrorum Librorum. De reductione in praesentem statum Decretorum Pontificiae Commissionis Biblicae.

E) Materia et forma Ordinum Sacramentalium.

F) Doctrina de fine matrimonii eiusdemque regulatione.

G) Doctrina de origine divina Episcopatus monarchici, eiusdemque potestatis extensione.

H) Vis seu virtus magisterii non infallibilis Ecclesiae in diversis structuris et manifestationibus. Magisterii Ecclesiae extensio.

2. *De doctrina sociali.*

A) Constitutiva capita doctrinae socialis Ecclesiae stabilire.

B) Definitio de doctrinis constitutivis rationalismi, racismi, liberalismi, marxismi et communismi.

C) Morales normae circa relationes internationales atque iuris internationalis fundamenta.

3. *De unione Ecclesiarum.*

A) Exaltatio illorum doctrinae capitum, quae, ob suam universalitatem, Christianarum Ecclesiarum coniunctioni opem ferre possint.

B) Correctio illius loquendi rationis seu humanorum elementorum quae Christianas Ecclesias inter se disiunctas efficere valeant.

II. *Circa ecclesiasticam disciplinam*

1. *De episcopali potestate.*

Nostro quidem iudicio consentaneum aestimamus validiorem facere Episcopalem auctoritatem in ordine ad efficaciam apostolatus: *a*) cum dioecesanis clericis iuxta promissionem in receptione presbyteratus; *b*) cum capitulis et paroeciis; *c*) cum clero regulari.

2. *De capitulorum ordinatione.*

Capitula regi debent per legislationem generalem atque dioecesanam. Dioecesana legislatio statuta decernat vitae et activitatis capitularium

iuxta momenti necessitates. Capitularis functio ad opera ministerii et apostolatus amplificari deberet. Chorale servitium ad mane tantum reduci posset. Docens et intellectualis functio dignitatum capitularium, in modum canonicatum officii restaurari etiam posset.

3. *De clericis.*

A) Normae ad initiationem neo-presbyterorum in pastorali ministerio, non ut Seminarii continuationem seu ut post-seminarium, sed uti novitiatus in pastorali vita, ut congruentior existimetur, et cum amplitudine ad normas practicas pro unaquaque dioecesi magis convenientes.

B) Normae praecisae, iuxta novorum temporum adiuncta, circa spectacula, rem publicam et clericorum magisterium in gymnasiis civilibus.

C) Fundamentum iuridicum ad statuta circa praevisionem socialem cleri sive per dioeceses, sive per archidioeceses, sive per nationes.

4. *De clericorum incardinatione et excardinatione.*

Istius legis acommodatio novis necessitatibus servitii Dioecesium sacerdotibus egentium vel iurisdictionis exemptione gaudentium (v. g. ut castrensium), ut caveantur devolutiones ad nutum: *a*) ob delictum; *b*) ob inutilitatem; *c*) ob senectutem, cum detrimento dioecesium originis, contra aequitatem.

5. *De Parochis.*

A) Remotio seu parochorum translatio cum iure proprietatis, iuxta processum hodiernum parochorum amovibilium.

B) Data difficultate adimplendi obligationem canonicam parochorum explicandi catechismum fidelibus adultis diebus dominicis aliisque festis de praecepto, illam per quadragesimalem vel per aliam periodicam institutionem, in decursu anni habendam, iuxta nostrorum temporum adiuncta, substituere.

6. *De Vicariis cooperatoribus.*

Revisio legislationis de Vicariis cooperatoribus ad meliorem regulationem iurium atque obligationum in officiis paroecialibus.

7. *De Curia dioecesana.*

Simplificatio partis burocraticae in negotiis Curiae atque paroeciarum instruendis, cum speciali attentione ad necessaria.

8. *De quarumdam dispositionum codificatione.*

A) Incorporatio canonicae legislationi ministri extraordinarii confirmationis, ceterarumque instructionum circa sacrarium, investigationes ad Ordines et ad praematrimoniales et matrimoniales processus.

B) Similiter codificatio legum liturgicarum earumque accomodatio postremis modificationibus libenter a populo christiano acceptis.

9. *De quarumdam legum revisione.*

A) Revisio conceptus « operum servilium » a quibus festis de praecepto abstinendum est et in eorum loco « opera professionalia et lucrativa » interdicere.

B) Habitis prae oculis mutationibus in ordinatione vitae socialis et in specie laboris et quietis, tempus habile ad audiendam Missam in festis de praecepto horis vespertinis diei sabbati anteire forse opportunum erit.

C) Revisio legislationis circa praeceptum paschale, cum maiori amplitudine temporis et adiunctorum.

D) Revisio circa Religiosorum exemptionem, permanendo Episcopo subiecti dummodo exemptio non demonstretur.

E) Revisio necnon simplificatio libri poenarum Codicis.

F) Amplior legislatio circa consuetudines et leges consuetudinarias.

10. *De quorumdam vitiorum correptione.*

Vitia et mundanas consuetudines quae occasione administrationis sacramentorum et divinorum officiorum celebrationis subortae sunt corrigere, v. g. fastositas in primis communionibus puerorum, in nuptiis; pericula assidui usus in confessione et communione frequente etc.

11. *De Seminariis.*

A) Specialis legislatio circa Seminaria minora et vocationaria.

B) Rectorum et Spiritus Moderatorum nuncupatio sit ad triennium renovabile.

III. *Circa actuositatem*

1. *De apostolatu laicorum.*

A) Fundamenta theologica (ex revelatione, traditione et magisterio) statuere, quibus vocatio fidelium ad apostolatum activum in Ecclesia innititur.

B) Naturam, obligatorietatem, extensionem et munera propria apostolatus laicorum, praesertim in relatione cum missione apostolica et functionibus sacrae hierarchiae determinare et illorum regulationem iuridicam stabilire.

C) Structuram iuridicam Actionis Catholicae et in specie eiusdem membrorum necnon consiliariorum munera canonice constituere.

D) Item structuram iuridicam ceterarum associationum apostola-

tus earumdemque relationes cum Actione Catholica praefinire, eo quidem praecipuo scopo ut et hierarchizationem et unitatem omnium institutionum apostolatus, in efficaciam apostolicam intendatur.

E) Considerare utrum officia clericorum minorum, et in specie diaconatus, independenter a sacerdotio, restituere oporteat, eorumque functionum iuridicam regulationem stabilire.

2. *De ordinatione apostolatus.*

A) Momentum familiae ut fundamentale organum Corporis Mystici in ordine ad communicationem, conservationem et propagationem vitae christianae quam maxime extollere, eiusdemque defensionem contra doctrinas et motus hodiernos, qui institutionem familiarem dissolvere conantur, procurare.

B) Ordinatio iuridica paroeciae ut vera communitas vitae christianae et ut centrum et organum primarium ad promovendum et ordinandum omnem apostolatum qui intra eius ambitum exerceatur.

C) Considerare utrum oporteat necne erigere paroecias personales eo quidem speciali munere ut peculiares necessitates professionum vel aliorum coetuum socialium efficacius curentur.

D) Ordinationem iuridicam apostolatus in ambitu dioecesano statuere, peculiares omnes institutiones ad hoc necessarias canonice erigendo. Maximi pretii esse iudicamus omnem apostolatum, qui in dioecesi exerceatur, in Episcopo radicare debere, ad quem et eiusdem ordinationem et omnium virium et associationum directionem spectare debet ut maximam efficaciam obtineatur.

E) Inter dioecesanas institutiones maximi momenti esse significare iuvat unam constituere quae necessitates culturales dioecesis eiusdemque cleri curet, eo praecipuo fine ut et auxilia et elementa ad institutionem et formationem apostolorum elargiatur. Similiter et aliam ad auxilia spiritualia clero praestanda.

F) Ordinatio iuridica apostolatus in ambitu nationali cum creatione sive coetuum sive specialium delegationum episcoporum ad cognitionem problematum nationalium et ad necessaria media ad eorum solutionem potestate gaudentium.

3. *Quaedam normae directivae.*

A) In memoriam revocari debet finem omnis apostolatus esse diffusionem in mundo Regni Dei et vitam gratiae fidelium et praxim virtutum christianarum curare.

B) Similiter notandum est hodiernis temporibus maximi momenti esse apostolatum testimonii sive exemplaritatis christianae, praecipue id

quod attinet conceptionem transcendentem vitae, praxim spiritus et virtutum evangelicarum, accuratam adimpletionem munerum socialium et professionalium et plenam conformitatem inter fidem et vitae rationem.

C) Etsi valor et momentum novarum methodorum et mediorum, quae ex progressu sive pedagogiae sive technicae oriuntur magni aestimari debent, tamen maxime insistendum esse putamus elementa supernaturalia (ut oratio, sacramenta, gratia, spiritus fidei) et sanctitas personalis apostolorum praecipuas partes habere.

D) Valor virtutum passivarum in ascetica christiana, et praecipue obedientiae, spiritus renuntiationis et sacrificii quam maxime exaltari et commendari debet.

4. *Negotia maioris momenti.*

A) *Apostolatus missionalis et unionis.*

1) Tam ex parte cleri quam ex parte fidelium ut negotium maximi momenti haberi debet apostolatus attractionis hominum qui ad Ecclesiam non pertinent, ad quod efformare iuvabit homines specialiter paratos ad laborem in singulis mediis socialibus, v. g. intellectualium, operariorum, professionum, iuvenum etc.

2) Incorporare ecclesiasticae legislationi normas directivas pontificias circa apostolatum missionalem et emigrationis (Exsul familia...).

3) Unionem Ecclesiarum separatarum cum Ecclesia Romana mediis aptioribus curare.

B) *Apostolatus socialis.*

1) Incorporare ecclesiasticae legislationi normas pontificias circa apostolatum socialem, praecipue illas quae ad determinationem functionis socialis Ecclesiae et catholicorum actitudinem erga structuras sive sociales sive politicas Status spectant.

2) Munera catholicorum circa emissionem suffragii in eligendis populi oratoribus et in determinando systemate gubernii accurate stabilire.

3) Normas directivas relate ad collaborationem politico-socialem catholicorum cum organismis, entitatibus, institutionibus vel partibus similiter determinare.

4) Necnon normas quae actitudinem catholicorum dirigant circa novissima problemata quae sive ex progressu technico sive ex exigentiis vitae et conviventiae socialis hodiernis praecipue temporibus oriuntur.

5) Doctrinam catholicam circa iura publicae opinionis, eiusdemque manifestationis in organis diffusionis determinare.

6) Incorporare ecclesiasticae legislationi in favorem tum cleri

cum Ecclesiae servorum illa beneficia socialia quae legislatio civilis civibus concedit et organa et institutiones ad hunc finem necessaria erigere.

C) *Apostolatus liturgicus.*

1) Extollere ut primum et fundamentale actum catholici cultus Sanctissimum Missae Sacrificium.

2) Praeeminentiam orationis liturgicae, ob eius characterem communitarium, praecipue in Sanctissimi Missae Sacrificii celebratione, sacramentorum administratione et cyclo liturgico, quo vitia quae in privatis devotionibus et in cultu erga Sanctos in populo christiano non raro observantur, corrigi possint.

3) Incorporare Liturgiae illos omnes profectus et positiva elementa hodierni motus liturgici circa activam participationem fidelium, pastoralem sacramentorum, linguam vernaculam etc., ex quo vita christiana incrementum accipere possit.

4) Motus novissimos circa Artem Sacram in ordinem redigere.

D) *Apostolatus praedicationis et educationis.*

1) Inter omnia media apostolatus maximi momenti haberi debet propagatio Evangelii per praedicationem Verbi Dei et catecheticam institutionem. In hoc maxime adlaborandum est ut adaptatio mentalitati hodiernae procuretur ut fructus obtineatur.

2) In liceis, collegiis, universitatibus et docentibus institutionibus ab Ecclesia structis et directis efformatio integralis hominis christiani in alumnis maxime curari debet, eo praecipuo fine ut influxum in societatem deinde exerceant, quo et professiones et status et structuras et laborem, uno verbo: omnem vitam omnesque terrestres realitates consecrentur.

✠ ALOYSIUS ALMARCHA HERNÁNDEZ
Episcopus Legionensis

26

Exc.mi P. D. AURELII DEL PINO GÓMEZ

Episcopi Illerdensis (Lerida)

Ilerdae, 17 augusti 1959

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Ad communicationem I C/59-743 respondendam Commissionis Pontificiae Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, incipiam proferens verba filialis et calidae felicitationis peramantissimo Pontifici Nostro Ioanni Papae XXIII propter eius augustum et consultissimum desiderium, a Domino Nostro in eius spiritum immissum, Concilium Oecumenicum celebrandi.

Nuntium huius elati propositi in universo christiano orbe necnon in nationibus haud christianis, causa fuit ineffabilis gaudii et amplissimae spei propter magni momenti finem a Concilio assequendum pro totius generis humani salute.

Domini Nostri Iesu Christi melliflua verba in ultima coena prolata « ut sint unum, sicut et nos unum sumus » (*Io.*, 17, 22) argumentum princeps Concilii esse debent, iuxta mentem Augusti Pontificis qui, divino coruscante lumine, cernit perfectam impletionem istius petitionis Divini Magistri secum ferre veram felicitatem nationum, familiarum populorumque in hac vita, et animas perducere ad aeternam beatitudinem.

Hoc transcendentali problemate premisso, Concilium adlaborare debet in mediis adaequatis ad illius felicem solutionem inveniendis per accuratam analysim et eximiam disquisitionem in his praestantissimis conventibus assuetas.

Meo humili iudicio, efficacior via ad praedictum intentum est praestans sacerdotum in sanctitate et scientia formatio ad imaginem Domini Nostri Iesu Christi. Perpendamus mirabilem laborem peractum ab Apostolis et Discipulis Summi Sacerdotis, qui pro ipsis in eorum vita et apostolatu exemplar et dux semper fuit. Unde infertur primam et fundamentalem quaestionem in Concilio pertractandam illam esse quae spectat ad Seminariorum regimen et vitam, prae oculis habendo ut plene dirigantur iuxta sapientissimas normas a Sancta Sede indesinenter prolatas.

Non sine magno dolore agnoscendum est circa Seminaria, his novissimis temporibus, exortas esse, amore rerum naturalium atque nimia aestimatione progressus necnon contaminatione errorum deviationumque

moralium aetatis nostrae, valde periculosas opiniones quibus alumni potenter aguntur, adeo ut avertantur a traditionalibus institutionibus propriisque normis Sanctae Ecclesiae.

Puto sat conveniens esse, immo et necessarium, Concilium hanc praestantissimam quaestionem tractare, omni spatio et studio adhibitis, illa remedia praebendo quibus, nullo semoto authentico progressu, vitae Seminariorum dispositio reguletur iuxta evangelicum et traditionalem spiritum constantissime a Pontificibus Romanis edoctum.

Litterae ad Episcopos a Sacra Congregatione Seminariorum et Studiorum Universitatum recenter missae, in hac re praestantissimum specimen praebent.

Maior progressus institutorum culturalium civilium, et laicorum praestantior institutio scientifica, postulat a Seminariis et Studiorum Universitatibus ecclesiasticis indeficientem laborem ut ornentur aptissimis professoribus atque ut alumni visibiliter emineant prae auditoribus institutorum societatis civilis. Insomnis quidem labor adhibendus est in praestigium et notitiam linguae latinae, quae ab omnibus sacerdotibus veneranda et diligenda est.

Aequalis momenti est perseverantia sacerdotum, postquam a Seminario sunt egressi, in sanctitate, in animarum zelo, in studii assiduitate. Paroeciarum, dioecesium et Ecclesiae vitalis formationi sacerdotum consona est, unde apparet necessitas perspiciendi media quae ad praestantiam sanctitatis et scientiae sacerdotum ducunt et eos in hac altitudine servant.

Forsan oporteret obligationem secessus menstrui urgere necnon exercitiis spiritualibus quotannis adesse; et, post aliquot annos ab incepto sacerdotio, recedere ad quemdam locum aptum ut, per annum, solitudini, orationi, ascesi et studio incumbant. Instauranda est etiam vitae communis ratio, omni praestita facilitate ad eam conservandam.

Clarissima disciplina a Summo Pontifice Ioanne XXIII nuper tradita in encyclica *Sacerdotii Nostri primordia* videtur perpendenda esse a Concilio; illa est enim totius vitae sacerdotalis specimen.

Censeo magni momenti esse unionem et caritatem fraternam inter sacerdotes cleri saecularis et regularis, tamquam visibile testimonium nostrae fraternitatis in Christo.

Multum conferret ad hanc fraternam concordiam, si uterque clerus laboraret in apostolatu sub praeclarissima disciplina *Codicis Iuris Canonici,* nullo modo neglecta doctrina quam Romani Pontifices nobis tradiderunt, speciatim Summi Pontifices Pius XI, Pius XII ac hodiernus Christi Vicarius, iuxta quam in re apostolica Religiosi parere debent Episcopis et, aliquando etiam, parochis.

Has normas prae oculis in apostolatu habentibus, omnibusque filialiter devotis Summo Pontifici, verba apta non sunt ad exprimendum spectaculum supernaturalis unitatis et divini amoris fidelibus oblatum, qui, hac visione valide commoti, traherentur efficaciter hoc exemplo et praedicatione ad virtutem et ad pacem a Summis Pontificibus maxime commendatam et ab universo orbe desideratam; quae pax tantum obtineri potest intra doctrinam et caritatem in cordibus omnium inductam forma sanctitatis et vi apostolatus sacerdotum, divina gratia adiuvante.

Hoc admirabile fraternitatis exemplum valde quidem moveret coetus christianos extra Ecclesiam Catholicam degentes, qui inspicientes huius splendentem unitatem ad ipsam traherentur et hoc intenderent omnibus modis licitis, etiam cum sacrificio.

Sine dubio, dilectissimus nobis Papa Ioannes XXIII paratus est pronum facere ingressum horum filiorum errantium et eos in viam salutis inducere, intra terminos magisterii infallibilis Ecclesiae. Quod ad ecclesias orientales attinet, forsan opportunum esset totis viribus incumbere concessioni distinctionum et privilegiorum Episcopatui, praesertim Patriarchis, salva semper suprema auctoritate Romani Pontificis cui omnes subiici debent.

Haec benevola et concors dispositio, exhibenda est etiam omnibus reliquis populis, iuxta praxim Summorum Pontificum quae habuit illum magnum successum ab omnibus recognitum.

Haud a paucis agnoscitur non omnes religiosas exornari illa congrua institutione ascetica et culturali quae est in desiderio et praescriptionibus Sanctae Ecclesiae et a fidelibus exigitur, qui semper adducti sunt in earum admirationem praecise propter excellentiam qualitatum in quibus nunc deficiunt. Non raro inveniuntur feminae simplices et absque studiis quae tamen, aliter ac antea, eminent super quasdam religiosas. Agnoscendum est, ex laudabilibus dispositionibus nuper decretis a Sacra Congregatione de Religiosis, conditionem religiosarum grato modo percrevisse.

Actio Catholica et, generatim, apostolatus laicorum optimam spem offert Ecclesiae, et oportet promovere omnia quae possunt eum roborare.

Summopere convenit parare electorum atque instructorum laicorum manipulos qui se evolvant sancta libertate et amplitudine, sub sincera oboedientia et alta reverentia dispositionibus et statutis paternalibus Summi Pontificis et Episcoporum.

Curandum est ut subveniatur quibusdam deviationibus quae inveniuntur in aliquibus coetibus apostolatus laicalis qui ab aliquo ordine vel congregatione religiosa diriguntur.

Pariter opus est Concilio ut intento animo abusus et scandala immoralitatis, quotidie percrebrescentia, corrigat. Multum iuvaret huic correctioni clare definire criteria in hac re prae oculis habenda et ea firmiter digneque applicanda non absque paterna benevolentia.

Plurimis videtur confirmationem et solemnem promulgationem damnationis communismi, materialismi omniumque errorum qui in execrabili modernismo pullulant multum iuvaturum esse ut catholici magis magisque horreant eorum communicationem et conniventiam.

Optimus apostolatus adversus supradictos errores indubitanter daretur per praxim diligentem doctrinae socialis Ecclesiae; hoc enim populos ad amplissimam felicitatem perduceret, ita ut illius contemplatione libenter afficerentur animi inimicorum Ecclesiae et aestimarent maiori diligentia sua execrabilia systemata, quae ad humanitatis eversionem et ruinam et exterminium tantum trahunt.

Permulta efficaciae esset in hac re accurate definire et urgere iura et officia patronorum et operariorum, et necessitatem istorum participationis in beneficiis operis quam maxime notare.

Exaggeratus spiritus rationalista, quo homines scientifici imbuti sunt et qui ex ipsis magis in dies ad populos fluit, perniciosissimum influxum exercet in reverentiam, considerationem, oboedientiam debitas Magisterio Ecclesiae. Quilibet homunculus sibi arrogat auctoritatem petulanter iudicandi in difficillimis quaestionibus theologicis, quin perpendat suam reprobandam rationem fontem esse ingentium ambiguitatum, levitatum, confusionum et gravissimorum errorum, quibus purissima sacrosancta doctrina Ecclesiae obnubilatur.

Beneficiosissimum esset ut Concilium huic rei operam daret atque studeret media idonea ad clare ostendendam humanae rationis imbecillitatem et incredibiles aberrationes ad quas in decursu saeculorum homines adduxit; ipsis contraponendo fulgores et exitus Magisterii ecclesiastici quod divina luce illuminat quaestiones fundamentales quae semper reclamarunt et reclamabunt humanae mentis summam attentionem.

Inter conatus innovationum hodiernis temporibus praestantiores in Ecclesia, eminet conatus innovationis liturgicae. Necesse est nobis agnoscere magna beneficia quae derivent de hac praxi quae tantum confert ut fideles videant magna cum claritate intima sacrificii missae, sanctorum sacramentorum, aliorumque caerimoniarum. Attamen prae oculis habendum est gravissima pericula illabi incipere in hac orientatione, quae interdum omnia reducere intendit ad caerimonias externas et superficiales cum detrimento aliorum exercitiorum quae sunt fons verae ascesis et mysticae; tales sunt meditatio, perscrutatio conscientiae, lectio spiritualis, Dei praesentia, praedicatio, confessio peccatorum et exercitium

virtutum, quas vocant passivas, scilicet humilitatis, mortificationis, spiritus sacrificii, etc., quae nervus semper fuerunt verae asceticae et verae mysticae.

Peropportunum esset modificare, si quid inveniatur in liturgicis libris quod forsan hodie nullam habeant applicationem.

Inter pericula quae antea innuimus opus est notare modicam aestimationem linguae latinae, cuius studiosa conservatio fuit semper et erit in Ecclesia fons praestantium beneficiorum.

Illabitur in quibusdam nationibus, ex testimoniis inde allatis, nimia proclivitas ad deponendum habitum talarem, qui tantum dignitatis affert ministris Domini ante fideles christianos et qui a tantis periculis illos liberat. Forsan conveniens esset ut Concilium curam haberet de hac re.

Summae consolationis mihi esset Concilium adire et praesto sum favore divino illud exsequi.

Ferventer precans Dominum Nostrum Deum ut uberrimis gratiis assistat Vestrae Eminentiae Reverendissimae et omni Pontificae Congregationi Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico ut opus fecundissimum impleant, iterum me Vobis offero devotissimum et humilem servum in Christo

✠ AURELIUS DEL PINO GÓMEZ
Episcopus Illerdensis

27

EXC.MI P. D. RAPHAELIS BALANZÁ Y NAVARRO
Episcopi Lucensis in Hispania (Lugo)

Luci-Augusti, in Hispania, 25 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Consequenter ad vestras venerabiles litteras, sub num. 1 C/59-780 bis receptas, pergratum mihi est Eminentiae Vestrae Rev.mae remittere folium adnexum in quo continentur varias suggestiones circa res quae mihi videntur posse, inter alias, esse obiectum tractationis in futuro Concilio Oecumenico.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Vestram prosequor meque profiteor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimum

✠ RAPHAEL BALANZÁ Y NAVARRO
Episcopus Lucensis in Hispania

A) *Relate ad Fidem*

1. Definire doctrinam quae tenet Beatissimam Virginem esse omnium gratiarum Mediatricem ut divinitus revelatam.

2. Formulam Iurisiurandi contra Modernismum (e Motu Proprio *Sacrorum Antistitum,* diei 1 septembris 1910) in breviorem formam reducere et ad damnationem errorum novissimorum enucleatius adaptare.

3. Damnare quam vocant artificialem foecundationem in humanis.

B) *Relate ad leges Ecclesiae*

a) Circa normas generales:

4. Clarius stabilire doctrinam circa errorem communem.

b) Circa personas:

— Clericos:

5. Fovere, omnibus modis, spiritum clericalem inter Sacerdotes, praescribere praxim annuam spiritualium exercitiorum, et vitam communem in quantum fieri possit.

— Religiosos:

6. Urgere usum vestium clericalium Sacerdotum saecularium et prohibere religiosis usum talis vestis (praecipue talaris) nisi in casu quo, de consensu sui Praelati Regularis, habeant licentiam in scriptis Ordinarii loci in quo deferant talem vestem.

— Laicos:

7. Recolere, in novo Codice, leges circa Instituta Saecularia, Actionem Catholicam, opera apostolatus, et redigere ad novam formam leges circa fidelium associationes.

c) Circa Sacramentum Matrimonii:

8. Ordinariis locorum facultatem dare ad dispensandum de impedimentis gradus minoris in matrimoniis contrahendis.

9. Supprimere, in impedimento criminis, figuram quae continetur in § 1, can. 1075, scilicet: « Qui, perdurante legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt et fidem sibi mutuo dederunt de matrimonio ineundo ».

d) Circa Seminaria:

10. Curare, omnibus modis, selectionem et formationem adspirantium ad Sacerdotium.

e) Circa poenas:

11. Reducere numerum censurarum latae sententiae.

C) *Relate ad Liturgiam*

12. Aliquas formulas librorum liturgicorum ad breviorem formam reducere.

13. Permittere ampliorem usum liturgicum linguae vernaculae.

✠ RAPHAËL BALANZÁ Y NAVARRO
Episcopus Lucensis in Hispania

28

EXC.MI P. D. LEOPOLDI EIJO Y GARAY
Episcopi Matritensis, Patriarchae Indiarum Occidentalium
(Madrid)

Matriti, 19 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Rescribo litteris ab Eminentia Vestra datis die 18 iunii (Prot. n. 1 C/59) quas reverenter accepi.

Sanctissimo Domino nostro Papae Ioanni XXIII grates toto pectore solvo quod dignata sit Sanctitas Sua et Concilium desideratissimum parare et me benigne consulere de rebus in eo agendis.

Humiliter oboediens, postquam gratiam Dei ad scite agendum efflagitavi, mentem meam aperui prout in adnexis foliis videre est.

Nescio an utilis sit exigua cooperatio mea; hoc certe scio: Sanctum Spiritum illuminare ac dirigere Romanum Pontificem, cui oboediendo deservio tuto Ecclesiae; ipso Rectore, navis Petri, in altum ducta, omnibus hominibus ac praesertim fratribus dissidentibus, unicum salutis remedium patebit esse.

Impensos animi sensus profiteor ex corde Eminentiae Vestrae cui sacram purpuram deosculor et fausta omnia a Domino precor

Eminentiae Vestrae Rev.mae
humillimus in Christo servus

✠ LEOPOLDUS EIJO Y GARAY
Patriarcha Ind. Occid. Episcopus Matritensis

De quibusdam doctrinae capitibus

I

Sive proxime futurum Concilium sit continuatio suspensi Concilii Vaticani (a. 1869-1870), sive novum Concilium Vaticanum, vel Lateranense VI vel quo modo Sanctissimo Domino nostro Papae Ioanni XXIII placuerit nominandum, videtur necessitates temporum exigere complere considerationem dogmaticam *de Ecclesia,* tum *in ordine ad se tum in ordine ad alia* et praesertim *ad societatem civilem.*

I. *In ordine ad se*: suppositis quae de Romano Pontifice docuit ac definivit Concilium Vaticanum adhuc agendum esset:

a) Ecclesiae potestatem ac iura definire, quae ipsi ab eius divino Fundatore collata fuerunt uti societati iuridice perfectae spectatis potissimum ac rejectis erroribus nunc grassantibus.

b) De formula qua exprimitur obiectum magisterii, nempe « in rebus fidei et morum », quatenus respondet verbis Divini Fundatoris « quaecumque mandavi vobis » (*Mt.,* 28, 19-20) et « Paraclitus ... vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis » (*Io.,* 14, 26), et ea quae cum illis vel componi possunt vel non.

c) De episcopatu monarchico collegialiter sumpto relate ad ea quae respiciunt Ecclesiam universam (magisterium et regimen) sive vivente Papa sive Papa mortuo; et de unoquoque episcopo in sua adsignata dioecesi, praesertim ne parvipendatur ab exemptis, et de assensu a dioecesanis praestando magisterio et ordinationibus episcopi proprii.

d) De sacerdotibus secundi ordinis, quos dicunt, an et quo sensu et ambitu vi ipsius sacramenti non tantum potestatem ordinis habeant sed etiam aliarum potestatum ecclesiasticarum praesertim magisterii vere participes sint.

e) De diaconatu forsitan instaurando ita ut in posterum non sit merus gradus ad sacerdotium, sed verus status termini sive cum sive absque coelibatu.

f) De laicis non tantum quatenus membra sunt Ecclesiae sed relate ad sacerdotium, ad sacrificium eucharisticum cui adsistant, ad magisterium et regimen in Ecclesia; non exigui momenti sunt disputationes exortae sub nomine « Laicologiae » vel « Theologiae Laicorum » speciatim quoad eorum relationem ad Sacras Potestates; Pius XII, sanctae memoriae, coactus fuit ad impugnandas falsas opiniones hac de re. Perutilis esset declaratio dogmatica.

g) De identitate numerica mystici corporis Christi et Ecclesiae Romanae una cum coeteris ecclesiis communionem cum ipsa habentibus.

II. *In ordine ad alia,* nempe:

a) Ad ecclesias separatas et se dicentes Christi Ecclesias, sive seiunctim sumptas sive quodammodo unitas in motione vocata oecumenica. Maxime opportunam ducerem declarationem authenticam illius principii « Extra Ecclesiam nulla salus », necnon solemnem conciliarem damnationem indifferentismi religiosi. Similiter existimo fore perutile si Concilium puram tutamque traderet doctrinam circa catholicam tollerantiam religiosam, quae toto coelo differt a doctrina tollerantiae a liberalismo et indifferentismo data; tum enim ex doctrina S. Thomae tum ex scriptis Leonis XIII, Pii XI ac Pii XII patet veritatem catholicam, eo quod obiectiva, aeterna ac divina, nequit admittere tollerantiam dogmaticam, sed quia ipsa catholica veritas nemini coacte imponi debet sed requirit in subiecto liberam acceptationem, exigit tollerantiam; nec damnat Ecclesia publicarum rerum moderatores, qui, magni alicuius adipiscendi boni aut prohibendi causa mali, tollerant promiscuam religionum libertatem. Cavendum tamen immoderatum irenismum.

b) Ad alias religiones non christianas.

c) Ad relationes Ecclesiam inter et Statum. Utrum tollerari possit Status irreligiosus, vel saltem omnino areligiosus. Reiicere opiniones dicentium doctrinam Leonis XIII circa Ecclesiam et Statum fuisse veram occasione data tunc temporis; non amplius hodie tenendam esse. Similiter eademque de causa spernunt Syllabum Pii IX aliqui catholici, immo nonnulli Regulares cum scandalo populi fidelis. Asserendum est doctrinas illas semper veras esse; si tamen aliquo in casu servandae non essent non proprio fidelium marte standum erit sed tantum iudicio Ecclesiae.

II

Oportet doctrinam catholicam definire statuisse Deum non modo vitam naturalem sed etiam vitam supernaturalem, et destinando humanos ad supernaturalem aeternamque beatitudinem et divina gratia eos fulciendo. Expediret iterare definitiones Conciliorum Carthaginensis XVI et Arausicani II contra naturalismum hodie grassantem, qui revera est pelagianismus et semipelagianismus redivivus.

Pariter definitiones ibidem et in Concilio Tridentino de peccato originali eiusque traductione ab uno Adam in posteros per generationem, contra errores polygenismi.

Item definitiones Concilii Tridentini de transsubstantiatione, contra errores Theologiae « Novae ».

Similiter definitionem Concilii Vaticani de cognoscibilitate Dei ex creaturis per vires rationis naturalis, contra hodiernum agnosticismum.

Et definitiones Concilii Vaticani de fide qua verus assensus intellectus, contra modernum errorem vitalismi et irrationalismi fidei religiosae.

III

Non minus conveniens esset solemniter definire plura quae Summi Pontifices sive elapso sive decurrente saeculo docuerunt, specialiter contra laicismum, communismum atheum et socialismum aliosque errores a modernistis et a « novis » theologis excitatos. Neque hoc minueret auctoritatem Romanorum Pontificum qui eos damnaverunt, sed solemnitate fulciret, prout revera fecit Concilium Vaticanum contra errores rationalismi et semirationalismi, iam pridem damnatos a Pio IX.

Hos inter expediret iterare antiquas definitiones circa veram naturam hominis ex anima rationali et humana carne coalescentis; qua de re parata erat in Concilio Vaticano damnatio doctrinae Günther eiusque asseclarum Balzer et Knoudt, quos tamen exsuperant nonnulli moderni, magna cum obstinatione denegantes hominem esse animal rationale ex anima intellectuali et humana carne compositum, sed edocentes hominem esse purum petumque animal, licet abnormale vel phantasticum.

Insuper per germanam veritatis notionem tueri qua adaequationem rei et intellectus, eiusque immutabilitatem, contra errores neomodernistas, vitalistas, relativistas atque existentialistas.

Oporteret etiam, quo propagationis via praecludatur, normas saltem doctrinales dare:

a) contra Moralem quam « situationis » appellant, nam plures etiam ex catholicis videntur legem moralem obiectivam praeterire (etsi verbis astruant) et mero subiectivismo morali nimium indulgere, ita ut in praxi magna morum laxitas inde sequatur.

b) contra errores qui iura individualia et inalienabilia vel negantes vel nihili habentes, « statismum » sive « totalitarismum » omnimodum absolutumque, profiteantur non modo quoad libertatem sed etiam quoad vitam integritatemque corporis.

c) contra praxes eugeneticas, ut aiunt, quae conculcant sanctitatem matrimonii, sive per abortum sive per alia media contra bonum prolis.

Circa disciplinam cleri populique christiani

Omittam optima plura in usu iam, quaeque, firmarentur si Concilium ea denuo commendaret, ut clerus, spiritu ardens, mansuetus, humilis, oboediens, carni mortificatus, vitam supernaturalem fideles edoceret tum exemplo tum assidua praedicatione.

Valde expediret lectionem communiter dare in Seminariis Litt. Encycl. *Haerent animo* Sancti Pii X, *Ad catholici sacerdotii* Pii XI et *Menti nostrae* Pii XII.

Sacerdotum est divina praecepta populum edocere et prae omnibus Dei et proximi caritatem.

Fovenda est pietas liturgica populi.

Quoad *Codicis Iuris Canonici* reformationem:

a) Perquam utile esset reformare can. 608 ita ut, sicuti in can. 1334 pro instructione catechetica, Superiores Religiosorum, rogante Episcopo, *tenerentur* unum vel duos religiosos permittere paroecias adire ad fidelium confessiones audiendas et conscientias dirigendas.

b) Oporteret reformare can. 1429 § 2 et can. 1505 ut Episcopus audito Capitulo facultate potiatur imponendi modicum tributum super parochorum ingressus obventitios, habitos nempe ratione taxarum de quibus agitur in cann. 1234 et 1507, quando valde copiosi sint, in favorem sacerdotum quorum ingressus adeo exigui sint ut misere vivant.

c) Optanda est suppressio servitii quotidiani choralis in Cathedralibus et Collegiatis, populus enim diebus laboris, omnino abest; canonici et coeteri beneficiati utiliores essent diversis ministeriis ab Episcopo adsignatis; e contra, diebus festis servitium chorale, nemine dispensato, solemnitate augeretur et foveri posset fidelis populi adsistentia etiam activa.

d) In casu supplendae iurisdictionis de qua in can. 209, opus esset declarare quo pacto praescriptum applicatur facultati assistendi matrimonio, cum in tali facultate non agatur de vera iurisdictione. Responsum P. C. anxietates non paucas iudicibus attulit, cum definire tenerentur valorem vel nullitatem matrimonii ex invocato defectu formae. Desiderandum est ut praescriptum can. 209 facultati assistendi matrimonio non applicetur.

e) Oporteret causarum nullitatis matrimoniorum introductionem restringere ac coarctare, potissimum quae ex capitibus metus reverentialis agitantur. Huius generis capita non raro artificiose conficiuntur, pluribus annis a matrimonii celebratione transactis. Forsan, quoad nullitatem ex capite metus, ad ius Decretalium quadamtenus regredi conveniret, eaque matrimonia praesumptione iuris et de iure censere convalidata, intra quoddam temporis spatium (trium v. gr. annorum a celebratione) si coniuges cohabitaverint matrimoniumque nullitatis legitime non accusaverint.

Exoptandum quoque ut Breviarii Officiique divini reformatio a sanctae memoriae Papa Pio XII incepta prosequatur donec conditionibus temporis ac vitae operosae hodiernae sit accommodata.

Desideratur etiam codificatio Liturgica; nimis enim dispersae sunt leges et normae datae ab Ecclesia, nec prae manibus possunt haberi nisi in tractatibus exaratis a peritis, ubi vox Supremae Auctoritatis saepe saepius miscetur opinionibus auctorum, probatorum quidem sed privatorum.

Foveretur absque dubio pietas sacerdotalis si Sancta Romana Sedes precibus Episcoporum, Canonicorum et Cleri Hispaniae annuens, dignaretur instituere *Festum liturgicum Christi summi et aeterni sacerdotis.*

Potenter suscitaret ferventem devotionem universi populi fidelis erga Beatissimam Dei Genitricem et per ipsam erga Dominum Nostrum Iesum Christum definitio dogmatica vel saltem declaratio doctrinalis a Concilio data de *Virgine Maria Mediatrice omnium gratiarum,* quatenus « de permagno omnis gratiae thesauro nihil nobis, nisi per Mariam, Deo sic volente, impertiatur; ut quo modo ad Summum Patrem nisi per Filium nemo potest accedere, ita fere nisi per matrem accedere nemo possit ad Christum » (Leo XIII), « ipsa est de qua natus est Iesus, vera scilicet eius mater, ob eamque causam digna et peraccepta ad Mediatorem mediatrix » (Leo XIII); « quoniam universis sanctitate praestat coniunctioneque cum Christo, atque a Christo ascita in humanae salutis opus, est princeps largiendarum gratiarum ministra » (S. Pius X).

Circa actuositatem qua Ecclesia tenetur

Diebus nostris, febricosa actuositate correptis, animus et securitas ipsaque libertas subruuntur, multiplicantur errores et vertiginose extenduntur; de quaque secta religiosa putri fervent novae sectae; ignorantia veritatum fidei christianae, naturalismus atque materialismus ubique ambientes, demum prava corruptorum morum exempla spectaculis publicis latissime illata, erroribus et pravitatibus amplas sternunt vias.

Si servi Domini dormirent totum agrum operiret zizania.

Actuose ergo ubique die ac nocte nobis evigilandum est. Non modo Summus Pastor sed Pastores omnes. Immo et fideles laici actuosi sint oportet. Ideo Concilium Vaticanum omnes Christi fideles per viscera Iesu Christi precatur necnon Dei et Salvatoris nostri auctoritate iubet ut ad errores a Sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant.

Haec Concilii verba rememorans Leo XIII in Encycl. *Sapientiae Christianae* privatos etiam fideles hortabatur: « serere fidem catholicam auctoritate exempli, professionisque constantia praedicare, quisque se posse ac debere meminerit ».

Indeque Summi Pontifices successores omnes instantius instantissime de apostolatu laicorum agunt.

Certe futurum Concilium hoc etiam hortatu resonabit, et modos tradere non deseret christianae actuositatis quos Leo XIII in epist. *Testem benevolentiae* 22 ianuarii 1899 edocuit sapienter.

NEGOTIUM MAXIMI MOMENTI

Res maxima in desiderato Concilio erit quod Sanctissimo Patri Papae Ioanni XXIII visum in Domino fuerit agere ut omnes dissidentes ad unitatem Ecclesiae Christi veniant.

Cum vero nemo possit venire ad Iesum nisi Pater traxerit illum, preces praescribendae essent adeo solemni occasione ut dissidentes omnes sint « docibiles Dei ».

✠ LEOPOLDUS EIJO Y GARAY
Patriarcha Ind. Occid. Episcopus Matritensis

29

EXC.MI P. D. ANGELI HERRERA Y ORIA
Episcopi Malacitani (Malaga)

Malacae, dei 28 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litteras, quibus Eminentia Tua Reverendissima meam dignatus est quaerere sententiam circa argumenta proximi futuri Concilii Oecumenici, libentissime accepi.

Liceat mihi imprimis gratos animi sensus ex corde patefacere.

A primordiis nuntii tanti eventus gaudio exultaverunt mecum et fideles et sacerdotes huius dioeceseos.

Cotidie preces Deo fundimus pro felici successu Concilii.

Sincero et devotissimo studio incubui considerationi rerum quae, pro meo captu, cum fructu in eo tractarentur; quae sequuntur audeo proponere:

I. *De Apostolatu Sociali*

Hoc unum imprimis prae oculis habendum existimo, Ecclesiam nempe Catholicam in praesenti non tantum contra errorem contendere teneri, sed, quod gravius, adversus formidabiles organicas structuras

technicas, quae totae quantae errorem diffundere, immo vero ipsam Ecclesiam oppugnare conantur; en Communismus internationalis, aptissime dispositus. Inde facile concluditur necessitas disponendi organa item internationalia Ecclesiae ut haec feliciter possit et hostium aggressiones repellere et veritatem efficaciter propagare.

Ideo:

1. Laicorum apostolatum, hodiernis temporibus latissime sub Romanorum Pontificum ductu auctum, expedit arcta compagine universali in unitatem redigere ita ut omnes ordinatim ad finem praeintentum feliciter obtinendum conspirent.

2. Laicorum apostolatus duplex praecipue venit considerandus: Actio Catholica et Actio Socialis.

3. Praelaudati apostolatus ita inter se connectuntur ut S. Pius X praecipuum Actioni Catholicae finem adscripserit catholicorum circa obligationes sociales conscientias rite instituere.

4. Verumtamen Actio Socialis, ob ipsius connexionem cum ordine sive technico, sive oeconomico, sive civili, peculiarem exigit institutionem itemque organa propria et propagationis et divulgationis.

(Hispaniae Episcopalis Commissio Doctrinae et Ordinationis Socialis, ab organis hierarchicis Actionis Catholicae prorsus independens extat).

5. Hodiernus Apostolatus Socialis, prout in Encyclicis Litteris *Quadragesimo anno* describitur, efflagitat portiunculam membrorum rite institutorum; praesertim, eodem aureo documento Pontificio asserente, sacerdotum.

6. Talia membra selecta adaequate instrui non possunt nisi in Superioribus Facultatibus vel Institutis Doctrinae Socialis, in quibus alumni titulo universitario decorari valeant.

7. His in Facultatibus alumni rite instituendi sunt:

a) In Doctrina Sociali.

b) In Legum cognitione.

c) In notitia sive factorum in praesenti sive eorum quae proxime futura praevidentur ex classium proclivitate.

d) In arte divulgationis et propagationis.

8. Adaequata institutio in arte divulgationis et propagationis necessario secum fert:

a) Cognitionem principiorum technicorum divulgationis, v. gr. gentium psychologiae, conscientiae publicae penetrationis, etc.

b) Strenuum et facilem usum recentiorum instrumentorum divulgationis idearum (v. gr. publicationum periodicarum, radiodiffusionis, cinematographi, televisionis).

c) Scientiam comprobationis technicae fructuum consecutorum, v. gr., doxologiae, statisticae, etc.

9. Commentaria cotidiana, ob eorum momentum, implicatam coagmentationem et maximum influxum, seorsim considerata ita aestimanda sunt ut exigant pro apta scriptorum earum institutione scholas speciales.

10. Tales scholae creari possunt vel ex integro dicatae institutioni scriptorum ephemeridum vel tanquam speciales sectiones amplioris Instituti Socialis.

(Munus scriptorum ephemeridum amplius in dies venit consideratum velut institutio ab Auctoritate Statali regulanda. Sic pro praesenti Hispaniae, olim vero Italiae, Germaniae, apud Turcos, Aegypti, Iaponiae, etc., quin nationes recenseamus quae Communismo Sovietico inficiantur.

Commissio Episcopalis Preli apud nos normas et lineamenta paravit Scholae Ecclesiae pro scriptoribus ephemeridum. Auctoritas quidem Nationis iam ab initio promisit validos admissura titulos ab Ecclesiae Schola concessos. Duae inde commissiones creatae sunt, alia ab Ecclesia ab Auctoritate Civili alia, ad hoc ut simul formulam pro praxi maxime accommodatam elaborare contendant).

11. Eorum quae praecedunt habita ratione, qua par est reverentia, liceat mihi suggerere quanta utilitate crearetur quaedam Sacra Congregatio de Apostolatu Laicorum (vel Actione Catholica) et Actione Sociali.

12. Cui S. Congregationi, praeter alios, fines qui sequuntur assignari possent:

a) Systematica ordinatione colligere Romanorum Pontificum amplissimam in utraque materia doctrinam.

b) De consensu cum aliis SS. Congregationibus, quibus forte res etiam competat, definire principia Moralis Socialis quae in Pontificiis Documentis continentur quaeque ab omnibus omnino catholicis velut supremae exceptionis in materia considerari debent.

c) Dubia pro praxi solvere in interpretatione S. Sedis documentorum; inde vera iurisprudentia constitueretur quae ipsam a RR. Pontificibus propositam doctrinam compleret.

d) Quaesitis adamussim respondere.

e) Fovere, una cum S. Congregatione de Seminariis et Universitatibus, creationem Institutorum quarumdam specialitatum, v. gr. Sociologiae, Scriptorum Ephemeridum, etc.

f) Dirigere et in unum ordinem redigere apostolatum laicorum omnium nationum, fortasse etiam ipsos rectores institutionum supranationalium designando; v. gr., si sermo sit de Institutionibus Catholicis

internationalibus, de Conventuum, sive indictione, sive ordinatione, Apostolatus laicorum, Scriptorum catholicorum, etc.

g) Tueri ampliores institutiones propagationis et divulgationis maxime quae et limites et opes unius nationis transgrediuntur, velut amplissimae institutiones divulgationis (Agencias de Prensa), cinematographicae, televisionis, etc.

II. *De Capitulis Cathedralibus*

Capitula Cathedralia aliter ordinanda fore existimo.

a) Fortasse omnia Capitula iisdem Statutis regi deberent: Hispaniae, enim, ut exemplum dicam, in quibusdam Statutis aliqua digna risu inveniuntur, alia vero quae scandalum praebent: in aliquibus namque Cathedralibus beneficiarii biduo in hebdomada vacant a choro pro barbae rasura, dum vacationes annuae 104 vel 144 dies numerantur.

b) Cultus choralis forsan solummodo festis principalioribus relinquendus, cum illius finis sit actionem liturgicam magna solemnitate celebrare, itemque laboris ordinatio temporum hodiernorum id postulet.

III. *De Ministerio Pastorali*

1. Vespertina Missae celebratio, cuius optimi fructus brevi usu comprobata manent, facilior adhuc, ut mea fert opinio, reddenda; itemque existimo facultatem Episcopis tribuendam fore ut bis Sacrum litare sacerdotibus concedere possint diebus ferialibus, praecipue iis qui curam habent plurium paroeciarum vel ecclesiarum in quibus Ss.mum Sacramentum ordinario asservatur.

2. Facilior reddenda aequa distributio clericorum inter dioeceses universae Ecclesiae; ideo desideratur institutio nationalis, vel supra nationalis, quae saltem morali influxu Episcopos magna copia cleri gaudentes compellere queat ut sacerdotes velint mittere ad dioeceses lugenda cleri inopia laborantes. Huius institutionis sive sententiae sive consilia valorem non haberent nisi singillatim praeviam approbationem S. Sedis obtinerent.

3. Retributio oeconomica pro labore impenso in variis sacerdotum ministeriis, relative considerata, frequenter nullo modo aequa apparet. Non raro disparitas distributionis in clero paroeciali scandalum praebet. Res ita ordinanda optatur ut clerici, maxime qui labori paroeciali incumbunt, maiori aequitate retribuantur.

IV. *De Relationibus Religiosos inter et Hierarchiam Ecclesiasticam*

Exemptio Religiosorum et Religiosarum, praecipue si magisterio vel ministerio vacent, ita moderanda et ordinanda ut reapse efficaciter, ducibus Episcopis, in evangelizationem dioeceseos cooperari contendant.

Videtur enim distare ab ordinatione hierarchica Ecclesiae familias Religiosorum vitam degere a iurisdictione Episcoporum prorsus alienam; immo vero ipsi Religiosi ordinario institutiones pro apostolatu et ministerio pastorali, tam in singulis dioecesibus, quam in universa natione, constituunt independenter a Hierarchia Episcopali, cui reapse tale munus competit.

Inde oritur altera hierarchia, ab episcopali distincta, et ansa praebetur modo cuidam omnino singulari propagationis et vitae pastoralis, non raro cum aliorum contemptu, at frequentissime Sacrae Hierarchiae non rite summisso.

V. *De Seminariis*

In tanto argumento, de Seminariis nempe, quaedam proponere audeo eximia illustratus doctrina unius Benedicti XV, asserentis in Litteris Encyclicis *Humani generis redemptionem* (15 iunii 1917): « Si circumspiciamus quam multi sint qui verbo Dei praedicando dant operam, tanta occurret copia, quanta fortasse numquam fuit antea. Si autem consideremus, quo loco sint publice ac privatim mores atque instituta populorum, crescit in dies vulgo rerum quae supra naturam sunt, despicientia et oblivio... Horum quidem malorum variae sunt multiplicesque causae: nemo tamen negaverit deplorandum esse quod eis malis a ministris verbi non satis afferatur medicinae. Numquid sermo Dei talis esse desiit, qualis ab Apostolico dicebatur, vivus et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti? Num gladii huius aciem usus diuturnitas habetavit? Vitio certe tribuendum est ministrorum qui non tractant, quemadmodum oportet, hunc gladium, si is non omnibus locis vim suam exerceat ».

Inde ratio studiorum in Seminario ita ordinanda ut id unum imprimis prae oculis habeatur, alumnos nempe pro ministerio pastorali rite instituere.

Una tantum linguarum classicarum, latina scilicet, obligatoria sit. Nec ab alumnis exigere fas est plenam cognitionem difficiliorum auctorum huius linguae, v. gr. poëtarum, ita ut teneantur eorum opera vertere in patrium sermonem. Sufficit futuro sacerdoti si facile capiat documenta liturgica, ecclesiastica, patristica et theologica latino sermone exarata.

Nec item necessarium apparet omnes sacerdotes teneri latine loqui. Sufficit si alumni theologi explicationem latinam magistrorum capere valeant.

Humanitates classicae in Universitatibus Ecclesiasticis vel Institutis specialibus serio et accurate colantur; scilicet, ita alumni instituantur ut non tantum idiomata, sive latinum sive graecum, discant, verum etiam praecipuos utriusque litteraturae auctores calleant, et saltem unum vel alterum scriptorum primae notae studiose et alte penetrent plena ipsius cognitione.

1. *De studio linguarum et auctorum in usu.*

Levitae classicos auctores patrios cognoscere tenentur, quorum studio cursu humanistico et philosophico incumbere debent. Cursu vero theologico auctores patrios contemporaneas primae notae, dummodo noxia careant, cognoscant.

Studiosissime colenda linguae vernaculae stilistica cognitio, etenim transmissionis evangelici nuntii instrumentum necessarium erit.

Laudabiliter alumni Seminariorum assequerentur saltem unum idioma ex his quae in usu sunt quaeque magna gaudeant diffusione.

2. *De Homiletica.*

Munus praecipuum institutionis leviticae hoc unum erit alumnos diligentissime instruere ut optimi verbi Dei praecones evadant.

Continuo proinde toto curriculo studiorum inde a cursu Humanistico magistri prae oculis indesinenter teneant alumnos, sive directe sive indirecte, instituendos Evangelii praedicatores.

In Seminario Minori velut pensum memoriae amandentur textus Evangelii et Epistolae omnium anni liturgici dominicarum.

Alumni, quantum possint, memoriter retineant Novum Testamentum, praecipue Evangelia et S. Paulum; itemque ex Veteri Testamento saltem aliquos Psalmos et capita Librorum Sapientialium convenienter latine ad litteram retineant.

Iam inde a cursu philosophico levitae, ciclica methodo utentes, magnam copiam documentorum seligere satagant pro paranda praedicatione uniuscuiusque Evangelii dominicarum.

Tandem, cursu theologico, saltem bis in hebdomada schola disciplinae Homileticae habeatur in qua alumni praxi exerceantur, sive primo disponendo schematice argumentum cuiusque Homiliae, sive deinde ex integro litteris redigendo.

Semel vero sacerdotes creati, vel saltem diaconi, per integrum annum scholarem vacent praxi Homileticae sub ductu specialis magistri. (Abhinc quatuor annis, maximo cum fructu, sic usu venit in Seminario Malacitano).

Praelaudati sacerdotes vel diaconi in convictu vitam communem age-

re debent, eorumque munus praecipuum erit cuiusque hebdomadae decursu coniunctim in schola parare homiliam evangelicam sequentis dominicae, quam quidem eadem dominica die tempore Missae, semel vel pluries in ecclesiis civitatis praedicabunt.

3. *De Philosophia.*

Convenienter solummodo quaestiones fundamentales exponerentur, quae necessariae pro futuro studio Theologiae, Iuris et Sociologiae, erunt.

Philosophiae explicationes vernacula lingua existimo faciendas.

Penitus negligantur quaestiones inter scholas disputatae, eaeque solummodo valore historico gaudentes vel quae intuitu eruditionis memoriae mandantur; haec et similia in Universitatibus Ecclesiasticis et Scholis Specialibus merito traderentur.

Tamen omnes alumni cursus philosophici initia sumant quaestionum Philosophiae hodiernae quae conscientias peragitant; amplior vero materiae cognitio asservetur iis qui titulos academicos appetunt.

4. *De Documentis Pontificiis.*

Ad sacram ordinationem ne accedat nisi qui prius praecipua documenta Romanorum Pontificum, maxime proximorum, ut puta Litteras Encyclicas et Nuntia, cognoscat.

Omnes horum documentorum collectionem secus ferant cuius usu facili cito invenire possint testimonium tanta auctoritate gaudens circa quamlibet ex agitatis quaestionibus hodiernis.

Aliqua documenta Pontificia directe et immediate studere contendant; ea praecipue quae agunt sive de institutione clericorum, sive de praxi pastorali, sive de sacra Liturgia, sive de Corpore Christi Mystico, sive de S. Scripturae interpretatione.

Alibi sermonem fecimus de documentis RR. Pontificum quae laicorum apostolatum attingunt, quaeque a magistris specialiter instructis necesse est explicari, qui in Scientia Oeconomiae, in Sociologia et in Iure Publico, sive Civili sive Ecclesiastico, valde periti sint.

5. *De Theologia.*

Valeant pro Theologia quae nuper de Philosophia asseruimus relate ad quaestiones tam fundamentales quam eas quae inter Scholas disputantur.

Aliter vero de idiomate in cursu theologico.

Unusquisque nempe Episcoporum, pro eius prudenti aestimatione,

posset decernere quando universa Theologia, quando vero solummodo aliquot tractatus a magistro latine legendi forent.

Omnes vero alumni theologi Divi Thomae Summam Theologicam latino textu exaratam prae manibus habere necesse est.

Quilibet sacerdos sedulo cognoscat quaestiones religiosas quae intime connectuntur cum praecipuis problematibus pastoralibus enucleatis perlucide magna doctrinae copia a Romanis Pontificibus.

Fundamenta, sive scripturistica sive philosophica, Theologiae quae socialis nuncupatur singulari cura perpendantur.

Ratione habita iustitiae socialis tractatus « de iustitia et iure » funditus recenseri desideratur; immo vero quaedam recensio in ipso tractatu « de iustitia commutativa » peropportuna foret; nec enim licet indefinita pergere praecepta caritatis, praecipue eleemosynae materialis et cooperationis personalis.

Itemque adhuc plerumque sat indefinita manent officia civium erga Statum, velut obligatio tributa solvendi, et Auctoritatem acceptandi simulque cum ea operandi pro bono populi, necnon impensius procurandi bonum commune.

Auctoritas Magisterii Pontificii ita vindicanda ut in Theologia Morali, Romani Pontificis, etiam ut Doctoris privati, sententia clara et explicita, existimetur destructiva solidae probabilitatis sententiae contrariae; quod proculdubio quamplurimum inserviret ad solvendas quaestiones quae passim in dies proveniunt ex Medicina, Psychologia, Sociologia et Oeconomia.

Inde a cursu seminaristico, iuxta Romanorum Pontificum doctrinam, clara alumnorum efformetur conscientia circa obligationes quibus tenemur ordinis internationalis vel supranationalis, ita ut clerus aptum instrumentum futurae ordinationis gentium universalis extet.

6. *De Vita Ministeriali.*

Maximo cum proventu levitae, ante praesbyteratum, in frequenti praxi ministeriali exercerentur.

Quamvis tempore cursus philosophici, et amplius theologici, prout alumnis licet, impensius operam dent ministeriis ordinariis, tamen liceat mihi aperire convenientiam dilatandi per duos vel tres annos, intuitu potioris praeparationis ministerialis, ordinationem presbyterorum.

Expletis nempe cursu theologico et homiletico, diaconi per duos vel tres annos, vitam communem in paroeciis degentes, rectore parocho maxime usu docto, praxi ministeriali amplissime indulgeant si, prout liquet, excipiantur Sacrum Sacrificium et Poenitentiae Sacramentum.

Hoc tempore cotidie ad breve tempus possent etiam propriae insti-

tutioni scientificae incumbere, v. gr. si linguam in usu assequi conentur, si Sociologiae vel Oeconomiae Disciplinis operam dent, si titulo civili decorari studeant.

Vita communis inter clericos tot tantisque fructibus spiritualibus, sive pro ipsis conviventibus sive pro eorum ministerio, decoratur, ut praecipienda desideretur, vel maxime in primordiis vitae sacerdotalis.

Quae praecedunt benevolenti animo accipere faveas.

Grata hac opportunitate arrepta, mihi maxime cordi est Sacram Tuam Purpuram, uti humillimus servus deosculari.

Eminentiae Tuae Reverendissimae

addict.mus dev.mus in Domino
✠ Angelus Herrera y Oria
Episcopus Malacitanus

30

Exc.mi P. D. IESUS ENCISO VIANA
Episcopi Maioricensis (Mallorca)

Palmae Maioricarum, 30 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi est cum futuro Concilio Oecumenico iam ex primis suae praeparationis mensibus cooperari, ad humanissimam Eminentiae Tuae Reverendissimae epistolam (I C/59-799) humilem meam responsionem mittens.

Episcopi, qui in regionibus degunt ubi protestantes vel schismatici frequentius inveniuntur, argumenta proponere possunt, quae ad unionem christianorum procurandam practice ducant.

Mihi in regione plene catholica constituto, et postquam Encyclica *Humani generis* recentiores doctrinas in crisim redegit, haec tantum suggerenda occurrunt:

I. *Doctrina*

1. Doctrinam vel disciplinam statuere de tolerantia religiosa in legibus, quae a gubernantibus catholicis pro statu civili catholico promulgantur.

2. Vitare ne, ut caritas erga dissidentes exhibeatur, historice errores Ecclesiae Catholicae attribuantur.

3. Similiter et liturgistae, cum reformationes liturgicas propugnant, ne asserant Ecclesiam per saecula erronee egisse.

4. In institutione fidelium maiorem partem habeat S. Scripturae expositio.

II. *Cultus sacer*

1. Lingua latina, tamquam optimum elementum unitatis et accuratae expressionis, in ritu latino servetur.

2. Nova architectura religiosa, in regionibus protestanticis praecipue orta, imaginum exclusionem fovet, cum non parvo pietatis detrimento.

3. E contra in quibusdam templis imagines, praesertim B. Mariae V., plus aequo multiplicantur. Si unius eiusdemque B.M.V. plures imagines simul coluntur, datur simplicibus occasio credendi plures esse Matres Dei. Possent tamen admitti variae imagines, quae varia mysteria eius vitae repraesentent.

III. *Unitas disciplinae*

1. Urgeri debet perfecta submissio externa et interna clericorum iuniorum.

2. Prohiberi debet ille scribendi et loquendi modus, quem autocriticam appellant, et quo catholici quidam publice iudicant et reprobant modum cogitandi et agendi eorum, qui in auctoritate ecclesiastica sunt constituti.

3. Religiosi Episcopis oboedire debent. Secus plures determinationes Episcoporum inefficaces redduntur; fideles enim religiosos adeunt, ut illis determinationibus fraudem faciant.

Aliunde incongruum videtur ut votum oboedientiae religiosos eximat ab oboedientia Episcoporum, qua omnes catholici tenentur.

4. Ecclesiae religiosorum debent in omnibus sub iurisdictione Episcopi versari.

IV. *Unitas actionis*

1. Actio apostolica et socialis religiosorum, quamvis in eorum ecclesiis radicata, debet sub iurisdictione et inspectione Episcopi esse.

2. Domus religiosae aliquando optime complent actionem pastoralem paroeciae, intra cuius terminos versantur, et cuius clerici saeculares impares sunt ut sufficienter omnes suos fideles per se ipsos curent. Sed aliquando sacerdotes paroeciae sufficientes sunt, qui talem laborem apostolicum compleant, et domus religiosa, nedum necessaria sit, sed et difficultates creat vitae paroeciali. In his casibus Ecclesia deberet tales domus religiosas claudere, earumque religiosis terras missionum vel alias ditari.

3. Considerari debet modus obtinendi ut dioeceses, in quibus plures sunt vocationes sacerdotales et religiosae, alias dioeceses adiuvent, quin propriam vitam religiosam, ex qua tales vocationes procedunt, imminuant.

4. Considerari etiam potest modus fortius ligandi singulas dioeceses cum activitate missionaria.

V. *Bona ecclesiastica*

1. In Ecclesia, lapsu temporis, plures fundi cumulantur ex dispositionibus testamentariis pro suffragiis perpetuis, ita ut civium fundi magis in dies imminuantur, donec gubernium vel revolutio popularis Ecclesiam spoliant. Ecclesia deberet per semetipsam talia inconvenientia vitare, et suam possessionem in tempore et numero limitare, ita ut redundantia bona in opera benefica et docentia erogentur.

2. Domus religiosorum aliquando luxum ostentant, quem singuli religiosi in domibus suorum parentum numquam possederant. Hoc scandalo est fidelibus, et cum voto paupertatis non satis componitur.

3. In sanctuariis et ecclesiis cathedralibus nonnumquam thesauri cumulantur, non solum arte insignes, sed aliquando valorem mere luxuosum ostendentes, uti sunt monilia ex auro et gemmis, quibus semel in anno imago sacra ad modum personae humanae luxuosae ornatur.

Quibus humiliter istius Pontificiae Commissionis considerationi propositis Dominum adprecor, ut Eminentiae Tuae Reverendissimae et toti isti Pontificiae Commissioni lumen suum in bonum Ecclesiae ostendat. Et me profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mus in Christo
✠ IESUS ENCISO VIANA
Episcopus Maioricensis

31

EXC.MI P. D. BARTHOLOMAEI PASCUAL MARROIG
Episcopi Minoricensis (Menorca)

Civitellae Minoricarum, die decima augusti anno salutis 1959

Eminentissime Domine,

Magna cum reverentia et gaudio accepi Litteras Eminentiae Vestrae diei 18 iunii 1959, signatas Prot. N. I C/59-841, quibus pro mea tenuitate respondere cupiens, audeo sequentia innuere, quorum opportu-

nitatem sapientissimo iudicio istius Commissionis omnino et humiliter subiicio, videlicet:

De nova versione latina S. Scripturae e textibus originalibus in usum scholarum theologicarum conficienda.

Operis ratio et modus

1. Quamvis linguae originales S. Scripturae in studiis theologicis omnium Seminariorum et Universitatum ecclesiasticarum minime sunt negligendae, sed diligenter excolendae, reapse tamen plerique alumni non ita eas callent ut possint per se facile percurrere textus originales vim proprietatemque verborum plene percipiendo. Sic, igitur, nimis declinant alumni ad faciliorem usum versionum textuum originalium in linguas vulgares, ac non raro ipsis fidentius iusto inhaerent.

Reperiuntur quidem inter huiusmodi versiones, a privatis doctoribus confectas et dioecesana licentia editas, quaedam valde probabiles; sunt tamen aliae quorum auctores interdum liberiori mente audent, contra scientiae normas et traditionem imo et contra integritatem textus, definire sensum. Quod sane vergit in detrimentum institutionis alumnorum qui illis utuntur.

2. Ut ea quae dicta sunt aliaque praecaveantur, habeantque alumni, sine praeiudicio debitae cognitionis et usus textuum primogeniorum, adiumentum et perfectum exemplum versionis quam tute sequantur, admodum utile fore censeo ut fiat quaedam nova latina versio ex textibus originalibus, auctoritate Commissionis Biblicae seu Congregationis de Seminariis et Universitatibus critice et scientifice concinnata propositaque ad ordinarium usum scholarum apud Seminaria, Universitates aliaque eiusmodi catholica doctrinae instituta; ceterum minime praeclusa magistris via ulteriorum investigationum.

3. Quandoquidem vero studia biblica feliciter in dies progrediuntur, ideo praedicta versio latina, ut harum progressionum rationem habeat, non perpetuo aut diutius fixa et immutabilis esse poterit; sed edenda periodice, ut puta, vigesimo quinto quoque anno, ut videlicet, prodeat noviter revisa et meliorata iis quae hoc temporis spatio forsan studia catholica adquisierint atque probata et admittenda in versionem vel in subiectas notulas Sacra Congregatio seu Commissio Biblica iudicaverit.

4. Versio nova omnium erit librorum, nullumque inferet praeiudicium valoris, dignitatis et usus Vulgatae nec pianae recenti versioni Psalterii, quarum etiam erit usus exclusivus in Liturgia; nam novam, quae proponitur, potius dixerim scholasticam versionem.

5. Non minuitur linguarum rerumque biblicarum peritis prudens, qua nunc fruuntur, libertas suas versiones in linguas vernaculas adornandi.

Infrascriptus senex episcopus, antea per annos quadraginta S. Scripturae Professor, haec mente volvebam, eaque nunc usus praeclara invitatione Eminentiae Vestrae relate ad Oecumenicum Concilium, duxi reverenter exponenda.

Enixe precor ut Spiritus Sancti gratia illuminet et dirigat mentes et corda omnium, magisque eorum qui in Concilio potiores partes habituri sint, ut feliciter illud promoveatur et absolvatur in maiorem Dei gloriam, utilitatem Ecclesiae veramque pacem mundi.

Eminentissimae Dominationis Vestrae, cui de tanto munere Praesidis istius Commissionis Antepraeparatoriae gratulor, me servum addictissimum humiliter profiteor, dum sacram purpuram deosculor.

✠ Bartholomaeus Pascual Marroig
Episcopus Minoricensis

32

Exc.mi P. D. HYACINTHI ARGAYA GOICOECHEA
Episcopi Mindoniensis-Ferrolensis (Mondoñedo-Ferrol)

Mindonii, 8 septembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Ut attente respondeam humanissimis Eminentiae Vestrae litteris, quibus Episcoporum sententiae expostulantur circa materias proponendas Oecumenico Concilio, quod Sanctissimus Papa Noster, f. r., annuntiavit, censeo in genere potissimum standum esse iudicio Sanctae Sedis, cui compertae plane sunt osorum christianae veritatis machinationes, necnon Ecclesiae multiplices necessitates et ingruentia pericula. Hoc autem Sanctae Sedis iudicium patefaciunt tum schemata iussu Apostolicae Sedis a viris peritissimis concinnata pro Concilio Vaticano, quod tamen propter temporum iniurias suspendi debuit, tum Encyclicae Litterae aliaque plura monumenta, quibus Romani Pontifices, inde praesertim a Leone XIII, i. m., indesinenter vitam genuine christianam ordinaverunt, divinum cultum et sacramentorum administrationem promoverunt atque doctrinam a Deo revelatam fidelissime tutati sunt.

1. Ad schemata, quod attinet, pro Concilio Vaticano diligenter prae-

parata, ea seligi, compleri et ad recentissimas Ecclesiae necessitates adaptari poterant, quae maxime utilia etiam nunc censentur. Ex schemate *Constitutionis dogmaticae de fide catholica* solum octo prima capita definiri potuerunt; ex reliquis vero decem capitibus resumi poterant ea praesertim quae agunt de Creatione, Redemptione, origine hominis ab Adamo eiusque animae spiritualitate et ad ordinem supernaturalem elevatione, de peccatis originali et personalibus hominum atque de eorum aeterna sanctione, quae quidem capita, etsi non plene, cuidamtenus tamen discussioni Patrum in Concilio Vaticano subiecta sunt: *Msi* 50, 60-340; 51, 31-450.

Ex amplissimo schemate *Constitutionis dogmaticae de Ecclesia* definitum tantum est caput XI, de potestatibus supremi visibilis Ecclesiae Capitis et de eius infallibilitate. Alia quindecim capita summe utilia contra multiplices nostrorum temporum errores censentur, ea praecipue quae agunt de Corpore Christi mystico, de necessitate Ecclesiae ad salutem, de Ecclesia ut societate visibili et perfecta, de eius unitate et indefectibilitate, de potestatibus magisterii, sacerdotii et regiminis Ecclesiae, de concordia inter Ecclesiam et Statum necnon de specialibus Ecclesiae iuribus relate ad Civitatem, quorum plura iam in Vaticano discussa sunt: *Msi* 51, 539-1070; 52, 1-1350.

Non minoris hodie utilitatis forent schemata *De Matrimonio, De libris Veteris et Novi Testamenti, De Missionibus* et *De rebus Orientalium,* quorum solum schema De Missionibus discussum est: *Msi* 53, 45-153, 715-722, 893-914.

Praeter haec, nota sunt viginti et sex alia schemata *De disciplina,* inter quae mentione digna sunt quae agunt De Episcopis, De Capitulis Canonicorum, De Parochis, De vita et honestate clericorum, De Seminariis et gradibus academicis, De praedicatione et administratione Sacramentorum, De impedimentis Matrimonii: *Msi* 53, 721-784; aliquorum discussio: *Msi* 50, 359-944; 51, 449-533; 53, 1-46.

Accedunt denique decem et octo schemata *De Regularibus* necnon quindecim alia *De rebus politico-ecclesiasticis,* quae discussioni proponi non potuerunt; sed in eis consideratione valde digna sunt ea praesertim quae recte respiciunt relationes inter Ecclesiam et Statum: *Msi* 53, 783-894.

2. Ad Summorum Pontificum monumenta post Concilium Vaticanum exarata censeo accurrendum esse ad complendum rerum conspectum novo Concilio proponendarum. Ex illis depromi poterant ea quae de doctrina, de disciplina, de divino cultu et Sacramentorum administratione maioris hodie utilitatis sunt.

Ad doctrinam quod attinet, cum iuxta Pii XII edictum probe constet,

« sacrum Magisterium in rebus fidei et morum cuilibet theologo proximam et universalem veritatis normam esse debere »: *A.A.S.* 42 (1950) 567, oportet sane ut a Concilio definirentur principia et potiora capita doctrinae Ecclesiae de iis ex quibus hodie graviores ac plures errores profluunt.

a) De Modernismo, iuxta Pii X Encycl. *Pascendi* et Decretum *Lamentabili*: *A.A.S.* 40 (1907) 470 ss., 593 ss.

b) De sic dicta « Nova Theologia », iuxta Pii XII Encycl. *Humani generis*: *A.A.S.* 42 (1950) 561 ss.

c) De Ecclesiae unitate et unicitate, iuxta Encycl. Leonis XIII *Satis cognitum* et Pii XI *Mortalium animos*: *A.A.S.* 28 (1896) 708 ss.; *A.A.S.* 20 (1928) 5 ss.

d) De potestatibus Ecclesiae ac maxime de Magisterio, iuxta Pii XII Encycl. *Humani generis* et *Ad Sinarum gentem,* atque eiusdem Allocutiones *Si diligis, Magnificate* et *Di gran cuore*: *A.A.S.* 42 (1950) 561 ss.; 46 (1954) 313 ss., 666 ss.; 47 (1955) 9 ss.; 48 (1956) 704 ss.

e) De Corpore Christi mystico eiusque veris membris, iuxta Pii XII Encycl. *Mystici Corporis*: *A.A.S.* 35 (1943) 193 ss.

f) De Sacerdotio Catholico, iuxta Encycl. Pii XI *Ad catholici Sacerdotii* et Adhortationes Pii X *Haerent animo* et Pii XII *Menti Nostrae*: *Acta Pii X*, 4, 237 ss.; *A.A.S.* 28 (1936) 5 ss.; 42 (1950) 675 ss.

g) De divino cultu et de sacra Liturgia, iuxta Pii XII Encycl. *Mediator Dei* et *Musicae Sacrae*: *A.A.S.* 39 (1947) 521 ss.; 48 (1956) 5 ss.

h) De sacra Scriptura, iuxta Encyclicas Leonis XIII *Providentissimus,* Benedicti XV *Spiritus Paraclitus* et Pii XII *Divino afflante Spiritu*: *A.A.S.* 26 (1893) 278 ss.; *A.A.S.* 12 (1920) 393 ss.; 35 (1943) 297 ss.

i) De Mariologia, iuxta Pii XII Bullam *Munificentissimus* et Encycl. *Fulgens corona* et *Ad coeli Reginam*: *A.A.S.* 42 (1950) 735 ss.; 45 (1953) 577 ss.; 46 (1954) 625 ss.

j) De Matrimonio, iuxta Pii XI Encycl. *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930) 539 ss.

k) De ordine sociali seu de sociali Ecclesiae doctrina, iuxta Encyclicas Leonis XIII *Rerum novarum* et Pii XI *Quadragesimo anno* et *Divini Redemptoris*: *A.A.S.* 23 (1891) 641 ss.; *A.A.S.* 23 (1931) 177 ss:; 29 (1937) 65 ss.

l) De apostolicis Missionibus, iuxta Encycl. Benedicti XV *Maximum illud,* Pii XI *Rerum Ecclesiae* et Pii XII *Evangelii praecones: A.A.S.* 11 (1919) 440 ss.; 18 (1926) 65 ss.; 43 (1951) 497 ss.

m) De orientalium Ecclesiis, iuxta Encycl. Pii XI *Ecclesiam Dei,*

Rerum Orientalium, Lux veritatis, et Pii XII *Orientalis Ecclesiae, Orientales omnes, Orientales Ecclesiae*: *A.A.S.* 15 (1923) 573 ss.; 20 (1928) 277 ss.; 23 (1931) 493 ss.; 36 (1944) 129 ss.; 38 (1946) 33 ss.; 45 (1953) 5 ss.

n) De relationibus Ecclesiam inter et Statum, iuxta Syllabum Pii IX et Encyclicas Leonis XIII *Diuturnum illud, Immortale Dei, Libertas, Sapientiae Christianae, Rerum novarum,* collata Pii XII allocutione *Vous avez voulu*: Denzinger nn. 1719-1755: *A.A.S.* 14 (1881) 1 ss.; 18 (1885) 161 ss.; 20 (1888) 593 ss.; (1890) 385 ss.; 23 (1891) 641 ss.; *A.A.S.* 47 (1955) 677 ss.

o) De christiana iuventutis educatione, iuxta Pii XI Encycl. *Divini illius Magistri*: *A.A.S.* 22 (1930) 49 ss.

3. Ut aliqua in specie attingam quae meo sane iudicio Concilii deliberationibus proponi deberent, praecipua haec sunt, quae sequuntur.

A) *Relate ad doctrinam ab omnibus omnino tenendam.*

a) De fontibus revelationis. Renovanda sunt decreta Conciliorum Tridentini et Vaticani atque ulterius complenda ita ut plenius definiatur divinae inspirationis natura et extensio intra diversa litteraria sacrorum librorum genera, adeo ut tuto discerni possint ea quorum Deus verus est auctor ab illis quae forte auctori humano tribui possint. De relatione inter sacram Scripturam et divinam Traditionem, iudicio Concilii submittenda esset sententia recentiorum irenistarum tenentium, integrum revelationis obiectivae depositum in sacris Scripturis contineri, adeo ut divinae Traditioni functio tribuatur mere transmittendi, proponendi et explicandi depositum fidei in sola Scriptura plene contentum. De interpretatione vero sacrae Scripturae, contra relativismum exegeticum, ad quem ducere potest abusus sic dictorum « generum litterariorum », urgendum esset criterium a Conciliis Tridentino et Vaticano statutum, videlicet sacram Scripturam intelligendam esse iuxta viventem in Ecclesia divinam Traditionem in consensu Sanctorum Patrum manifestatam et secundum iudicium authenticum Magisterii Ecclesiae.

b) De methodo theologica, quae perperam adhibita « Novae Theologiae » errores induxit. Accuratius determinandae sunt partes quae in theologica investigatione fontibus revelationis, Magisterio Ecclesiae, scriptis Sanctorum Patrum et Theologorum et humanae rationi competunt. Declarandum est praeterea discrimen quod interest inter scientiam pure positivam et historicam, et scientiam theologico-positivam et theologico-historicam, iuxta Pii XII editum antea initio numeri 2 allatum.

c) De potestatibus ecclesiasticis docendi, sanctificandi et regendi, probe definienda est earum natura essentialiter ministerialis sub princi-

pali Christi Ecclesiae Capitis influxu, iuxta illud Sancti Pauli effatum: « sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei » (*1 Cor.*, 4, 1), atque secundum hoc principium ad Ecclesiae munera designandi et in illis retinendi tantum sunt illi ministri qui revera apti sint ad talia munera efficaciter exercenda. In iisdem potestatibus accurate distinguenda sunt ea quae Episcoporum sunt propria ex iure divino ab illis quae accedunt ex iure ecclesiastico; atque determinanda magis est facultas quae Apostolorum successoribus competit suas potestates delegandi fidelibus sive clericis sive etiam laicis. In specie de Magisterio Ecclesiae accurate definienda est eius auctoritas vere doctrinalis atque diversi eiusdem potestatis gradus quibus exerceri potest, necnon correlata subditorum obligatio eiusque diversi gradus quibus fideles tenentur praestandi mentis assensum. De obiecto vero Magisterii, praeter veritates depositi divinae revelationis quas directe Magisterium attingit, determinandum est criterium iuxta quod tuto discerni valeat extensio auctoritatis Magisterii ad alias veritates de quarum formali revelatione minime constat.

d) De necessitate Ecclesiae ad salutem et de eius membris. Clare definienda est ratio membri Ecclesiae quae requiritur ac sufficit ad salutem obtinendam, atque decidendum utrum baptizati, qui externe quidem, sed bona fide, ad sectam haereticam vel schismaticam materialiter pertinent et internae gratiae donis ornati sunt, haberi debeant ut membra ab Ecclesia avulsa an ut vera eiusdem Ecclesiae membra licet occulta. Determinare etiam oporteret adspectus praecipuos quibus omnia Ecclesiae membra, etiam si ad laicalem statum pertineant, active participare valeant, sub Episcoporum potestate, de exercitio facultatum docendi, sanctificandi et regendi, ad quod exercitium tandem reduci potest sic dictus « Laicorum apostolatus ».

e) De creatione, elevatione et lapsu hominis. Renovanda ac complenda est Concilii Tridentini doctrina de origine hominis ab Adamo, de generis humani supernaturali elevatione et lapsu in protoparente ac de plena gratuitate ordinis supernaturalis. Iudicium etiam ferendum est de evolutionismo anthropologico et de polygenismo.

f) De Eucharistia et Sacerdotio. Definitorie respondendum est quaestionibus recenter agitatis de reali Christi praesentia in Eucharistia et de natura transubstantiationis. De iure sive divino sive ecclesiastico in quo fundatur discrimen ordinum Presbyteratus et Episcopatus, et de indole activae participationis fidelium baptizatorum de christiano Sacerdotio, statuere oporteret fundamentalia doctrinae Ecclesiae capita. Determinandus etiam esset gradus obligationis, qua Episcopi, ut Apostolorum successores, teneantur exsequi illud Christi mandatum: « Euntes ergo

docete omnes gentes (*Mt.* 28, 19) Apostolis praescriptum eorumque successoribus « usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 20).

g) De relationibus Ecclesiam inter et Statum. Post institutam divinitus Ecclesiam ut perfectam societatem ab Statu independentem ad totalem curam de religione habendam, statuenda esset, vera ratio ob quam Status sit obligatus ad liberum et facile ubique reddendum verae religionis exercitium. Ad explicandas vero relationes quae intersunt inter utramque societatem perfectam decidendum est, utrum necesse sit admittere sic dictam « potestatem indirectam » Ecclesiae supra Statum, an, ut recentioribus quibusdam perplacet, agnoscere sufficiat obligationem erga Deum, qua tam Ecclesia quam Status tenentur observare ordinem divinitus statutum.

h) De forma proponendi definitiones dogmaticas, forte oporteret abstinere a damnationibus sub anathemate, quae hominibus nostrorum temporum duriores videntur. Tamen definitiones dogmaticae fieri possunt sine forma anathematis, prout factum est in oecumenicis Conciliis Chalcedonensi, Lateranensi IV capite « Firmiter », Lugdunensi II, et Florentino decreto pro Graecis: Denzinger nn. 148, 428-430, 460-466, 691-694.

B) *Relate ad disciplinam.*

a) In genere expeditiores methodi adinveniendae sunt, iuxta magnum nostrae aetatis progressum, quibus omnia Ecclesiae negotia atque potestatum docendi, sanctificandi et regendi exercitium celerius, efficacius, magisque accommodatae ad diversarum gentium indolem perficiantur. Ut autem haec celeritas, efficacia et accommodatio functionum Ecclesiae obtinerentur, iuvaret forte introducere quasdam iubilationis aetates, quibus omnia ecclesiastica munera, excepto tantum Summo Pontificatu, submitterentur tam in Romanis Dicasteriis quam in omnibus orbis catholici Dioecesibus. Immo iuxta principia de Ecclesiae universalitate, a Pio XII exposita in pervigilio Nativitatis Domini anni 1945 et in allocutionibus ad Cardinales mensis februarii anni 1946: *A.A.S.* 38 (1946) 15 ss., 101 ss., 141 ss., opportunum esse videtur ut Concilium deliberare valeat circa convenientiam instruendi Caput universalis Ecclesiae organis quae plenius in Romana Curia notam universalitatis exhiberent. Etenim universalitas originis personarum, quibus Romana Dicasteria instrui possent, et optatis fidelium universi orbis satisfaceret, et pleniorem praeberet campum ad maxime aptos seligendos, et faciliorem multo redderet Curiae adaptationem ad intelligendas solvendasque quaestiones undequaque provenientes, et denique, ut Pius XII aiebat, « illud in nova luce poneret, quod peculiaris est Catholicae Ecclesiae nota: eam nempe non ad ali-

quam tantummodo stirpem, gentem, nationemve pertinere, sed ad singulos universos humanae familiae populos »: *A.A.S.* 38 (1946) 102.

b) In vigenti Iure Canonico: 1) profundae revisioni subiicere oporteret integrum ius beneficiarium illudque ita statuere ut beneficium eiusque ius plene sint functioni vel ministerio sacro subordinata, nec tolerandum ut ministerium sacrum ex iuribus beneficiorum detrimentum patiatur; ius vero Capitulare vel supprimi vel multum reduci posset; 2) ius processuum et poenarum valde complicatum in multis; poterat sane multo facilius reddi; amplius forte patere poterat recursus ad processum administrativum, quin necesse sit saepe recurrere ad processum iudicialem; 3) multum reduci possent capita de poenis et censuris; matrimonialia vero impedimenta minoris gradus supprimere oporteret; casuum autem reservatio coarctanda esset, atque commendanda facilitas delegandi iurisdictionem illis de quorum apta praeparatione ambigi iure nequit; 4) disputabilia quaedam, quae iam in recenti iure Orientalium soluta sunt, eodem modo solvere oporteret.

c) Complendum esset Ius Canonicum capitibus, quae desiderantur, in quibus plenius definiantur et describantur iura et obligationes: 1) Laicorum qua talium in Ecclesia, 2) associationum apostolicarum ut Actio Catholica et aliae similes, 3) Institutorum saecularium ad perfectionem tendentium, 4) piarum reliquarum fidelium confraternitatum.

C) *Relate ad divinum cultum et Sacramentorum administrationem.*

a) In genere conandum est ut ex investigationibus historicis aperte pateant ea quae in hac materia mere sint adventitia et secundum optata gustumque diversarum aetatum accidentaliter inducta, ut facilis paretur via ad ea supprimenda quae minus utilia nostra aetate sint.

b) In primis quaerendae sunt simplicitas, expeditio et efficacitas, quae adeo consentaneae sunt christiano Evangelii spiritui et nostris temporibus maxime placent; adeoque ea omnia corrigi vel auferri deberent quae mera sunt pompae medii aevi vestigia.

c) Laudandus est labor impensus in reformatione sacrae Liturgiae, in qua vel maxime procurare debent puritas formularum et dignitas actionum sacrarum; sed non ideo quia formulae quaedam vel actiones sacrae antiquiores sint eo ipso puriores et aptiores iudicandae sunt, ast, salvis omnino iis quae de iure divino, vel essentialia, vel ob certas causas plane necessaria censeantur, illae potius formulae et actiones seligendae aut adinveniendae sunt, quae aptiores fuerint ad hoc ut fideles et probe sciant quid a Deo petunt in orationibus suis, et facile agnoscant quos internos actus elicere debent dum debitum Deo cultum praebent, et recte intelligant quid eis confertur quidve accipiant in Sacramentorum

susceptione, et bene cognoscant quid ipsi active conferre debeant in mysteriorum celebratione, in Sacramentorum susceptione et in divini cultus fideli praestatione. Ad hoc autem procurandum est ut amplior in dies reddatur linguae vernaculae usus atque apta ad hoc fidelibus praebeatur instructio.

d) Etiam ipsas essentiales formulas simpliciores in aliquibus casibus reddere oporteret, praesertim in administratione Sacramentorum quae multum frequentantur; ita, exempli gratia, formula absolutionis in confessione sufficeret haec. « Dominus Noster Iesus Christus te absolvat et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omnibus peccatis tuis, in nom. P. et F. et Sp. S. ».

Adnotatio de Christianorum separatorum reditu ad unionem catholicam

Quamvis omnino persuasus sim praeparationem necessariam ac praeviam investigationum historicarum, iuridicarum et dogmaticarum longe distare ab illa maturitate quae prorsus requiritur ad hoc negotium viis humanis aggrediendum, et quamvis mihi etiam constet ex quamplurimis manifestationibus eorum qui sincere in sic dicta « Motione Oecumenica » laborant, animorum dispositionem nondum illum benevolentiae ac comprehensionis gradum attigisse, sine quibus stabilis unio, meo sane iudicio, obtineri nequit; tamen aliqua proponam quae forte utilia erunt ad faciliorem in dies reddendam optatissimam omnium Christianorum unionem.

Perplacet ante omnia adducere verba quibus Sanctissimus Pater f. r. ad Concilium a Se annuntiatum in Encyclicis litteris *Ad Petri Cathedram* alludens ait: « Concilium mirabile praebebit veritatis, unitatis, caritatisque spectaculum; spectaculum dicimus, quod ii etiam cernentes, qui ab Apostolica hac Sede seiuncti sunt, suave, ut confidimus, invitamentum accipient ad illam unitatem quaerendam assequendamque, quam Iesus Christus a caelesti Patre flagrantibus rogavit precibus »: *A.A.S.* 51 (1959) 511.

Ad hunc nobilissimum scopum obtinendum iuvare forte poterit ut a Concilio promulgetur amplissima professionis fidei formula, in qua enuntiata contineantur omnia fidei dogmata, quae omnes Catholicae Ecclesiae Antistites ac fideles unanimi consensu profitentur et praedicant. Hoc mirabile erit vel maxime Protestantibus, qui in amplissimis Oecumenicis Conventibus sexto quoque anno celebratis solum quodammodo convenire potuerunt in agnitione Christi ut Domini et Salvatoris hominum.

Addere etiam oporteret ingenuam quandam et apertam declarationem, in qua accurate discernerentur ea quae in institutionibus, iuribus,

consuetudinibus et ritibus christianae religionis certo esse censentur de iure divino atque adeo omnino immutabilia, ab aliis omnibus quae ex iure mere ecclesiastico, iuxta diversorum temporum exigentias utilitatesque, legitima autoritate adiuncta sunt. Hoc autem discrimine statuto, declarandum probe a Concilio esset, Catholicam Ecclesiam pronam esse ad concedenda ea omnia quae pro bono unionis exito concedi poterant ex iis quae de iure ecclesiastico esse censeantur, iuxta Pii XII doctrinam in Encyclicis *Mediator Dei* et *Evangelii praecones* traditam: « Illam Ecclesia sapientissimam normam sequuta est, qua quidquid boni, quidquid honesti ac pulchri variae gentes e propria cuiusque sua indole e suoque ingenio habent, id Evangelium, quod amplexae sint, non destruat neque restinguat ». « Sacra Liturgia ut humanis, ita divinis constat elementis; haec autem, ut patet, cum a divino Redemptore constituta fuerint, nullo modo ab hominibus mutari possunt; illa vero, prout temporum, rerum animorumque necessitates postulant, varias commutationes habere possunt, quas ecclesiastica Hierarchia, S. Spiritus auxilio innixa, comprobaverit »: *A.A.S.* 39 (1947) 541; 43 (1951) 521. Haec censeo possent unionis viam sternere.

Haec sunt, Eminentissime Domine, quae coram Deo censui cum omni sinceritate ac veritate proponenda, pro futuro Concilio. Omnia autem libenter et plane subicio meliori sententiae istius Sanctae et Apostolicae Sedis et definitivo iudicio Concilii futuri.

Eminentiae Vestrae humillimus et oboedientissimus in Christo servus.

✠ HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA
Episcopus Mindoniensis-Ferrolensis

33

EXC.MI P. D. ANGELI TEMIÑO SAIZ
Episcopi Auriensis (Orense)

Auriae, die 12 octobris 1959

CAPITA DOCTRINALIA

A) *De evolutione dogmatica*:

1. Munus philosophiae et rationis in formulatione dogmatum.
2. Influxus agnoscendus et non agnoscendus philosophiae tunc temporis vigentis in definitionibus et declarationibus praeteritis Ecclesiae.

3. Quid de sensu fidei retinendum oporteat.
4. De traditione viventi progressiva et quo sensu acceptanda.
5. De sensu pleniori Sacrae Scripturae et de eius munere in evolutione dogmatis?

B) *De re scripturistica*:

1. De historia biblica.
2. De diversis generibus litterariis in Biblia.

C) *Mariologia*:

Oportet definire dogmata Corredemptionis et universalis Mediationis B.M.V.?

D) *De quaestione sociali*:

1. Momentum quaestionis in nostris diebus.
2. Ius Ecclesiae ad edocendum in hac materia et quo sensu ad Ecclesiam pertineat.
3. Doctrina fundamentalis.
4. De modo agendi Sacerdotum in hoc problemate.

De re disciplinaria

A) *De sacerdotibus et religiosis*:

1. Maxima convenentia vel potius necessitas intimae unionis, saltem in apostolatu, utriusque cleri.

2. Apostolatus Religiosorum verius subiiciendus Episcopo, ita ut potestas Ordinarii coram fidelibus in eo clare innotescat.

3. Instituta religiosa, quae puerorum et iuvenum educationi incumbunt, in hoc etiam ministerio Episcopi auctoritati vere se subiiciant, salva semper libertate in iis quae ad peculiarem methodum docendi spectant et ad internam disciplinam.

4. Nonnulli Sacerdotes, maxime iuvenes, ex utroque clero a recta semita et a genuino spiritu sacerdotali deviare videntur. Recentioribus ideis saeculi aliquatenus imbuti, virtutes passivas spernunt. Quae non sine scandalo fidelium et sine periculo salutis propriae eveniunt. Aliquam commendationem conciliarem et generales normas statuere absonum non esset. Speciatim urgere oportet exercitium virtutum oboedientiae, mortificationis, paupertatis et humilitatis.

5. Opportunum ducimus legem universalem dare, qua clerici omnes obligentur singulis annis per aliquos dies spiritualibus exercitiis vacare.

6. Recitatio officii divini brevior reddatur, sed magis urgeatur obligatio orationis mentalis saltem per dimidiam horam.

7. In legislatione circa causas sollicitationis hanc additionem inducendam ducimus, nempe: Esse etiam denuntiandum et puniendum confessarium qui peccatum grave contra sextum committit cum poenitente intra breve tempus post confessionem, puta trium mensium, etiam si connexio inter confessionem et peccatum non percipiatur. Istud proponimus: primo, quia confessarius ad peccandum pronus, legislationem actualem cognoscens, conabitur vitare denuntiationem, obscurando connexionem exsistentem inter peccatum et confessionem; secundo: quia oportet sanctitatem sacramenti efficacius custodire; tertio: quia connexio praesumitur, si lapsus eveniat intra breve tempus, et etiam si externa connexio non exsistat, facile coniicere licet occultam et internam in mente confessarii saepe adesse; postremo: ad efficacius superandas peccandi occasiones.

8. Vita communis clericorum debet adhuc magis commendari. In favorem istius dispensatio residentiae, etiam parochis, facile concedenda, dummodo curae animarum satis prospiciatur per telephonium et media mechanica pro veloci translatione. Emissio votorum est sacerdotibus dioecesanis consulenda, tamen tantum suo Episcopo eiusve delegato.

9. Capitula cathedralicia ad necessitates nostrorum temporum sunt accommodanda.

10. Provisio paroeciarum per concursum, sive generalem sive specialem, forte non amplius expedit.

11. Iura, facultates et officia vicariorum cooperatorum pressius determinanda censentur.

12. Religiosi omnes curare debent spiritum suorum Fundatorum sollicite retinere vel audacter renovare. Mutationes, si quae inducendae, conniventiam cum saeculo ne supponant, sed maiorem facilitatem pro apostolatu moderno tantum praebeant, et semper cum approbatione fiant Ecclesiae. Eo magis exercitium abnegationis, internae et externae mortificationis, paupertatis et oboedientiae exigatur quo maior exsistat conversatio cum mundanis. Vita, specie tenus saeculi moribus accommodata aliquorum religiosorum, scandalum causat in populo fideli.

13. Religiosi ex Ordinibus vel Congregationibus dimissi, et ab Episcopis non recepti, a proprio Instituto custodiantur et sustententur, vel de eis aliqua provisio sumatur.

B) *De fidelibus in genere*:

1. Censurae et reservationes peccatorum ad minimum redigantur.
2. Quaedam generalia principia circa Actionem Catholicam statuan-

tur, in quibus appareant et fundamentum theologicum apostolatus laicorum et necessitas subiiciendi istum apostolatum Ordinario loci.

3. Recens disciplina de statu libero contrahentium demonstrando magis magisque urgeatur, maxime cum contrahentes ad distinctas nationes pertineant.

4. Valde dolendum celebrationem festivitatum religiosarum secum ferre innumera peccata, ita ut dominicae, festa patronalia, festivitates Iesu Christi, Beatae Mariae Virginis et Sanctorum sint dies in quibus graviores et frequentiores offensiones Deo inferantur. Corruptio hodierna morum maxime ex profanatione festivitatum originem trahere videtur. Nonnumquam ioca et spectacula vel diversiones valde peccaminosa quae diebus festis habentur, coram fidelibus nimis arcte connexa cum celebratione sollemnitatis religiosae apparent, cum pars profana et religiosus cultus ut quid unum populo praesententur. His fidelium pietatem deformari clarum videtur. Ut verus sensus christianus pietatis et conservetur et amplius promoveatur, forte expediret fideles monere: primo: Deum coli et Sanctos venerari tantum actibus liturgicis, piis exercitiis, exercitatione virtutum, receptione Sacramentorum, etc., nullo autem modo actibus quae natura sua peccatis scatent; secundo: honestas diversiones quae sunt generatim absque peccato non adversari sensui christiano, et opportune haberi in diebus festis, in his tamen proprie pietatem non consistere; respuendas vero in festivitatibus Ecclesiae diversiones quae peccatis sint obnoxiae; tertio: sollicite separandam esse partem religiosam et piam a parte profana et peccaminosa in celebratione festivitatum ecclesiasticarum, ut melius vitetur deformatio pietatis; quarto: Sanctuaria esse erecta ut domum orationis ad invitandum populum fidelem ad pietatem, non ad diversiones peccaminosas dissolutorum.

5. Opportunum foret praeterea in Ecclesia universali quaedam statuere ad minuendam profanationem festivitatum et ad reparandas offensiones his diebus Deo illatas.

✠ ANGELUS TEMIÑO SAIZ
Episcopus Auriensis

34

Exc.mi P. D. PAULI BARRACHINA ESTEVAN
Episcopi Oriolensis-Lucentini (Orihuela-Alicante)

Oriolae, die 12 octobris 1959

I. *Pars doctrinalis*

1. Renuntiari uti Dogma fidei Mysterium Universalis Mediationis B. Virginis Mariae. Universa ac tota Ecclesia hanc veritatem tenet ac confitetur; iuxta illam operatur; et sensu illius orat. Quinimmo dogmaticam definitionem huius doctrinae vehementer exoptat. Aliunde, meo quidem iudicio, post definitionem dogmaticam Assumptionis B. Virginis Mariae, Dei Genitricis, corpore et anima in Caelum, a Pio Papa XII, piae ac felicis recordationis, factam, existimo peropportunum esse hic et nunc novam hanc dogmaticam definitionem de Universali Mediatione eiusdem Immaculatae Deiparae edicere.

2. Relativa tolerantia seu indulgentia erga Communismum, quae in non paucis sectoribus sive partibus catholicorum hominum habetur, videtur mihi perniciosissima. Consequenter perniciosissimus est defectus plenae unionis inter catholicos ad efficacius hoc Communismi systema tam in campo spiritali quam in campo sociali expugnandum. Unde definitiva videretur huius systematis sollemnis condemnatio a Concilio Oecumenico facta:

a) Quatenus Communismus atheus est;

b) quatenus *universam christianam familiam* evertit;

c) quatenus conceptus eius circa vitam et historiam omnino ac ex-exclusive materialis est, animae nempe immortalitatem recusans;

d) quatenus bellum absque dubio intendit, ut dominium suum in mundo universo tandem aliquando exerceat;

e) et quatenus ius proprietatis individualis et humanae negat.

3. Exstat procul dubio in quibusdam sectoribus, inter sacerdotes, et saeculares et regulares, novus quidam *Modernismus religiosus,* synthesis quidem exitiosissimorum errorum; cuius larvam, ut ita dicam, auferre oporteret, ut manifesta pateret eius interna perfidia. Ecce enim clam edocetur cultus Dei sine Eucharistia; amor erga Deum absque propria abnegatione et mortificatione; caritas in externis dumtaxat manifestationibus reposita quin cura proprii commodi auferatur nec amor sui vincatur. Ex his autem et oratio negatur; siquidem haec pro his moder-

nistis haud fundatur in vera cognitione Dei humanaeque vilitatis, ac proinde non esset vera neque fructuosa haec oratio. Unde gressus unus iam si fiat ulterius in vita christiana, examen conscientiae, poenitentia atque peccatorum confessio nonnisi nomine exstarent.

4. Pro nonnullis sacerdotibus Superior non consideratur atque aestimatur tamquam vices Dei gerens; et consequenter illi huic suo Superiori non censent sese totaliter tradi debere, ratione oboedientiae. Superior ergo pro illis dominus quidam est qui ideo ornatus esse debet maiori intelligentia ac scientia, quae quidem unica ratio est horum erga ipsum inferioris conditionis ac subordinationis. Ideo Superior dialogum cum illis habere debet — sic aiunt illi —, pari conditione, arma tantum suae forsan potioris intelligentiae scientiaeque gerens; ac idcirco pro dictis et mandatis eius nequit oboedientiam exigere, sed solum ea ut opportuniora et expeditiora proponere.

5. Status virginitatis — non obstantibus Enciclycis Litteris *Virginitas* Pii Papae XII, cuius memoria a Christifidelibus adhuc lacrymis prosequitur —, statui matrimonii passim postponitur; et minus habetur castitas Deo dicata et ecclesiasticus coelibatus. Ideo ergo, etiam in ipsis coetibus pro apostolatu institutis, matrimonium tamquam quid absolute melius sine rubore proclamatur.

6. Ecclesia depositum veritatis a Deo acceptum habet, et eiusdem veritatis Magistra infallibilis exstitit. Igitur Ecclesiae Magisterium et authentica suae doctrinae diffusio, per media quae Hierarchia Ecclesiastica ad hoc opportuniora existimet, nequeunt sine iniuria impediri, nec debilitari, nec minus impugnari, quocumque modo fiat. Iam ergo, quod hoc in praxi admittatur non est privilegium ab aliquo Civili Statu ceu Gubernio Ecclesiae concessum; sed utique sacrorum Ecclesiae iurium ab illo practica recognitio.

7. Monopolium doctrinae tradendae penes Civilem Statum est omnino iniustum atque ad abusum usurpatum. Unde Ecclesia perfectum ius habet erigendi et aperiendi Scholas Primae atque Secundae Institutionis, ut aiunt; immo et Studiorum Universitates. Consequenter nec Status Civilis nec publici homines qui in illo sunt possunt sese opponere libero exercitio huius sacratissimi iuris Ecclesiae; multo autem minus si huiusmodi oppositio fiat ob fines apparenter honestos immo apostolicos, qui quidem pravi, politici et monopolium sapientes revera sunt.

8. Tum Ecclesia tum Civilis Status eosdem subditos regunt, quorum naturam destruere nequeunt; in eodem territorio operantur; et utriusque fines obiective ac necessario sese ad invicem referuntur. Nefas ergo est separationem Ecclesiae a Statu Civili, et vicissim, ut fit in diversis nationibus, tamquam perfectum exemplar propugnari.

Quae cum ita sint, iniqua et corrumpens est affirmatio quorumdam Statuum qui se atheos proclamant. Porro falsa et vana item est doctrinalis positio hominum gubernantium qui censent favere Ecclesiae cum amabiliter et bona consuetudine cum hac vivere curent.

II. *Pars disciplinaris*

9. Tempus per quod hic et nunc candidati ad sacerdotium in Seminario permanent, adhuc, meo quidem iudicio, breve est; et sic non perveniunt hi ad necessariam maturitatem pro tempore et adiunctis actualibus. Novellus sacerdos plurima omnis generis pericula subiit, ex una parte; et ex alia parte pro illo plurimi quoque exstant campi apostolatus prorsus inexplorati usque adhuc. Eius ergo mansio in Seminario protrahi debet. Meo quidem iudicio, aetas canonica ad Presbyteratum recipiendum non minus quam 26 annorum statui deberet.

Iam autem media ad praedictam maturitatem consequendam statim enumerantur:

a) Absolutis Philosophiae Scholasticae curriculis, cursus praeparatorius pro Sacra Theologia esse deberet. Esset utique cursus hic tamquam *prae-theologatus*. Et ordinaretur praecipue ad culturam spiritus, quin oblivisceretur studium aliquarum disciplinarum, quae essent veluti complementum earum iam antea traditarum; aut longe melius, veluti introductio ad praeparationem pro Sacerdotio. Aliunde in illo novo cursu tempus utique esset ad vincenda ultimo obstacula quae directe vocationi sacerdotali opponuntur; sicque candidati ad sacerdotium Sacram Theologiam adirent optimo quidem animo, ad efformandam sacerdotii recipiendi conscientiam, et ad adiscendam communicationem cum Deo, experimento comprobantes in sacerdote vitae sanctitatem supra scientiam utique esse debere. Tandem ita transitus ad Sacram Theologiam maiori reflexione ac ponderatione fieret; et candidati ad sacerdotium meliori modo sese disponerent ad formationem Theologatus acquirendam.

b) Cursus Sacrae Theologiae, qui hic et nunc passim quattuor tantum sunt, quinque in omnibus et singulis Seminariis esse oporteret; ut candidati ad sacerdotium ad praedictam spiritualem et apostolicam maturitatem valeant pervenire. Accedit quod in quinto cursu, qui impraesentiarum desideratur, possent sufficienter tradi disciplinae quae maiorem transcendentiam pastoralem habent; nempe: quae dicuntur Theologia Pastoralis Liturgica, Theologia Pastoralis Catechetica, Theologia Pastoralis pro sede confessionali ac pro animarum moderatione, Actio Catholica, et ceterae aliae.

c) Expediret utique ut Convictorium seu Post-Seminarium, ut dicitur, sanciretur ut obligatorium; ea lege ut novelli sacerdotes intra domum, ad hoc accommodatam, degerent, saltem per annum. Singulis autem diebus illi possent mane apostolatum paroecialem exercere; et vespere sese ad studium dicare, eorum praesertim quae experimentis propriis cognita fuere. Porro optandum foret ut Ecclesia Convictorii simul Paroecialis esset, quandoquidem locus proprius esset ad apostolatum sub prudenti moderatione exercendum.

d) Insuper, per quinquennium, omnes et singuli sacerdotes novelli in eodem praedicto Convictorio vitam et consuetudinem communem habere deberent semel in mense. Hic enim dies orationi, studio, et apostolico dialogo super experimentis vitae sacerdotalis dicatus omnino esset.

10. In non paucis sacerdotibus verus oboedientiae, paupertatis et castitatis spiritus desideratur. Immo non desunt — ut supra dixi —, qui clam vel palam haec sancta principia vitae sacerdotalis impugnant. Ideo oportet hanc saluberrimam doctrinam quantocius sollemniter ratam facere.

11. Propugnatur insuper in praxi quidam apostolatus *bonitatis naturalis,* ut ita dicam; qui quidem apostolatus expers omnino est vitae spiritualis. Haec autem quae « haeresis actionis » vocari potest, ducit ad negligendam orationem atque intimam et iugem cum Christo communicationem. Qui talia in praxi saltem tenent dicunt laborem esse orationem. Sic vero sensim sine sensu praetermittunt supra modum apostolatum confessionalis sedis, apostolatum catechismi, visitationem infirmorum, praedicationem utique simplicem et ingenuam verbi divini pro animarum christiana efformatione. Unde Mysterium Christi, a beato Apostolo Paulo edoctum, in praxi nullum est; siquidem Corpus Christi Mysticum secundum suum profundum ac vitalem sensum haud intelligitur, quatenus deest unio membrorum cum Capite.

12. Capitula Cathedralia in suo gemino munere, pro sollemniori cultu Deo in Ecclesia tribuendo, ac pro consilio Episcopo ferendo, generatim hic et nunc inefficacia deveniunt. Multum ergo interest ut quantocius haec Capitula renoventur atque reficiantur. Secus non erit illis ratio essendi, quatenus hanc perdiderunt.

Ecce autem potissimae causae huius lamentabilis horum Capitulorum status:

a) Testimonia secreta, quae expetuntur a Rev.mis Praelatis candidatorum qui ad certamen concurrunt pro ecclesiasticis beneficiis providendis, non sunt adeo sincera et explicita ut esse deberent. Consequenter vera candidatorum aestimatio multoties ignoratur.

b) Examen sive experimentum a candidatis subeundum pro dictis beneficiis possidendis nimis technicum est, et plus respicit ad formam exteriorem quam ad substantiam interiorem ecclesiasticae doctrinae.

c) Tribunal, quod efformat coetus Iudicum, pro concertatione candidatorum, quandoque minus convenienter eligitur; unde non rarum est aliquos iudices, rem praeiudicantes, partem alicuius determinati candidati aperte gerere, vel saltem intuitu rerum ac necessitatum supernaturalium non agere.

d) In provisione autem Canonicatuum qui *de gratia* vocantur, et sic gratiose, sine certamine, conferuntur, non attenditur quandoque praesertim, ut oportet fieri, ad virtutes et merita candidatorum pro meliori servitio Dei, Ecclesiae et Praelati.

13. Valde expediret ut exemptio Religiosorum succincta ac circumscripta maneret ad ambitum et mentem in Iure Canonico determinatam. Nam nonnulli Religiosi hanc suam exemptionem a Dioecesis Praelato ab eorum religiosa vita ad communicationem cum fidelibus Dioecesis extendunt et ad campum apostolicum generalem. Et sic accidit ut desit necessaria unio pro uberiori fructu apostolatus et fraternalis contactus etiam necessarius inter clerum saecularem et regularem.

Quod ad clerum saecularem attinet, hic contactus absque dubio valde conveniens est. Sed quod attinet ad regularem clerum oportet ut eius apostolicus labor sub benevola Episcopi moderatione fiat.

14. Organizationes apostolicae sese mutuo ignorantur. Ex quo fit ut aliae extra alias laborent, sese ad invicem praetermittendo. Circa hoc iam contactus habiti sunt, atque pretiosus dialogus initiatus est inter has Organizationes. Opus autem est unionem et mutuam comprehensionem firmare, in bonum omnium fratrum fidelium.

III. *Relate ad cultum*

15. Omne quod ad artem attinet hic et nunc in momento valde praestanti ac peropportuno est. Sculptura, Architectura et Pictura vitam ducunt transitionis, ut ita dicam, quin certam atque definitam positionem adipiscantur. Unde, ex una parte, multum interest invigilare super horum Artium manifestatione, et, ex alia parte, efformare studium et sensum artisticum. Et sic perutile erit:

a) Curare efformationem alumnorum Seminarii in rebus artisticis.

b) Instituere Commissiones Nationales pro Arte in quibus sint viri vera auctoritate in rebus hisce pollentes.

c) Instituere similes Commissiones Dioecesanas.

d) Efformare de his rebus Parochorum seu Rectorum Ecclesiarum

conscientiam, ut ipsi sponsores se sentiant de omni re quae in suis Paroeciis sive Ecclesiis ad artem spectant.

16. Opus est ut de novo recognoscantur libri orationum quibus in diversis locis utuntur fideles; ac insimul novendiales preces, et aliae devotiones; sicuti omne id quod ad cantum popularem attinet. Certe in his multa sunt quae sensus dumtaxat afficiunt, et quae vere morbosa evadunt.

17. Forsan quaedam formulae liturgicae nimis implicatae evadunt ac nimis prolixae; scilicet, formulae pontificales pro Altaris sive Ecclesiae consecratione; versus, responsoria et orationes in Litaniis Sanctorum; et aliae huiusmodi.

✠ PAULUS BARRACHINA ESTEVAN
Episcopus Oriolensis Lucentinus

35

EXC.MI P. D. SATURNINI RUBIO Y MONTIÉL
Episcopi Oxomensis-Soriani (Osma-Soria)

Burgo de Osma, 11 de enero de 1960

Emmo. Sr. Cardenal,

Tengo el honor de saludar a V. Emmia. y de enviarle algunas pequeñas sugerencias para el próximo Concilio Ecuménico — en respuesta a Su digna comunicación Prot. N. I C/59-965 de pasado junio —.

Al mismo tiempo me permito rogarle a V. Emmia. que tenga la bondad de disculparme el retraso: he llevado una larga temporada enfermo. Con mis mejores votos por la efficacia de los trabajos de V. Emmia. en favor del Concilio Ecuménico, de V. Emmia. humilde servidor

✠ SATURNINO RUBIO Y MONTIÉL
Obispo de Osma-Soria

In re disciplinari

I. *De Ecclesia in universum.*

A) Saepe numero desideratur Romanarum Congregationum maior « internationalizatio » ita ut Cardinalibus in Urbe ex Italica Natione alii plures ex externis adnumerentur. Maxime in votis est ut unaquaeque Natio saltem unum habeat in Urbe Cardinalem.

Quin immo, ut omnium populorum instituta etc. penitus et cognoscantur et intelligantur, optandum esset ut purpurae dignitate ornentur Episcopi munus obeuntes pastorale in populosis urbibus ita tamen ut frequenter universi Romae micarent consilia.

B) Optimum esse censeo valdeque opportunum ut scientiae Principum (praesertim illorum quorum opiniones inveniuntur disconformes sententiis Sapientium qui — veluti consultores — Romae adhibentur) iudicium multoties rogetur. Sic multum lucraremur: quia universae hominum mentalitates, temporibus magis (fortasse) accommodatae, in Curias confluerent. Nonne ex iudicii ampliore libertate (libertad de opinión) ab ipsa Ecclesia modo officiali propugnata felix commercium cum omnibus — etiam non catholicis — oriretur et Ecclesia a personalibus aliquorum opinionibus et conventiculis sese liberaret? Hoc, meo subdito iudicio, novae Congregationis erectionem exigeret quae universorum mentem scientiamque coniungeret.

Necessarium videtur ut in Ecclesia universali magna acies oriatur composita e magnis viris — praesertim e clero religioso desumptis — qui in philosophia scholastica praestantes et omnibus modernis mediis investigationis etc. praediti vires enixe impendant in scientiarum positivarum studiis.

Coetus etiam universalis desideratur qui disciplinis de orbis eventibus vacaret, qui censum haberet situationis omnium populorum eamque ad lumen modernae sociologiae religiosae studeret. Hoc maxime convenit ut leges Ecclesiae universales sint — in quantum potest — circumstantiis accommodatae.

II. *De dioecesibus.*

A) Spiritus familiae vel communitatis religiosae a Christo Domino in sua Ecclesia repositus et antiquis christianorum temporibus vigens, in hodiernis dioecesibus frigescit vel totaliter disparet. Urget vero ut character illud Dioecesis praevaleat hodiernae conceptioni Dioecesis tamquam statisticum organismum burocraticum.

B) Episcopi, senecta vel inutilitate — quacumque e ratione — confecti deberent (dummodo eorum fastigatae dignitati sit consultum parique uti queant hospitio) a munere prohiberi.

C) Frequentiores in dies plenioresque et sinceritate et generositate contactus inter Episcopos eiusdem Nationis imponantur: illi quidem ad invicem opem consilii (ut in Evangelii propagatione unanimi via — absque perturbato stupore vel scandalo fidelium — procedant), pecuniarum, sacerdotum etc.

D) In dioecesibus praesertim ubi non multa nec extensione nec fa-

cultatibus supersunt, regionalia seminaria collegiis circumdata a dioecesanis moderatoribus rectis erigenda erunt; ita praestantissimum locum in doctrina attingeremus, egregiis magistris refertaque bibliotheca et sumptus et homines et importunitates ad compendium conferentes, frueremur.

In ecclesiastica nationum territoriali partitione magnus rei cardo vertitur: apud minimam dioecesim dioecesis crescit ingens.

E) Fervide exoptandum ut clerici episcopi arbitrio valde sese committant et opus est legem antiquare quae sancit parochorum canonicorumque non remotionem, saltem facilem.

Loco conceptus medioevalis beneficii ecclesiastici subingrediatur conceptus servitii in favorem totius Ecclesiae. In ecclesiasticis beneficiis labor promptus et obsequiosus erga Matrem Ecclesiam superare debet honoris speciem. Muneris igniculus vincat remunerationis faciem.

Quot canonicorum obscurae memoriae capitula Episcoporum proposita subdola mente offenderunt! Utinam huiusmodi capitula supprimerentur vel saltem moderarentur!

F) Sacerdotes et saeculares et religiosi unanimes sint in labore. Religiosi etiam Episcopi rationabili arbitrio sint!

G) Tempora flagitant et in Dioecesanae vitae actionibus, in missionibus paroeciarum, in liturgicis motibus, in accendendo secernendoque pueros ad sacerdotium, in visitandis sacerdotibus ruralibus (ut eorum animos solitarios extolleret et eorum necessitatibus pareret) etc. alacris exigitur in dioecesibus phalanx (gruppo volante).

H) Piarum omnium societatum moderatorum conventus in dioecesi fiat. Episcopus enim in externis disciplinis artibusque, in illis quae operariorum animos subagitant vel quae typis mandantur vel periodice praelo excuduntur nonnulla ignorat et eorum e manibus complura elabuntur et tunc quemadmodum suum implentes ministerium sacerdotes, laici ita habiles inveniri possunt.

I) Infelix consuetudo evadit ut vicarii foranei apud multos honori, verbis quidem sed non re, tantum ducantur cum meliorem debeant tenere locum ad Curias exonerandas et ad melius negotia pluries agenda.

III. *De Paroecia.*

A) In urbibus populosis alia paroeciae structura est invenienda: non tantum de numero et extensione curandum quantum eae iuxta communia vitae munera et modus erigantur. Multae — ad hoc — paroeciae deberent creari; sed non magnifice condantur, usui tantum simpliciter servientes.

In iis etiam civitatibus, acies a paroecia ortas in non Ecclesiae pronos societatis ordines munus apostolicum expandat.

Universarum confraternitatum rectores in paroeciale comitium seu consilium, Ecclesiae auctoritate firmatum publica, veniant.

Plures activitates consimilium paroeciarum organismis « supraparoecialibus » commendentur.

IV. *In Sacerdotes.*

Ut terrena magis magisque despiciant, Evangelii praecepta sectantes, iam senibus victui necessaria eleganter suppeditanda sunt et facultates — si quid adversi acciderit — elargiendae. In adiunctis numero datis possent ita a lege removeri.

Nonne urget quaedam distributio aequitativa oeconomica inter sacerdotes?

V. *In laicos.*

Quamquam iam aliqua attigimus, haec numerabo: Associationum piarum tractatus iterata editio commendatur: momentum pluribus ex illis defuit et nova — ut Instituta saecularia — maiore contendunt ratione.

Recentem laicorum in Evangelii diffusione adventum seu magnum motum subiungere et adunare sub dictionem Episcoporum oportet.

Laicis leges condere in quibus praeprimis appareat notio et theologica et iuridica « laicus » et ne mere passive sed active (tamquam subiecta conscia et libera Ecclesiae) maneat ad administrationem, magisterium, cultus, aditus — servatis servandis —.

Peculiari nota in paroecia, dioecesi et ubique, subsidiaritatis principium distinguatur, quin praetermittatur quantum utilitatis praestet virium paroeciae vel dioecesis ordinata dispositio.

Ad exitum perducatur tractatus de paroeciae et dioecesis iure administrativo, in quo magnas partes — tamquam auxiliares — habeant laici.

Ferantur leges de scriptis in prelo et de modo agendi in hodiernis oblectationibus.

✠ SATURNINUS RUBIO Y MONTIEL
Episcopus Oxomensis

36

Exc.mi P. D. FRANCISCI X. LAUZURICA Y TORRALBA
Archiepiscopi Ovetensis (Oviedo)

Oveti, 18 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Quaesitis propositis in litteris circularibus istius Commissionis Pontificiae Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico diei 18 iunii 1959 (sub Prot. I C/59-794), re mature perpensa, collatisque consiliis cum viris ecclesiasticis peritis et prudentibus, nempe, Ill.mo Doct. D. Samuele Fernández Miranda, Praelato Domestico, Archipresbytero S.E.C.M.B. et Vicario Generali Archidioeceseos, Ill.mo Doct. D. Demetrio Cabo Pérez, Praelato Domestico, Can. Thesaurario S.E.C.M.B. et Iudice Ec.co et Metropolitano, Per. Doct. D. Beniamino Ortiz Román, Can. Archidiacono et Professore Universitatis Litterariae Civilis, Per. Lic. D. Iosepho Inclán Albuerne, Can. Poenitentiario et Professore Theologiae Dogmaticae in Seminario Dioecesano, Rev.do Lic. D. Feliciano Redondo Cadenas, Parocho Sancti Thyrsi et Vicario Foraneo civitatis et Professore Theologiae Moralis in Seminario Dioecesano, denique Per. Lic. D. Leocadio Alonso Crespo, Canonico S.E.C.M.B. et Professore Religionis in Lyceo Civili, liceat infrascripto Archiepiscopo Ovetensi, in Hispania, omni cum libertate et sinceritate vota et argumenta sequentia proponere:

I. *Ad doctrinae capita quod attinet*

a) Ut omnibus hominibus, maxime fratribus separatis, vera affulgeat natura Ecclesiae a Christo institutae opportunum videtur quod Concilium proponat, declaret et data convenientia, definiat « *naturam Ecclesiae, prout est corpus Christi, eiusque unicitatem et visibilitatem* », uti iam in votis habuerat Concilium Vaticanum pertractare ac definire.

b) Adversus serpentes errores *naturalismum* uno aliove modo propugnantes, supernaturalitas statuatur oeconomiae christianae. Sicque doctrina, quae iam definitioni parata erat in Concilio Vaticano, de elevatione primi hominis ad statum supernaturalem, deque huius status supernaturalitate, sententiis definitivis declaretur.

c) Ut satisfiat votis ac precibus fidelium qui saepissime omnibusque modis hoc a Sede Apostolica expoposcerunt, authentice declaretur Beatae Mariae Virginis Maternitas spiritualis, Eiusque universalis mediatio quoad gratias.

d) In re morali sollemniter definiatur Ecclesiae doctrina circa novissimam, quam vocant, theologiam moralem « de situación ».

e) Item aperte et indubitanter stabiliatur doctrina Ecclesiae circa Communismum consideratum ut systema doctrinale, morale et oeconomico-sociale.

II. *Ad cleri et populi christiani disciplinam quod attinet*

Data hodierna locorum intercommunicatione, videat Concilium num sit conveniens quod ecclesiasticae leges universaliores et uniformiores fiant, non tantum iure, sed facto, ideo ut tum clerici tum laici, ad quamlibet mundi catholici partem pervenientes, *eamdem agendi rationem* inveniant.

a) Ad cleri disciplinam specialius quod attinet, firmiter et indubitanter retento in omnibus circumstantiis coelibatu pro sacerdotibus, itemque habitu talari, saltem in nationibus catholicis, deliberet Concilium an temporum morumque mutatio exigant quamdam revisionem Tit. III, Lib. II, *C.I.C.* « de obligationibus clericorum ».

b) Ad instar Concilii Tridentini iubentis Seminaria erigi ad formationem clericorum, infrascripto Archiepiscopo opportunissimum videretur Concilium decernere ut nova Instituta — identica et uniformia pro tota Ecclesia — erigantur ad complendam formationem iuniorum sacerdotum in ordine ad maiorem efficaciam laboris pastoralis eorumdem sacerdotum necessitatibus odiernis accommodati.

c) Prae oculis habitis difficultatibus frequentioribus ex diversa interpretatione officiorum et iurium religiosorum exemptorum, simulque considerata urgente necessitate strictioris collaborationis eorumdem religiosorum in cura pastorali animarum pro pluribus dioecesibus exiguo numero sacerdotum saecularium laborantibus, numquid opportunum erit ut Concilium deliberet an venerit hora novi studii novaeque ordinationis iuris exemptionis?

III. *Quod auctuositatem multiplicis generis, qua hodie Ecclesia tenetur, attinet.*

Infrascripto Archiepiscopo opportunissimum videtur Concilium studere seduloque considerare quomodo Ecclesiae liturgica vita in populi christiani educatione magis magisque efficax evadere possit, ad quem finem proponit:

a) Attente perpendere an opportunum sit quod in sacramentorum administratione ea omnia quae directam in subiectum, testes vel populum

relationem dicunt, v. gr., interrogationes, animadversiones, etc. lingua vulgari magis quam latina manifestentur.

b) Statuere ut universalis norma quod *in omnibus et singulis Missis* quibus populus pro adimplendo praecepto accedit, brevis homilia, sive praedicata sive lecta, intercedat, fortasse praedicationis puncta in rubrica innuendo eodem modo ac factum fuit pro Missa in Coena Domini instaurati Ordinis Hebdomadae Sanctae, immo et homiliae durationem in casu praedicationis determinando, et textum in casu lectionis includendo, eo fine *ut nullus fidelis Missam audiendi praecepto satisfacere possit quin simul aliquam religiosam instructionem assequatur.*

c) In casu praxis de qua in numero praecedenti novum onus populo christiano inducere videatur, fortasse compensatio exinde evenire possit, quod praeceptum Missam audiendi et ab operibus servilibus abstinendi *restringatur ad dies dominicos tantum,* translatis ad hos dominicos dies quibuslibet aliis maioris momenti sollemnitatibus; quod quidem hodiernorum temporum agendi rationi et oeconomiae magis consonum apparere videtur.

d) Pari modo considerare fortasse oporteat an sit conveniens quod in amplioribus dioecesibus modo uberiori Sacramenti Confirmationis administrationi provideatur, digniores sacerdotes delegando, vel quovis alio modo a Sede Apostolica determinando, ad hoc ut omnes pueri ad idoneam aetatem pervenientes sine mora hoc Sacramento muniri valeant.

De auctuositate in apostolatu

Valde conveniens erit ut maior maiorque unitas in laicorum apostolatu appareat et revera detur. Ad quem finem:

a) ipsorum (laicorum) associationum numero limites apponi debent;

b) *unius Ordinarii loci* auctoritati explicito ac determinato modo omnia associationum genera externum apostolatum exercentium *revera* subiici debent.

IV. *Quod attinet ad negotia maioris momenti*

Considerare et studere Concilium oportet quomodo provideatur vocationibus tot tantorumque puerorum, quae lamentabili modo pereunt ob defectum mediorum sive materialium sive alius generis in locis ubi abundant, cum e contra aliis in locis media cuiusvis generis abundent et vocationes non exstant.

V. *Inter caeteras omnes res*

Numquid opportuna non erit revisio L. IV *C.I.C.* « de processibus »? Qua par est reverentia me profiteor Eminentiae Tuae addictissimum et obsequentissimum in Christo.

✠ FRANCISCUS XAVERIUS LAUZURICA Y TORRALBA
Archiepiscopus Ovetensis

37

EXC.MI P. D. IOSEPHI SOUTO VIZOSO
Episcopi Palentini (Palencia)

Palentiae, 20 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Acceptis venerabilibus Litteris Eminentiae Vestrae, datis die 18 iunii nuper elapsi, sub numero I C/59-983, munus mihi in eis delatum perlibenter adimpleo communicando isti Sacrae Pontificiae Commissioni quasdam animadversiones menti meae occurrentes circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari possunt.

1. In primis, ea omnia resumenda videntur quae iam in Concilio Vaticano proposita fuerunt et in eiusdem definitionibus aut praescriptionibus resolutionem aut sanctionem non susceperunt.

2. Itemque resumenda videntur praecipua capita doctrinalia, declarationes et praescriptiones quae a postremis Romanis Pontificibus tradita sunt et continentur sive in documentis et allocutionibus papalibus sive in Decretis et Instructionibus Sacrarum Congregationum, speciatim circa errores dogmaticos et morales nostri temporis et circa vim Magisterii R. Pontificis dum principia evangelica evolvit tum per Litteras cum in publicis Allocutionibus.

3. Expolienda pariter videntur principia doctrinae socialis Ecclesiae et ea omnia quae ad fidelium apostolatum auxiliarem spectant, praesertim ad eos qui militant in Actione Catholica aliisque similibus consociationibus, ut sunt Congregationes Marianae et Legio Mariae.

4. Magni momenti habenda sunt quae ad Cleri sanctitatem et aptam candidatorum selectionem et efformationem, ut dicunt, pertinent, et fovenda quae ad virtutes apostolicas, oboedientiam Praesulibus referuntur, etiamque criterium servitii Ecclesiae cum spiritu universalitatis, prout

necessitates temporum et locorum exigant, sine detrimento adscriptionis clericorum suis dioecesibus originis aut incardinationis.

5. Pro unione Orientalium dissidentium maxima caritas, benignitas et comprehensio erit necessaria; curandum ut assignetur eorum Patriarchis et Metropolitis sedes et functio congruentis excellentiae et dignitatis sive in conventibus et actibus sollemnioribus in Concilio habendis sive in numero Cardinalium S. Romanae Ecclesiae, sive in Conclavi pro electione Summi Pontificis; etiamque debitus respectus et reverentiae manifestentur erga pristinam disciplinam in antiquioribus Conciliis sancitam necnon erga venerabiles ritus, linguam et consuetudines veterum Ecclesiarum Orientalium atque antiquissimam organizationem Hierarchiae, cum electione Praesulum et provisione Ecclesiarum, semper vero cum debita subiectione Pontifici Romano.

6. Lex caelibatus pro iis qui ordinati et uxorati iam sunt, tam inter orientales quam inter novatores occidentales, personarum peculiaribus adiunctis aptanda videtur: pro aliis autem suaviter et fortiter disciplina Ecclesiae Romanae retinenda et applicanda est, nisi aliter sentiant Patres Concilii.

7. Magna cum sollicitudine providendum est speciali conditioni pastorum ecclesiarum occidentalium dissidentium, qui valide ordinati non sunt: si caelibes manent, per facilitatem ut apte instruantur et ordinentur, si velint, ritu catholico; si vero coniugati sunt et separari ab uxore (separari) nequeant aut nolint, per aliquod sacrum officium, veluti diaconale, aut per tonsuram et minores ordines, ut in ministeriis clericalibus cum sacerdotibus collaborent et ita victum familiarem acquirere valeant.

Haec sunt quae hodie proponenda mihi apparent et fiducialiter sincereque propono, dum Spiritum Paraclitum ferventer invoco ut Ss.mo Patri nostro, Papae Ioanni XXIII, et Commissionibus pro Concilio praeparando constitutis et in posterum constituendis, efficaces illustrationes et inspirationes abundanter tribuat in ordine ad maximam sollemnitatem et optimos fructus exspectati Concilii XX generalis, quod perillustre confidimus evasurum, inter omnia quae praecesserunt, pro Sanctae Ecclesiae unitate, honore et proventu.

Sacram Purpuram Eminentiae Vestrae interea ima veneratione deosculor meque profiteor humillimum servum S. Sedis Apostolicae.

✠ IOSEPHUS SOUTO VIZOSO
Episcopus Palentinus

38

Exc.mi P. D. HENRICI DELGADO Y GÓMEZ
Archiepiscopi Pampilonensis (Pamplona)

E civitate Pampilonensi, die 31 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Superiori consilio semper pronus liceat in adiunctis aliqua apponere quamvis probis ac doctis visa fuerunt opportuna ut in proximo Concilio Oecumenico tractentur praeter ea quae ad unitatem fidei in necessariis ut infideles universos et errantes ad Ecclesiam revocentur.

Eminentiae Vestrae Rev.mae
Add.mus
✠ Henricus Delgado y Gómez
Archiepiscopus Pampilonensis

De re dogmatica

1. Relatio inter naturale et supernaturale, cum determinatione valoris uniuscuiusque elementi, in deviationem naturalismi grassantis necnon et nimis corporis cultus.
2. Conatus gravitatem peccatorum imminuendi, ex psycologicis praecipue rationibus, atque tendentia ad supprimenda personalia peccata, eis subroganda socialia.
3. Status catholici notio ac vindicatio doctrinalis prae laicis, qui in peculiaribus adiunctis admitti possunt.
4. Relativismum dogmaticum vitare, doctrinam *Humani Generis* enucleando.
5. Cum Concilio Viennensi comparatio theoriae compositionis personae humanae ex corpore, anima et spiritu. Hylemorphismus.
6. Baptismus et sors infantium sine ipso decedentium.
7. Scholarum Ecclesiae definitio, an nempe tantummodo educatio a religiosis ordinibus vel saeculari clero praestita sit ecclesiastica.
8. Actionis Catholicae natura et scopus.

De re canonica, morali et pastorali

1. Liceitas belli cum debitis conditionibus stabiliatur.
2. Vis testamenti informis in favorem causae piae stabiliatur ad piorum conscientiam sedandam.

3. Privilegia religiosorum, praesertim virorum, minuatur, praesertim in rebus cum clericis communibus: receptio ordinum in diebus determinatis vel ante studia peracta, facultas celebrandi Missae sacrificium horis extraordinariis, dispensandi in lege ecclesiastica, etc.

4. Unio Congregationum eumdem finem persequentium et maior earum dedicatio ad missiones vel loca sacerdotum carentia.

5. Instaurare finem earum a fundatore amatum circa educationem pauperum vel rudium in oppidis, non nimis inhaerendo divitibus in Collegiis civitatum.

6. Religiosorum exemptio necessaria, cum Ordinarii auctoritate ad pastorale officium, aequa compositio.

7. Facultas ad Sacramentum Confirmationis conferendum ad Vicarios extendere convenit.

8. Quoad Missas fundatas amplior sit reducendi facultas apud Ordinarium.

9. Parochi remotio expeditior fiat.

10. Festa de praecepto intra hebdomadam ad Nativitatem Domini reducantur, caetera ad dominicam transferendo.

11. Reductio officii divini ratione occupationis.

12. Perutile erit ad unitatem redigere errores, per oppositionem ad dogma redemptionis.

13. Nationalismus religiosus vitetur ut melius appareat unitas religionis catholicae in universa terra.

✠ Henricus Delgado y Gómez
Archiepiscopus Pampilonensis

39

Exc.mi P. D. IOANNIS P. ZARRANZ Y PUEYO
Episcopi Placentini (Plasencia)

Placentiae, die 28 octobris 1959

Sincere doleo quod praesens responsum ad venerandam Epistolam istius Pontificiae Commissionis (I C/59-1035) nimia admodum mora mittatur. Quod quidem non tribuendum est negligentiae, sed specialibus adiunctis quibus praepeditus responsionem antehac exarare non potui. Absens enim fui a dioecesi tempore aestivo, quo praefata Epistola huc pervenit: semel in dioecesim reversus, implicatus urgentibus mini-

sterii pastoralis occupationibus, vix ac ne vix tranquillam horam inveni qua, opportuno tempore mittendam, responsionem conficere mihi liceret.

At ne amplius procrastinetur ex nostra parte tam gravis simul ac dulcis officii adimpletio, en aliquot simplices animadversiones ecclesiasticam disciplinam attingentes, omissis brevitatis gratia aliis non paucis quae menti obveniunt, quaeque non dubito quominus ab aliis Episcopis iam exposita fuere.

A) *De disciplina Cleri in genere*

Minime praetermissa hodiernis rerum exigentiis prudenti accommodatione, operae pretium erit roborare ac firmare *sensum* disciplinae in utroque Clero, praesertim iuniore, super fundamentum virtutum traditionalium asceseos sacerdotalis, videlicet humilitatis, abnegationis, oboedientiae, plenissimae submissionis auctoritati hierarchicae, etc. ita ut compescatur spiritus audaciae, autosufficientiae, hypercritices, nimii amoris « novitatum », etc. qui apud quosdam coetus seu sectores, iuniores inquam, utriusque Cleri nostris hisce diebus fere ubique pullulat, non sine magno periculo.

B) *De lingua latina*

Usus traditionalis linguae latinae, tam in liturgia quam in excolendis et tradendis ecclesiasticis scientiis, toto nixu foveri ac sustineri debet. Insimul promoveatur pro viribus apud christianum populum intelligentia et vitalis participatio in liturgicis actibus.

C) *De reformatione Officii divini*

Maxime optanda reformatio et accommodatio Breviarii, ita ut sacerdotali pietati suave solidumque pabulum, immo et praecipuum nutrimentum praebere possit.

D) *De impedimentis matrimonialibus*

Quaedam matrimonialia impedimenta *de facto* numquam urgentur in praxi et dispensantur facillime toties quoties dispensatio petitur. Hinc fit ut hodierna lex impedimentorum, prout exstat, videatur carere fine aliquo, inutilisque reddatur, deficiente stabilitate et firmitate propria verae legis.

Optanda proinde videtur aliqua reformatio huiusmodi legis impedimentorum matrimonialium, per congruentem reductionem, suppressionem, derogationem, etc. quorumdam impedimentorum minoris momenti.

E) *De Iure poenali Ecclesiae*

Videtur item optanda revisio quaedam et simplificatio iuris poenalis Ecclesiae, prout in Libro V *C.I.C.* continetur. Liber V nimiam molem exhibet, non respondentem practicae utilitati, atque materiam continet sat implexam ac fere omnibus sacerdotibus imperviam.

De facto maxima pars horum canonum vix ullam applicationem habent, attenta facilitate inducendi « casum urgentiorem », et perspectis aliis exceptionibus quae in ipso Codice praevidentur, ut periculum mortis, etc.

Agitur insuper (quod et de Libro V dici potest) de legibus adiectivis, quae vel simplificari possunt, vel saltem extra Codicem proprium locum invenire queunt: dum leges sustantivae, trium nempe priorum Codicis Librorum, perfici amplius complerique possunt, et fortasse indigent.

F) *De Institutis Religiosis*

a) Ultimis temporibus quamplurimae novae Congregationes Religiosae tam virorum quam praesertim foeminarum institutae sunt, et in dies continuo multiplicantur.

Cum fines plurimarum Congregationum sint paralleli, immo et frequenter identici, v. g. institutio iuventutis, assistentia caritatis in hospitalibus, etc. nonne conveniens foret ut inutilis multiplicatio Congregationum aliquatenus compesceretur, et illae, quae fines similes vel identicos prosequuntur, ad *quandam formam superioris unitatis* reducerentur? Hinc non parum beneficii obventurum, absque dubio, pro efficacitate activitatis apostolicae et vigore uniuscuiusque harum efformationis et organizationis.

b) Quidquid sit de possibilitate praecedentis indicationis, quam maxime interest ut unaquaeque Congregatio fidelissimam sese exhibeat peculiari « spiritui » et obiecto ad quod prosequendum fuit instituta. Fere omnes Congregationes hodie conspicimus a proprio et peculiari obiecto deviantes, atque activitatibus, quae prorsus alienae sunt a primaeva intentione Fundatorum, incumbentes. (Quod praesertim de feminarum Congregationibus asseritur: omnes docent, omnes Collegia puellarum condunt, etc. etsi primaeva intentio Fundatricis valde diversa fuit).

c) Relate ad Moniales quae vitam contemplativam ducere debent ex proprio instituto, sedulo est ne nimio ardore et dedicatione ad laborem manualem — aliunde maxime convenientem dummodo moderetur prudenter — impediantur ab oratione, propter corporalem defatigationem, anxietatem spiritus, ad externa et quasi mercatoria negotia attentionem,

quibus frequenter implicantur. De cetero reformatio profundior Monasteriorum Monialium, quae formam exhibent « medioevalem » nec nostris temporibus accommodatam, forsan desideratur.

d) Quod attinet ad viros religiosos, maxime ad eos qui apostolatum exercent: ut iugior et efficacior eveniat unitas hierarchica Ecclesiae, maioresque fructus apostolici obtineantur, videtur optanda maior illorum dependentia — seu exemptorum seu non exemptorum — ab Ordinario loci, cui subiiciantur oportet in omnibus quae ad externam activitatem apostolicam referuntur, salva propria Instituti independentia in his quae vitam internam ipsius afficiunt. Negotium quidem arduum, at ut arbitror in praxim reducendum.

e) Sunt nonnullae Congregationes laicales (virorum, ut palam est) quarum Religiosi, ob efformationem tam intellectualem quam spiritualem qua potiuntur, videntur aptissimi ad sacerdotalem gradum ascendendum, quo perpetuo privantur, non sine intimo dolore plurimorum, qui toto corde, at incassum, Sacerdotium rectissime ambiunt, quo in propriis Collegiis uberiores fructus in puerorum educatione obtinerent. Non raro, praesertim in Americae partibus, horum Collegia privantur necessaria assistentia sacerdotali, etiam minima, vel tantummodo inadaequatam obtinent.

Data exiguitate Sacerdotum quae in praesentiarum existit fere ubique, optandum videtur ut talibus Religiosis via facilis pandatur ut qui debita praeparatione potiuntur ad Sacerdotium tandem aliquando ascendere possint.

(Sic dico de Fratribus « La Salle », « Champagnat »... tam benemerentibus de Ecclesia).

Haec dum pando pro officio meo ad Pontificiam Commissionem antepraeparatoriam Pro Concilio Oecumenico, vota precesque ad Deum dirigo optimos fructus adprecando futuro Concilio, in maximum Ecclesiae bonum atque in laudem gloriae Eius.

✠ IOANNES PETRUS ZARRANZ Y PUEYO
Episcopus Placentinus in Hispania

40

Exc.mi P. D. FRANCISCI BARBADO Y VIEJO
Episcopi Salmantini (Salamanca)

Salmanticae, die 15 novembris 1959

Em.me ac Rev.me Domine,

Pergratum mihi est Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico argumenta quaedam in Concilio prae primis pertractanda innuere.

Pontificiae Universitatis Salmanticensis ampliori studio res subiicitur, variis Professorum Commissionibus pro varietate materiae (dogmaticae, moralis, biblicae, pastoralis, etc.) nominatis, quarum conclusiones Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae suo tempore mittenda erunt.

Haec dum communico Sacram Purpuram reverenter deosculor et libenter me profiteor Eminentiae Vestrae Rev.mae

dev.mum atque obs.mum servum
✠ Franciscus Barbado y Viejo
Episcopus Salmantinus

Perpauca sunt quae sive in doctrinalibus sive in rebus de vita christiana a vigilanti Ecclesiae magisterio ordinario non sint nostris temporibus sufficienti modo edocta, ita quod tum doctores tum fideles bonae voluntatis doctrinam Ecclesiae faciliter haurire possunt.

Auctoritate tamen Concilii Oecumenici fulcita ac novo modo proposita ac expleta ad unitatem doctrinalem et practicam in Ecclesia plurimum conferent.

Sequentia sunt quae mihi nunc in Concilio tractanda occurrunt:

1. De moderno naturalismo, pelagianismo periculosiori.

2. De valore rationis humanae in cognitione veritatis, v. gr. principiorum contradictionis, causalitatis, etc. (adv. hodiernos relativistas).

3. De vi rationis humanae in cognitione Dei (adv. agnosticismum hodiernum).

4. De vera hominis natura, anima rationali et corpore constituta (adv. doctrinam Güntherianam ab hodiernis philosophis, v. gr. Ortega y Gasset in Hispania, propugnatam).

5. De vera notione veritatis, utpote adaequatio mentis et rei obiectivae (adv. hodiernum vitalismum et relativismum).

6. De vera fidei natura, utpote verus assensus intellectus (adv. vitalismum et irrationalismum in fide religiosa a neomodernistis propagata).

7. De peccato originali eiusque trasmissione (adv. novam theologiam).

8. De eucharistica Transubstantiatione (id).

9. De valore Evangeliorum in tradendis factis et doctrinis D. N. Iesu Christi (adv. plures exegetas hodiernos, quosdam etiam catholicos).

10. De Mediatione universali B. V. Mariae in elargitione gratiarum declaranda.

11. De laicismo.

12. Quid circa socialismum et communismum ab omnibus tenendum sit.

13. De sacerdotali formatione in Seminariis et religiosorum domibus.

14. De clericali caelibatu roborando.

15. De statu oeconomico clericorum.

16. De usu linguae vulgaris in administratione Sacramentorum. Item in celebratione Missae in illis partibus sacerdoti non reservatis. Quid de « Communicantes » in Canone?

17. De Breviario in simpliciori forma redigendo, praesertim in illis partibus a ritu chorali oriundis.

18. De ratione agendi laicorum in apostolatu. Ubi de Actione Catholica.

19. De confessionalitate Statuum: de libertate cultus religiosi, etc. De relationibus inter Ecclesiam et Statum.

20. Ut reafirmetur, etiam pro temporibus hodiernis, valor Syllabi auctoritate Pii Papae IX confecti ac promulgati.

Ut quae post Concilium Vaticanum a Summis Pontificibus edocta fuerunt in unum colligantur et roborentur, licet non modo dogmatico, et conficiatur series thesium doctrinalium, ad modum Syllabi, sed modo positivo, scilicet docendo potius quam errores proscribendo, et quidem modo nostrae aetati convenienti.

Quae vero ad unionem Ecclesiarum attinent a Patribus nationum mixtae religionis proponenda erunt. In Hispania et America latina maxime interest protestantium adversum Ecclesiam Catholicam propagationem constringere.

✠ FRANCISCUS BARBADO Y VIEJO
Episcopus Salmantinus

41

EXC.MI P. D. ANDREAE D. PEREZ CACERES

Episcopi Nivariensis (San Cristobal de La Laguna, Tenerife)

S. Christophoro de Laguna, 19 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Responsionem tradere Eminentiae Vestrae scripto N. 1 C/59-1177 signato, mihi pergratum est.

Cum Summus Pontifex Ioannes XXIII fel. regn., Episcoporum, Sacerdotum ac totius Ecclesiae Pater, sollicitudine zeluque animarum aestuans Oecumenici Concilii celebrationem universo mundo nuntiaret, Nivariensis nostra Dioecesis magno gaudio exultavit et, ex corde huic eventui adhaerentes, Deo Omnipotenti luminum Patri enixe oravimus ad sacrosanctos Concilii fines assequendos, ex quibus bona ac remedia quae Sancta Mater Ecclesia consequi hodiernis oportet temporibus, certe eruentur.

Dioecesis nostra, in fide catholica perseverans, amplio mari circumdata et a magnarum urbium periculis vere segregata, sub auspiciis Beatissimae Virginis Mariae antequam Insulae christianum cultum amplecterentur iam veneratae, aliquo modo ab universalium malorum radicibus feliciter est liberata.

Haec populi nostri privilegiata conditio atque catholicitatis suae rite proficientis status, causae sunt cur speciales quaestiones in Oecumenico Concilio tractandas non habeamus.

Vehementi expectamus desiderio praedicti Concilii adventum ut, pleno obsequio, transcendentes definitiones ac disciplinares decisiones Ecclesiae animarumque bono profuturae, Summo Pontifice approbante, corroborentur.

Interim devotos aestimationis sensus Eminentiae Vestrae profiteor et reverenter Sacram Purpuram deosculor.

✠ ANDREAS DOMINICUS PEREZ CACERES
Episcopus Nivariensis

42

Exc.mi P. D. IACOBI FONT Y ANDREU

Episcopi S. Sebastiani (San Sebastián)

Sancti Sebastiani, die 20 octobris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litteris mihi datis ab Eminentia Vestra die 18 iunii proxime elapsi, sub prot. N. 1 C/59-1202, reverenter acceptis, Eidem mitto animadversiones et vota quae opportuna mihi videntur circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari possunt.

Indulgeat quaeso Eminentia Vestra quod aliquantulum morosus fuerim in responsione. Id involuntarie accidit; variis enim de causis illam perficere nequivi.

Cuncta fausta Em.mae Vestrae exoptans eiusque S. P. reverenter deosculans, me profiteor

addictissimum in Domino
✠ Iacobus Font y Andreu
Episcopus Sancti Sebastiani

1. Episcopi, et cum eis clerici populusque fidelis, valde exoptant ac suppliciter petunt ut in Concilio definiatur tamquam dogma ab omnibus tenendum, *mediatio universalis Virginis Mariae, Matris Dei et nostrae, dispensatrix omnium gratiarum,* prout iam anno 1913 exposcitum fuit Pio X ab Em.mo Card. Mercier, a Facultate S. Theologiae Universitatis Lovaniensis et a religiosis totius nationis Belgii.

2. Iidem exoptant et petunt ut in Concilio tractetur et definiatur quaestio de auctoritate Episcoporum, speciatim cum efformant *unum corpus et sub Romano Pontifice.*

3. Videtur specialis attentionis digna quaestio de *arte sacra moderna,* a forma traditionali valde aliena, quae in nostris ecclesiis incipit adhiberi, tum quoad architecturam tum maxime quoad imaginum picturam aut sculpturam. Si enim suppressio imaginum B. V. M. et sanctorum (sola remanente cruce, quandoque sine crucifixo) quae in templis catholicis in dies invalescit, errorem protestantium sapere videtur, timendum est ne usus imaginum arte abstracta aut nimis moderna confectarum, fidelium devotionem auferat quin etiam aversionem gignat

erga sacras imagines tali stylo depictas vel sculptas, cum periculo incidendi in abusum iconoclastarum.

4. Cavendum est ne inter nos prevaleat illud genus pseudoliturgiae quod, sub specie doctrinae theologicae magis depuratae, in causa est ut minus aestimetur Sacrum Tabernaculum nec non cultus adorationis eucharisticae, Rosarii marialis, aliarumve praxium piarum quae a Sancta Sede populoque christiano magni fiunt atque innumeris indulgentiis ditatae existunt.

5. Optandum sane est ut vera et exacta tradatur doctrina circa naturam et extensionem apostolatus saecularis, ne ob nimiam aestimationem eiusmodi apostolatus, subaestimetur a christifidelibus dignitas et actuositas sacrae Hierarchiae.

6. Itidem res videtur maximae attentionis digna ut tradatur vera et clara doctrina circa praxim continentiae periodicae, eo quod praxis haec frequentissima existat hodiernis temporibus, et non sit adhuc concors auctorum sententia super eiusdem liceitate. Ad hunc finem mitto Adnexum n. 1.

7. Fortasse opportunum est ut a Concilio detur universale decretum determinans genus laborum prohibitorum in diebus dominicis et festis de praecepto; magna siquidem datur hac in re confusio et opinionum disparitas inter auctores, cum magno scandalo ac disciplinae detrimento. Circa hanc quaestionem mitto Annexum n. 2.

8. Ad roborandam inter clericos disciplinam valde utilis foret instructio conciliaris circa verum sensum et valorem *oboedientiae* et *personalitatis*. Etenim sub influxu theoriae obedientiae sic dictae rationalis, facile invalescit praesertim inter clericos iuvenes, contemptus legum ac normarum Superiorum tum ecclesiasticorum tum civilium, quae ipsis non placent. Idem dicere opportet de nimio *personalitatis* cultu qui facile degenerare solet in autosufficientiam, superbiam intellectualem et independentiam.

9. Meo iudicio audiendi non sunt qui petunt mutationem habitus ecclesiastici in locis ubi talaris adhibetur. Apud nos res esset aerumnarum plena. Populus fidelis magni facit habitum talarem illumque honorat; et quoad clericos res certa est quod si « habitus non facit monachum », illum a multis periculis tuetur.

10. Multo minus audiendi sunt (inter nos certe non dantur) qui pugnant pro abolitione caelibatus ecclesiastici qui semper habitus fuit tamquam ornamentum sacerdotii catholici et aestimatus ut efficacissimus ad apostolatum.

11. Neque etiam approbo sensum illorum qui pugnant pro usu linguae vernaculae in Missae sacrificio celebrando ut melius possit intelligi

a christifidelibus. Praeterquam quod praxis eiusmodi magnopere officeret unitati, in locis ubi viget duplicitas linguae vernaculae, ansam preberet confusioni, controversiis et divisioni. Hoc possum asserere de propria experientia.

12. E contra opportunum duco ut simplificetur aliquantulum magis Officium divinum a sacerdotibus recitandum, eo fine ut, ob magnam activitatem cui nostris temporibus vacare debent, non deserant, excessivi laboris causa vel pretextu, piam mediationem quae est et erit semper unum ex praecipuis vitae sacerdotalis alimentis.

13. Tandem mihi videtur fore valde utile ut a Concilio vel saltem occasione Concilii conficeretur, ad instar Syllabi Pii IX vel Decreti « Lamentabili » Pii X, elenchus errorum magis vulgatorum in re philosophica, theologica, morali, biblica, liturgica et sociali, cum uniuscuiusque censura.

Annexum N. 1

Quaenam est moralis continentiae periodicae malitia?

Pius XII [1] clare affirmat, in Allocutione iis qui interfuerunt conventui unionis Catholicae Italicae inter Obstetrices, Romae habito,: « continentiam periodicam licitam esse, etiam per totam vitam matrimonialem, si causa *gravis* tamdiu perdurat ». Quaestio igitur restringitur ad casum usus continentiae periodicae sine *gravi motivo* habitualiter et permanenter, vitando prolem et constanter utendo facultate illius propria et unice in matrimonio licita.

Responsio fit per partes: A) Omnes tenent esse grave peccatum: 1) Si deficit consensus alterius coniugis, quia violatur eius ius in re gravi; 2) Posito mutuo consensu, si diebus fecunditatis adesset periculum proximum incontinentiae pro alterutro; 3) Si ex hoc usu sequeretur periculum notabilis diminutionis mutui amoris.

B) Sepositis his omnibus et aliis circumstantiis finium particularium alterutriusque, respondemus. Omnes fere theologos ante allocutionem Papae ad Obstetrices 29 oct. 1951 tenere esse peccatum saltem venialem usum sine causa sufficienti, et hanc doctrinam fuisse longe communiorem inter theologos non potest in dubium vocari. Alii e contra tenebant esse peccatum mortale. Paucissimi asserebant nullum esse peccatum.

---

[1] *A.A.S.* 43 (1951) 846.

Quid igitur post praedictam allocutionem Pii XII

Non una est documenti pontificii DD. interpretatio. Varios casus distinguere oportet.

a) Quale peccatum committunt coniuges sine ulla prole, qui excludunt sine *gravi* causa usum matrimonii in diebus fecundis per totam vitam vel equivalenter et habent intentionem utendi illo diebus unice sterilibus per idem tempus?

1. Aliqui auctores de peccato mortali non constare statuunt: Ita Regatillo arguit: « *a*) talis erat ante predictam allocutionem sententia fere communis; *b*) aliud videtur deordinatio contra sensum vitae coniugalis, aliud grave peccatum in conscientia; *c*) ipse Pius XII frequentes admittit causas ab omni culpa excusantes ».[2]

b) P. Leo Babbini respondet casui proposito: « sine causa gravi probabiliter onerat conscientiam coniugum peccato mortali ».[3] Et infra, in eadem ephemeride, addit: « unde cogito posse adhuc disputari utrum exclusio prolis deliberata, perpetua et non fundata super motivis *gravibus* sit vel peccatum mortale, et an id semper sit ».[3] Ratio allata est, quia satis providetur augmento propagationis et conservationis generis humani ex instincto paternitatis existente in coniugibus, et non est necessarium ut singula matrimonia generent prolem. Itaque secundum hos duos auctores probabiliter non est peccatum mortale uti matrimonio solis diebus agenesicis sine causa gravi.

2. Plurimi auctores tenent post allocutionem pianam esse peccatum grave in coniugibus, prolem non habentibus, illam per totam vitam excludere utendo matrimonio unice diebus sterilibus. Ita S. Pani,[4] Oggioni,[5] Hürth,[6] nam dicit « posse peccari mortaliter excludendo prolem sine causa proportionate gravi »; Mondría [7] affirmat: « sine *ratione proportinate gravi* importaret *peccatum grave;* probabiliter etiam quamvis intentio complecteretur partem tantum, sed notabilem temporis fecunditatis »; Adami, apud Babbini,[8] et alii, quibus nos calculum nostrum adiicimus. En rationes desumptae ex ipsa allocutione Papae.

---

[2] REGATILLO-ZALBA, *Theol. Mor. Summa,* t. III, n. 998.

[3] LEO BABBINI, *Palestra del Clero,* 31 (1952) 244; 1951, 972.

[4] S. PANI, *Palestra del Clero,* t. 3 (1951) 1153-54.

[5] OGGIONI, *Rivista del Clero Italiano,* t. 33 (1952) 58-59.

[6] HÜRT, *Period. de re mor., can. et lit.,* t. 4 (1951) 421 s.

[7] FERRERES-MONDRIA, *Theol. Mor.,* II, 1087. J. CLAVEQUIN, *Le devoir du fecondité du foyer chrétien,* Am. Cler. 66 (1956) 384-391; McCarthy et Diamond citati in *Theolog. Studies* 14 (1953) 55-56.

[8] L. BABBINI, *l. c.,* t. 31 (1952) 243.

3. « Moralis modi agendi coniugum liceitas affirmatur vel negatur, prout eorum intentio observandi constanter tempora agenesica fundatur vel non super causis (seu motivis) moralibus sufficientibus et securis ».[9] Iam vero haec liceitas seu honestas est de *re gravi,* quia Papa ad excusandum ab implenda obligatione coniugibus incumbente generandi prolem, ideoque et a peccato, si obligati non implent, semper exigit *causam gravem* (gravi motivi, grave motivo, simili gravi ragioni).

In Theologia Morali causae graves, rationes graves, motiva gravia solum exiguntur ad excusandum ab impletione gravis obligationis, non levis, et ad vitanda peccata mortalia, non venialia. Cum autem Papa exigat causam gravem, ut licite agant coniuges utentes matrimonio in solis diebus agenesicis constanter, sequitur ipsos ita sine causa gravi agentes peccare mortaliter.

Probandum igitur est Papam exigere semper *causam gravem* ad excusandum a peccato tales coniuges. Ita patet ex argumentis ab ipso Papa allatis, scilicet:

a) *Ex ipso statu vitae matrimonialis.* Lex huius status est: 1) sicut confert uxoratis certa iura 2) ita imponit eis praestationem cuiusdam operis positivi (prolis nempe), respicientis ad statum ipsum. Agitur, proinde, de lege positiva seu de praestatione positiva solvenda. Sed notetur bene, quod, secundum Papam, haec praestatio potest, sicut in qualibet lege positiva, aliquando omitti, sed solum si *causae graves,* « gravi motivi », independentes a bona voluntate eorum ad hanc praestationem obligatorum, ostendunt eam non posse opportune exigi in tali casu, probant creditorem (genus humanum, hic) non posse ex aequitate illa petere. Ergo coniuges, nullam habentes prolem et sine causa gravi hanc negantes ratione continentiae periodicae constanter exercitae, peccant mortaliter.

b) Sed dicet aliquis. Numquid omnes coniuges non habentes filios peccant mortaliter? Non. Papa restringit ad coniuges *utentes matrimonio,* iure nempe, quod coniuges habent ex suo vero et valido matrimonio sastifaciendi inclinationem naturalem modo legitimo. Ideo qui in matrimonio servant castitatem sunt extra hanc quaestionem. En verba Pii XII: « Coniugibus *utentibus* actu specifico sui status, unione sc. maritali, natura et Creator imponunt functionem [obligationem] providendi humani generis conservationi seu solvere praestationem propriam, caracteristicam status matrimonialis... *bonum prolis.* Nam individuum et societas, populus et status, Ecclesia ipsa quoad eorum exsisten-

[9] *A.A.S.,* t. 43 (1951) 845-846.

tiam pendent a fecunditate matrimonii. Unde inire matrimonium, et, ex una parte, uti sine interruptione facultate status matrimonialis propria et unice in ipso licita, et, ex alia parte, se *substrahere semper et consulto,* nulla *causa gravi* existente (« *senza un grave motivo* »), et hoc cohonestante, ab impletione sui officii primarii est peccare contra vitae coniugalis sensum ipsum », seu naturam, ut vertit Springhetti.[10] Iam vero vitae coniugalis sensus ipse seu natura ipsa non est in se res parvi, sed magni momenti. Peccare, igitur, coniuges praecise, non implendo suum primarium officium coniugale contra vitae coniugalis naturam ipsam, est deordinatio, non parvi sed magni momenti. Ideo Papa exigit causam gravem ad hanc deordinationem vitandam. Ergo ni velimus verba Papae suo proprio significato destituere tenendum est tales coniuges peccare mortaliter.

1. Dices cum P. Babbini, « Contra naturam ipsam vitae coniugalis peccari potest leviter et graviter ». Distinguo. Si res in abstracto consideretur, sub qua abstracta consideratione cadunt res leves et graves contra naturam ipsam vitae coniugalis, concedo. Si res consideretur in concreto nostri casus, negatur omnino. Ideo Papa, ut notavimus, exigit *rationem gravem, motiva gravia,* ad usum constantem continentiae periodicae ut vitetur peccatum [letale].

2) Ad rationem ab ipso P. Babbini additam: « dato il continuo aumento della popolazione del mondo, non si vede la necessità, da parte delle singole coppie, di provvedere alla conservazione del genere umano. Tale obbligo esisterebbe se la popolazione mondiale, invece di essere in aumento, fosse in notevole decrescita. Caso a cui non si arriverà forse mai, perchè l'istinto della paternità e della maternità sono così profondamente e naturalmente radicati nel cuore degli uomini, che gli sposi vogliono ordinariamente avere figli ».[11]

Resp. Iam diximus coniuges servantes castitatem non teneri ad solvendam praestationem prolis, sed tantum illos, qui facultate venereorum utuntur. Certum est praestationem prolis a matrimoniis fecundis necessariam esse ad existentiam et conservationem generis humani, sed Papa non deducit obligationem solvendi hanc praestationem ex augmento vel diminutione multitudinis humanae, sed ex *usu iuris specifici* matrimonialis. Ideo si ii coniuges, isti et illi concreti, utuntur facultate venereorum unice in matrimonio licita; ideo omnes ipsi iidem concreti tenentur ad praedictam praestationem prolis independenter ab eo quod alia ma-

---

[10] AEM. SPRINGHETTI, S. I., Univ. Gregorianae Professor, Romae, *Period. de re mor. can. et liturg.,* 40 (1951) 371.

[11] L. BABBINI, *l. c.* 972.

trimonia individua, concreta, numerosiorem praestent prolem, et ita augeatur genus humanum. Horum generosior prolis praestatio non excusat illos, nisi ii causam *gravem* habeant excusantem, a sua propria obligatione implenda; sicut non excusatur catholicus non habens causam gravem excusantem ab audienda missa in die festo ex eo quod vicinus eius audiat vel plures missas in die festo aut in diebus ferialibus.

3. Ad rationes P. Regatillo. Ad *a*) Plures scriptores ante allocutionem Papae docentes peccatum leve esse continentiam periodicam sine causa gravi, nunc dicent esse peccatum grave, ut Oggioni, Adami, Ferres-Mondrìa, Pani et alii.

b) Aliud videtur esse contra sensum vitae coniugalis, aliud grave peccatum in conscientia. Negatur in hoc casu concreto, ut supra dictum est in responso ad 1.

c) « Ipse Pius XII agnoscit frequentes causas ob omni culpa excusantes » Distin. Si his verbis vis dicere Pium XII agnoscere plures causas *graves* ab omni culpa excusantes, conc.; si vis dicere Papam agnoscere plures causas non graves ab omni culpa, in nostro casu, excusantes, nego. Pius XII agnoscit quattuor genera causarum « ex indicatione » quam dicunt, medica, eugenica, oeconomica et morali. Sed causae excusantes ab omni culpa ex singulis his generibus desumptae « debent esse ex iudicio prudenti iustoque *graves,* sive hae causae sint personales sive profluentes ex circumstantiis extrinsecis allatis.[12] Ergo eo ipso quod Papa exigit motiva gravia ad excusandum ab omni culpa, implicite docet *culpam causa gravi excusandam* esse *gravem.*

4. Confirmatur. Natura obligationis implendi praestationem debet esse proportionata naturae iuris, cui respondet. Ius autem licite utendi venereis in matrimonio est magni momenti in vita humana. Patet « ex magna dificultate servandi castitatem; ex gravitate luxuriae directe quaesitae »; ex facilitate quam habent uxorati se immunes a tali vitio servandi et simul fruendi maxima tactus delectatione... Ergo tam magno iuri concesso respondere debet magna obligatio seu *gravis* obligatio

---

[12] A.A.S., *l. c.,* p. 846. En verba S. Pontificis: « Da quella prestazione positiva obbligatoria possono esimere, anche per lungo tempo, anzi per l'intera durata del matrimonio, *seri motivi,* come quelli che si hanno non di rado della " indicazione " medica, eugenica, economica e sociale. Da ciò consegue che l'osservanza dei tempi infecondi può essere *lecita* sotto l'aspetto morale; e nelle condizioni menzionate è realmente tale. Se però non vi sono, secondo un giudizio ragionevole ed equo, simili *gravi ragioni* personali o derivanti dalle circostanze esteriori, la volontà di evitare abitualmente la fecondità della loro unione, pur continuando a soddisfare pienamente la loro sensualità, non può derivare che da un falso apprezzamento della vita e da motivi estranei alle rette norme etiche ».

praestandi fructum usus talis magni iuris. Et ita intelligitur cur Papa exigat *causam gravem* ad excusandum a tali obligatione.

B) *Quale peccatum est post unum vel duos filios habitos servare sine causa gravi continentiam periodicam perpetuam vel aequivalentem?*

Duplex etiam hic datur sententia: P. Babbini [13] asserit esse peccatum leve; Dres, Oggioni, Adami,[14] et alii esse peccatum grave defendunt. Argumenta pro utraque sententia sunt quae superius allata sunt in primo casu. Forte in favorem huius secundae sententiae posset addi, quod si omnes coniuges duos tantum filios haberent genus humanum multum decresceret, ac tandem in ruinam vergeret. Ponas esse peccatum leve, tunc quaelibet causa iusta levis — non enim requiritur causa gravis ad excusandum a culpa levi — excusaret a peccato. Omnia et singula matrimonia utentia iure coniugali facile invenirent causam iustam excusantem et licite possent habere duos tantum filios.

Ponas nunc secundum statisticas: *a*) 4% matrimoniorum sterilium, quae non possunt gignere; *b*) 15% ad minus ex utroque sexu, qui ante aetatem nubilem morte praeveniantur; *c*) saltem 3%, qui ex una vel alia causa non possunt nubere personaliter; *d*) inter catholicos, qui celibatum ex religione profiteri debent et quem liberrime amplectuntur; considera haec omnia et videbis subitum decrementum generis humani. Immo tolle has omnes causas diminutionis, una celibatus religiosi excepta, et habebis patrem et matrem gignentes filium et filiam in eorum substitutionem. Et tunc, sine diminutione generis humani, unde sumes sacerdotes pro culto divino et religiosos et religiosas virginitatem suam in Dei honorem sacrantes et vitam suam in bonum suorum fratrum, hominum, nempe, maxima tradentes caritate?

Dices. Tale decrementum generis humani ex hoc quod coniuges continentiam periodicam sectantes duos tantum gignant filios vitatur, quia

---

[13] P. BABBINI, *l. c.*

[14] *Ll. cc.* - Cf. Louis Sableron, Prof. d'Economie politique a l'Inst. Cathol. de Paris, qui iam anno praecedenti Allocutionem Pii XII ad Obstet. cathol. Italiae scribebat: « La moral vous demande la chasteté dans le mariage et la absence de fraude. Elle vous demande, en outre, que vous éleviez un nombre d'enfants proportionnel à votre courage et à vos moyens materiels. Ce nombre peut varier. Il ne semble pas de voir être inferieur à trois... Avec trois enfants vous serez en règle avec votre conscience de parents et de citoyens. Si vous avez quatre, si vous en avez cinq, si vous en avez plus, c'est fort bien ». In *Limit. de Naissance et Consc. Chrét.*, p. 97, Ed. Famil. de France, Paris, 1950. Et in nota « P. S. » sequentis pag. acceptat numerum 3, 2 infantium datum a Paulo Vincent in n. 2 ephemeridis « Population » avril-juin 1950, licet hic numerus 3, 2, ait, nemini imponi possit.

alii coniuges numerosiorem obtinent prolem, duce ipso instinctu paternitatis et maternitatis in homine existente.

Resp. Iam dictum est supra, quod munifica in hac re obligationis impletio aliquorum vel multorum coniugum non excusat alios ab eorum obligatione etiam in hac materia implenda. Insuper, instinctus paternitatis potest vinci ex affectu deordinato commoditatis, voluptatis fruendae, avaritiae, vitandi oneris filiorum, sicut vincitur in his, qui continentiam periodicam exercent, quique in dies valde numerosiores sunt. Ponas habere tantum duos filios esse peccatum leve, a quo quaevis causa levis sufficiens liberat et quae facile invenitur, et tunc videbis quomodo quivis appetitus deordinatus vincat instinctum paternitatis, ut quotidie hoc phenomenon « etiam inter catholicos » augeri videmus.

His breviter expositis, non parva adesse videtur convenientia et opportunitas, ut in futuro Concilio, si ante non fit, solvatur quaestio moralis de gravitate vel levitate malitiae, quam continet perpetua continentia pediodica seu usus matrimonii perpetuo vel aequivalenter in diebus infecundis unice habitus ad vitandam prolem.

Nam est quaestio moralis magni momenti et valde practica: *a*) pro ipsis coniugibus, quorum aeterna salus saltem pluribus in casibus ex hac solutione pendere potest; *b*) pro bono particulari et publico. Ad rem Pius XII: « Nam individuum et societas, populus et Status, Ecclesia ipsa quoad eorum existentiam pendent a fecunditate matrimonii »; [15] *c*) pro ipsis animarum pastoribus et confessariis, ne dubiis et perplexitatibus in suis ministeriis in re tanti momenti laborent et angantur.

ANNEXUM N. 2

I. *¿ Será conveniente y oportuno que el futuro Concilio Ecuménico publique un decreto universal para la Sta. Iglesia, determinando las clases de trabajos prohibidos por la guarda del « Descanso » del « Domingo » y de los « días festivos »?*

El Código de Derecho Canónico *C.I.C.* can. 1248 preceptúa: « Festis de praecepto diebus Missa audienda est; et abstinendum ab operibus servilibus, actibus forensibus, itemque, nisi aliud ferant legitimae consuetudines aut peculiaria indulta, publico mercatu, nundinis, aliisque publicis emptionibus et venditionibus ».

En este canon se imponen dos obligaciones: una positiva, oír Misa,

[15] A.A.S., *l. c.*, p. 845.

que es la principal; y otra negativa, abstenerse de trabajos serviles, actos forenses y demás ocupaciones detalladas en él. Aquélla es el fin del día festivo, para que el hombre se ocupe en las cosas del culto de Dios; ésta, para que las obras serviles no impidan al hombre ocuparse en las cosas divinas.[1] Nosotros restringimos nuestra exposición a esta segunda parte del canon, y de ella a solas las *obras serviles.*

Conocida es la clasificación de las obras del hombre, en orden al descanso dominical, en *serviles, liberales* y *comunes.*

a) *Serviles* son aquéllas que se ordenan 1) inmediatamente a utilidad del cuerpo, 2) se ejecutan principalmente con las fuerzas del cuerpo y 3) se encomiendan comúnmente a los hombres vulgares — antiguamente a los siervos —. Tales son las obras *rurales,* sembrar, segar ... y las *mecánicas,* como tejer fabricar muebles, etc.

b) *Liberales,* las obras que principalmente a) se ejecutan con las fuerzas del alma, b) se ordenan al cultivo de la misma, y se hacían antes por hombres libres, como leer, escribir, enseñar, delinear, etc.

c) *Obras comunes* [2] son las indistintamente ejecutadas por siervos y libres. Llámanse también *naturales* o *medias,* y pertenecen al culto ordinario del cuerpo, como el caminar, cazar, jugar, comer, etc.[3] Aquí solamente nos ocuparemos de las *obras serviles* con relación al precepto dominical.

II. *Importancia práctica de la observancia del descanso dominical*

La experiencia nos enseña que en las regiones donde se desprecia la santificación del domingo y días festivos, desaparece la fe, se corrompen las costumbres, se depaupera la familia y hasta se impide el progreso de la industria. Por el contrario la santificación del día festivo trae grandes utilidades morales y económicas al individuo, a la familia y a la sociedad.

A) Al individuo le proporciona: 1) gran *ventaja espiritual* y *moral.* Le da tiempo y oportunidad para cumplir el precepto de tributar a Dios N. Señor el culto debido con el cumplimiento de los oficios religiosos, de instruírse religiosa y moralmente, sobre todo escuchando el catecismo y las instrucciones pastorales; con lecturas a propósito para ello, pues el descanso del trabajo corporal predispone para ocuparse en la instrucción espiritual.

---

[1] Cf. *St. Tomás,* 2-2, q. 122, a. 4 ad 3.

[2] Mirkelbach, no admite más que las obras *serviles* y las liberales. *Theol. Mor.,* II, 686, p. 704.

[3] S. A. M. DE LIGORIO, *Theol Mor.,* lib. III, n. 272.

2. *Grandes ventajas corporales.* El reposo dominical conserva la salud y las fuerzas físicas del individuo. La experiencia fisiológica ha demostrado que no basta al trabajador el descanso nocturno ordinario. Necesita, además, un descanso periódico *durante el día* para reponer la *superpérdida* diaria del oxígeno, causada por el trabajo continuo de músculos y nervios, que no puede ser suplida ni aun por una buena sobre alimentación (A. de Mun, *Discours et écrits divers,* Paris, 1895, t. IV, p. 291 sig.). Consérvase este vigor en la clase obrera, con el descanso dominical, muy a propósito para evitar en la salud los terribles daños del alcoholismo con sus fatales consecuencias de despoblación y dejeneración de la raza.

3. *Ventajas económicas,* porque evita muchos gastos inútiles en bares, cafés, cines y otros entretenimientos. Descansando el domingo, el obrero no huelga entre semana y aumenta la productivilidad con las fuerzas cobradas en el reposo, y es más apto para promover otros intereses. La experiencia demuestra que disminuyen, con la bienhechora influencia de este descanso dominical, las ausencias de los obreros a su trabajo en los lunes y martes de la semana.

B) *Ventajas familiares.* Ordinariamente los diversos miembros de la familia durante la semana están dispersos en sus ocupaciones. Sólo se ven por la noche, fatigados, no gozan suficientemente del solaz familiar, aun suponiendo que el obrero no retrase su entrada en casa, llevado por los atractivos de un cabaré. Así no puede atender a los asuntos de la familia ni a la educación de los hijos. Con el descanso dominical y cumpliendo sus deberes religiosos, puede regocijarse con la vida íntima de familia, ocuparse de los hijos, quienes resultarán muy beneficiados de la educación paterna y del aliento e impulso saludable que les da con el ejemplo del cumplimiento de los deberes religiosos.

C) *Ventajas sociales.* Como el culto de la Iglesia es social, asisten juntos a los oficios religiosos los ricos y los pobre. La Iglesia llama igualmente a todas las clases sociales aunque sean opuestas entre sí. En el ejercicio del culto divino reune a todas. Como Madre a todos predica lo mismo, impone los mismos deberes, especialmente el de amarse y ayudarse como hermanos en nombre de Dios, Padre común, de N. Señor Jesu-Cristo, Redentor de todos los hombres, para que éstos se unan entre sí con los lazos naturales del amor y los sobrenaturales de la caridad. Se realza esto con el ejemplo de afecto maternal que la Iglesia da a los pobres.[4] Así se ven bastantes conversiones de acatólicos, ocasionadas por su asistencia a los oficios religiosos de los días festivos.

---

[4] Cf. LÉON XIII, Enc. *Rerum Novarum,* 15 mayo 1891.

III. *El descanso dominical y las « obras serviles »*

Síguese de lo que acabamos de decir que el celo del verdadero apóstol ha de procurar con sumo interés y por todos los medios posibles la observancia ejemplar del descanso dominical entre los católicos. A ello contribuirá sin duda, el que los católicos conozcan bien qué clase de trabajos prohibe el descanso del domingo y de los días festivos, y a esto esbase indispensable determinar bien la naturaleza y notas distintivas o elementos constitutivos de las llamadas « Obras Serviles o Trabajos Serviles », de modo que se adapten en este asunto las actuales condiciones sociales, tan distintas, especialmente en la parte mecánica e industrial, de las condiciones sociales de mediados del siglo VI, cuando por primera vez se usó en *sentido teológico* la frase « Obra Servil » en el Concilio De Ruen de 560 en su can. 15.[5] Esta frase resulta hoy un poco molesta y desagradable para todos los obreros, particularmente para los operarios que ejercitan oficios técnicos en talleres, oficinas, escritorios, fábricas ... ¿No convendría quizá cambiarla por otra frase más a propósito para expresar todo trabajo incompatible con la observancia del descanso dominical?

IV. *La tradición cristiana en esta materia suele dividirse en tres periodos. 1º del siglo I al VI; 2º del siglo VI al XIII; 3º del siglo XIII hasta nuestros días.*

1er periodo. Del siglo I al VI

Los cristianos, a imitación de los judíos que descansaban el sábado, comenzaron a guardar el descanso del domingo en memoria de la Resurrección de N. Señor Jesucristo, absteniéndose de hacer ciertas obras que hubieran podido impedir el culto, especialmente público de Dios; pero no las llamaban *serviles* como el Antiguo Testamento, porque no querían judaizar.

a) El Concilio de Laodicea de fecha incierta — del 343 al 381 — nos da el primer documento eclesiástico relativo al descanso dominical en

[5] Este canon 15 es el *primer documento eclesiástico,* en el que se dio cabida a la frase « Obra servil ». Cf. LABBÉ-COSSART, *Sacrosancta Concilia,* t. VIII, col. 406. Antes del 560 S. Martin, Arzobispo de Braga (Hispania Tarraionense, hoy Portugal), en su libro « De Correptione Rusticorum », tratando del descanso dominical, escribe: « *Opus servile, id est, Agrum, pratum, vineam, vel si qua gravia sunt, non facietis in dia Dominico* ». Cf. L. MCREAVY, *The Sunday Repose From Labour,* Ephemerides Theolog. Lovan. (abril 1935, p. 211).

el can. 29, prohibiendo a los cristianos judaizar, estar ociosos el día del sábado, prescribiéndoles trabajar en él, y de honrar et *Día del Señor* absteniéndose todo lo posible de trabajar en él, mas no preceptuó el descanso. (Hefele. Hist. des Concil., t. I, p. 1015).

Nada dice de la extensión del descanso dominical, ni de qué obras se han de abstener en él, pero es sin duda menos rígido que le des sábado judío.

b) Las Constituciones Apostólicas preceptuaban este descanso a los siervos en memoria de la Resurrección del Señor, y les imponían la obligación idéntica para el día del sábado en recuerdo de la « Creación ».

c) En esta época, ademàs de las leyes de Constantino y de otros emperadores sobre el descanso dominical, existía una costumbre cristiana de no trabajar en él, por la que consideraban *prohibidas* en los domingos las obras que hacían los siervos, como las rurales de siembra, siega, corte de hierba, vareo de árboles, de trigo, etc., de obras mecánicas y otras similares; pero no hay todavía legislación eclesiástica sobre su prohibición. Se inicia también a fines de este período la tendencia de asimilar el descanso del domingo al reposo sabático de los judíos.

2° período. Del siglo VI al XIII

En este período se legisla mucho sobre el descanso dominical.

a) Se prohiben por los cánones de Concilios particulares, lo que ya estaba prohibido por la costumbre. Tales son *las obras rurales;* cultivo de la tierra, sementera, siega, laboreo de las viñas, etc., y todas las labores relacionadas con ellas, las obras mecánicas y sus similares (Conc. III de Orleans, en 538, can. 28, Mansi, Concilia, Florencia, 1763, t. IX, col. 19). Sin embargo, en *Monumenta Germanica,* Concilia aevi Merovingii, Hannover, 1893, t. I, p. 82, es el can. 31 de los 36 que cuentan: Labbé-Cossart, *Sacrosancta Concilia,* t. VIII, col. 406.

b) *Dispensas.* Algunos Concilios admiten excepciones en el descanso dominical. Así el Concilio de Auxerre, en 578, establece: « non licet die dominica iungere boves, vel alia opera exercere, nisi pro causis constitutis », can. 161, El de Narbona, 580: « ut die dominico nullam operam faciant nec boves iungantur excepto si in mutando necessitas incubuerit » can. 4, 1 c., col. 726 (Ibidem). Lo mismo disponen los Estatutos Episcopales.

c) Como consecuencia lógica, esas prohibiciones de las obras rurales se extendieron a los transportes de todo género: Sin embargo en el Capitular eclesiástico de Carlo Magno del 789, se exceptúan tres clases de transportes: hostilia carra vel victualia vel, si forte necesse erit, corpus

cuiuslibet ducere ad sepulcrum » (Capitulare ecclesiasticum Caroli Magni, a. 789, can. 80, ML 117, 181 s.). Pero estas excepciones del Capitular de Carlo Magno parecen contradichas por el Concilio VI de Paris, en 829, L. I, can. 50, que prohibe *quaslibet carrigationes ullius conditionis — Carrario opera —*. En este Concilio y en el de Chalons (843) se quejan los PP. asistentes a ellos de los abusos y negligencias considerables en la observancia de este precepto.[6]

La prohibición de las *carrigationes* se extendió: *a*) a las cargas impuestas a los vasallos por sus señores; *b*) a las cargas de acarreo-carregium; *c*) a las cargas de transporte arriero (a lomo de mula) *sagmegium*.

Excepción para estas cargas: *amor Dei vel timor hostium vel propter magnam necessitatem* (Concilio de Bourges en 1031, can. 15. *Labbé-Cossart,* o. c. t. IX, col. 1209).

Pero todavía no aparecen las sistematizaciones de las obras serviles.

3er período. Del siglo XIII al XVI

Sistematización de las obras serviles por el elemento material, « *naturaleza de la obra* » y el elemento formal, « *la intención de lucro* ».

Santo Tomám (2-2, q. 122, a, 4 ad 3) nos dice que el fin de este precepto es « ut homo vacet rebus divinis » y que las obras serviles (a servitute) son « opera corporalia in quibus unus homo alteri servit ». Pero no participó en esta sentencia S. Buenaventura (in III Sent., D. 37, dub. III, Ed. Vives, t. V., p. 153) dice: « Talia dicuntur opera servilia et prohibentur, illa *maxime* in quibus homo inhiat terrenis lucris, et quae sunt praeter necessitatem, per quam anima maxime detinetur circa haec inferiora, nec se nec Deum recolat ». Algunos quieren ver en estas palabras: « Illa (opera) maxime in quibus homo inhiat terrenis lucris » un jalón para la sentencia que vamos a exponer.

Desde S. Raimundo de Peñafort hasta bien entrado el siglo XVI, las *Sumas de Moral* tienen como serviles, las obras que abiertamente no son, si se hacen con intención de lucro, como el escribir, contratar, pescar, cazar ...

Guillermo de Rennes en su comentario a la Suma de S. Raimundo de Peñafort puso este principio: « La ganancia hace servil una obra que por su naturaleza no lo est ». Así un cochero, un peluquero puede prestar sus servicios en día festivo a condición de que no sea principalmente por la ganancia o avaricia, sino por necesidad de aquéllos a quienes sirve (Summa S. Raymundi, Avignon, 715, p. 160).

---

[6] LABBÉ-COSSART, *o. c.,* t. IX, col. 749.

Todavía es más explícito Ricardo de Mediavilla († 1307). En él se hallan bien determinados los dos elementos de la obra servil: el material, la naturaleza de la obra, y el formal, el fin propio y próximo del agente. A la pregunta: « Qué obra es servil? » Responde. « La opuesta a la obra liberal ». En ambas, añade, hay que tener presente, si se quiere determinar el carácter de *liberalidad* o *servilidad,* el fin propio y próximo del agente; el fin esencial que se ha propuesto, no el accidental. « Tam unum opus quam aliud ... debet iudicari formaliter servile vel liberale per comparationem ad agentem ». De aquí saca esta conclusión.[7] Aquéllas son obras serviles, cuyo fin propio y próximo es el bien temporal y corporal del que las ejecuta aunque por naturaleza sean liberales, espirituales. A la inversa, una obra naturalmente servil, si está ordenada a un fin espiritual, se ha de considerar como liberal ».

Clasificación

Obras material y formalmente serviles: prohibidas.
Obras materialmente liberales, formalmente serviles: prohibidas.
Obras materialmente serviles, formalmente liberales: permitidas.

La misma doctrina con los dos elementos de la obra servil se halla bien determinada en Angel de Clavasio († 1495), Summa Angelica, art. Feriae, nn. 27,29; en el dominico, Silvestre de Prierio, Summa silvestrina, art. Dominica, Lyon, 1594, p. 269 sig. Otros muchos canonistas y sumistas, que sostienen esta opinión, pueden verse citados en Suárez,[8] quien copia estas palabras del Abulense: « Omnes operationes exteriores secundum se liberales ex hoc fine [lucri] fieri serviles et prohibitas ».

En esta teoría hubo sus extremos, que muchos no podían comprender: Clavasio quería impedir el toque de campanas llamando a los fieles a los oficios del domingo so pretexto de que era pagado.

Ricardo de Mediavilla consideraba como pecado el solo pensamiento del trabajo por ganancia en domingo; y la búsqueda de la ganancia la presentaba casi como una intención extrínseca propia del agente,[9] y no

7 In III Sent., dist. 3, art. II, q. 4, Conclusio. Brixiae, 1591.

8 SUÁREZ, *De Relig.,* II, cap. 19, p. 246, Venetiis, 1609, apud Bernardum Iuntam et Socios.

9 « Minus ergo bene distinxerunt quidam opus servile in formaliter et materialiter servile paenes finem lucri seu mercedis, quoniam haec impertinentia sunt ad opera servilia. Propter quod divinum operis ingenium nunquam in III Sententiarum, aut hic tractans de servilibus operibus meminit lucri aut mercedis (Caietan. Comment. in 2-2, q. 122, a. 4 ad finem Commentarii).

suficientemente lo que es en realidad, uno de los elementos esenciales de la obra servil en sí misma. Nada tiene de extraño que los teólogos buscarán otra solución al carácter de la obra servir, como ahora veremos.

En esta teoría se tenía ya en cuenta, para la licitud de la obra servil en domingo, la dispensa del superior competente, la necesidad de ella, el ser para el servicio divino, y algunos teólogos la costumbre del lugar.

Sistematización de la obra servil por su naturaleza corporal

Cayetano en su comentario a la Suma de Sto. Tomás, editado hacia 1525, se pregunta: « An opera in die festo licita reddantur illicita ex hoc quod fiant mercenaria seu propter lucrum? » Responde: « Apparent rationes contrariae ».

a) Hay obras mercenarias que no están prohibidas los días festivos, y trabajos no mercenarios que están prohibidos. Si la ganancia es uno de los elementos de la obra servil, ciertos trabajos retribuídos, como el canto, la música de las iglesias, tocar las campanas, están prohibidos por esa razón, lo que no puede admitirese.[10]

b) Uno de los caracteres de la obra servil es trabajar para otro, mientras que en la obra mercenaria se trabaja por sí mismo.

c) Los mercaderes no buscan otra cosa que ganar dinero, y, sin embargo, nadie les acusa de hacer obras serviles.

d) La búsqueda de la ganancia no puede entrar en la razón de obra servil, porque aquélla es el fin del agente, no el fin de la obra, y éste no puede cambiarse por la intención de aquél.

Esta doctrina de Cayetano fue aceptada por bastantes teólogos contemporáneos suyos y casi universalmente ha sido aceptada por los de los siglos XVII, XVIII y XIX y lo que va del XX. Decimos casu universalmente porque entre otros, Benedicto XIV enseña que « la pesca se ha de tener por obra servil siempre que se ejerza por lucro (*De Synod. Dioec.*, XIII, 18, n. 2).

Según esta teoría ¿cuáles son los elementos para conocer y discernir la obra servil?

Rechazada la intención del agente, *el lucro,* comó elemento formal de

---

[10] Nótese de paso que estos ejemplos aducidos por Caietano, como no prohibidos a pesar de estar retribuídos, son trabajos comprendidos en la dispensa concedida por la necesidad del culto divino para los días de fiesta. Lo mismo ha de decirse de los otros que trae de los médicos y de los vendedores al pormenor, a quienes también se les dispensa del descanso dominical en el trabajo de sus oficios por razón del bien público.

la obra servil, no queda más que *la naturaleza de ésta y el fin intrínseco de la misma.* Obra servil, nos dice S. Alfonso (Theol. Mor., 1. III, n. 272), es la que se ordena *a*) inmediatamente a utilidad del cuerpo *b*) se ejecuta más con las fuerzas del cuerpo que con las del alma y *c*) se encomienda su ejecución a los hombres vulgares (antes a los siervos). Tales obras son las *rurales*: sembrar, segar, arar, cavar las viñas, etc.; las *mécánicas,* como el construír carros, coches, tejer, coser, etc. Tenemos, pues, que, según esta sentencia, las notas que constituyen y caracterizan las obras serviles son dos: *a*) *su naturaleza,* o sea que principalmente se hacen con las fuerzas del cuerpo; y *b*) *su fin* quaes la inmediata utilidad del cuerpo, proveniente de la misma obra. « Hay que tener en cuenta en la práctica, escribe Prummer. O. P., que las obras serviles se han de juzgar por *le fin de la obra,* de ninguna manera por el fin del operante, ni tampoco por la tardanza o fatiga que exige su ejecución. Luego la obra, que *a*) *principalmente se hace con fatiga* [trabajo corporal] *b*) *e inmediatamente sirve para comodidad corporal* no deja de ser servil aunque se haga por pura recreacion, o sin ganancia, o por fin santo o por breve tiempo. Por eso la mujer, que teje o cose, para confeccionar vestidos para los pobres, hace una cosa servil en realidad, y peca, si no tiene causa excusante (*Theol. Mor.,* edit. IX, n. 488, 1).[11]

Por la misma razón las obras liberales, « las que se hacen principalmente con las fuerzas del alma, y se ordenan al cultivo de la misma, y se hacían antes por hombres libres, como el leer, escribir, enseñar, etc., no *dejan de ser liberales,* aunque se hagan *por retribución y con cansancio,* y se ejecutan lícitamente los domingos y días festivos » (Prummer, l. c.).

Esta segunda sentencia en tiempo de Cayetano y en los siglos XVII-XIX era acomodada a las condiciones de aquella sociedad. El trabajo manual, el trabajo de la semana, estaba por lo general en relación proporcionada con las necesidades corporales de entonces; el intelectual correspondía a las necesidades espirituales. Pero esta fórmula ¿podría aplicarse a las nuevas significaciones y concepto del trabajo manual, na-

---

[11] Algunos han creído que según esta teoría, las obras serviles constaban de un solo elemento, el elemento material que pone la otra sentencia; pero no es así como lo hemos visto de S. Alfonso y de Prummer. Añadamos este otro testimonio de los Salmanticenses: Opera servilia « esse opera corporalia, seu quae per corporale instrumentum exercentur, ad utilia corporis per se, et ex sua primera institutione, ordinata (*Cursus Theol Mor.,* tr. XXIII, c. I, n. 227). Por tanto uno de los elementos esenciales de la obra servil es el estar ordenada a la utilidad del cuerpo, « ex primeva sua institutione ». También SUÁREZ, *l. c.,* cap. 20, n. 5, p. 251, escribe: « Sic ergo ratio operis servilis in primis postulat sed etiam *ex primo effectu,* ad quem *natura sua,* vel *ex vi institutionis suae ordinatur* ».

cidos del progreso industrial? ¿Podría servir por mucho tiempo para discriminar lo que hay en el hombre, puesto al servicio de lo temporal, de lo que hay, por el contrario, en el que se dirige a la ilustración de la inteligencia? Esta teoría encontró, desde el siglo XVII dificultades en la solución de los casos que se presentaban.

Notorio es el caso de Azor [12] († 1603), sequidor de Cayetano, sosteniendo en teoría que las obras *serviles* no lo son « por la intención del agente, sino por la naturaleza de la obra »; pero fue reprendido por Busembaum [13] por falta de lógica, porque en la práctica había apelado a la *sentencia del lucro* para permitir o prohibir la caza, la pesca, la escritura y la transcripción ». El mismo Busembaum (l. c.) transcribe, sin recharla, esta respuesta de Filliucio sobre la destilación: « Excusat Filli, distillationem quae sine corporis fatigatione,[14] potius ad experientiam et peritiam fit quam ex officio et arte ». Lo mismo hace S. Alfonso (l. c., n. 282, 7).

Soluciones parecidas a éstas, ilógicas, se encuentran no pocas en los manuales de Teología Mor. en la solución de los casos de obras serviles.

Esta sentencia como la anterior acude también para la solución de los casos a las causas que excusan de la observancia de la abstención de las obras prohibidas en los domingos y días festivos, a saber: la dispensa, la necesidad, propia o ajena, la razón del culto divino, la costumbre y la caridad.

V. *Deseos de un criterio universal, en lo posible, de las obras prohibidas en los días festivos.*

La grande evolución mecánica e industrial con la complejidad de los múltiples oficios y trabajos manuales ha aumentado sobremanera los casos de obras dudosas sobre si son serviles o liberales. De aquí la perplegidad de los autores y la diversidad de sus soluciones. Los principios son los mismos para todos; pero la aplicación es diversa. Los fieles se admiran y se preguntan a sí mismos y preguntan también a otros: si la Iglesia es distinta o enseña cosas distintas en las diversas provincias o regiones sobre la prohibición del trabajo en los días festivos, pues en unos lugares está prohibido lo que se permite en otros.

---

[12] *Institut. Mor.,* pars II, cap. 37, Lyon, 1610, t. II, p. 113.

[13] *Medulla,* Tract. III, De tertio Praecepto, c. 1.

[14] Recuérdese lo transcrito de Prummer: « la obra no deja de ser servil aunque se haga por pura recreación o sin ganancia, o por fin santo, o por breve tiempo ».

Los mismos «*huertos familiares*» (aprobados por León XIII y S. Pío X), los cuales cultivados en las tardes de los días festivos por el padre, la madre e hijos íntimamente unidos, han producido opimos frutos personales, familiares y en culto divino con la observancia del domingo. Pero entonces escandalizaron a no pocos católicos, y aun sacerdotes, como una profanación del descanso dominical. Si la cuestión se pusiera hoy oficialmente, la casi totalidad de los católicos la aceptaría unánimemente.[15] Incontables obreros deben a este trabajo de recreo y distracción, el haber llevado una vida familiar, educativa de los hijos, apartada de las tabernas, bares, cabarés, cines, teatros y reuniones políticas, con gran paz cristiana para sus almas y no poco ahorro para la economía doméstica. Esto prueba que no toda obra *servil* es opuesta al precepto de descanso el día festivo si no impide el culto dedibo al Señor, ya que la obra en sí no es mala.

De aquí la tesis sustentada por muchos escritores modernos: « *Un trabajo corporal moderado y por recreo o entretenimiento no debe considerarse como obra servil prohibida* ». Pero en esto, como todas las labores, deben precaverse los abusos. Lo cual pudiera hacerse en la nueva ley tan deseada.

b) *La falta de lógica,* que se observa en los autores los principios y su aplicación en las resoluciones de los casos.

Prummer (II, 488): « Valde notandum est pro praxi opera servilia diudicanda *esse ex fine operis,* non *ex fine operantis ... non desinit esse servile,* si fiat recrationis causa, vel sine remuneratione, vel *ex santo fine* vel per breve tempus ». Y añade: « La mujer que teje o *cose* (el domingo) vestidos para los *pobres* hace una obra servil y peca, si no hay causa excusante » — En el n.° siguiente (489) dice: « Hacer rosarios, coser escapularios non *obras* por *su naturaleza serviles* ». La conclusión según lo dicho en el n.° anterior debía ser: luego no pueden hacerse *ni por un fin* santo, ni *para los pobres* sin pecado — y sin embargo, pone esta otra: « son lícitas por razón de la estimación común en los días de precepto con tal que se hagan *por devoción y sin lucro* ».

Y ¿por qué esta solución tan opuesta al principio antes sentado? Porque al comienzo de este párrafo escribe: Para determinar en los casos

---

[15] VÉASE H. MICHOU, *Revue Apologétique,* I, 62, n. 206, marzo 1936, pp. 298-299. Conocida es la Institución « *L'œuvre du coin de terrae et du froyer* » (jardines obreros), fundada por el Abate *Lemire* y propaganda por el *P. Volpette, S. I.,* el apóstol de los jardines obreros, quien para defenderlos tenía siempre en los labios esta sententia: « *Están permitidos los trabajos que se pueden hacer con traje de domingo* ».

de duda qué obras son serviles o liberales, se atiende no sólo a la naturaleza de ellas « *sed etiam ad extimationem hominum* » — Y este nuevo principio lo extiende a obras que él mismo confiesa ser serviles por *su naturaleza* « Rosaria facere et scapularia suere sunt *ex se opera servilia* ».

El P. Vermeerch [16] propone también el principio de que el fin del agente no entra en la clasificación de la obra propiamente servil ni en la propiamente liberal; pero se ve obligado a admitir que en las *comunes* (a siervos y libres) el fin de la *ganancia* hace que la obra sea servil o no: v. g. la pesca, caza, etc. hechas por salario son serviles; no lo son si se ejecutan por recreación.

Tanquerey,[17] no obstante de haber sentado antes este principio: « opera liberalia permissa sunt etiamsi pro mercede exerceantur », escribe: « In his operibus cuius indoles ex se dubia manet, tanquam prohibita haberi iudicio nostro, ea omnia quae, ex communi aestimatione, censentur exercitium *artis lucrativae,* quod ex se a sanctificatione diei dominicae mentem avertit ».

Muchos autores podíamos aducir en confirmación de las dificultades, originadas por la evolución industrial y social para clasificar las obras *serviles* y *liberales* con los principios hasta ahora epuestos en los manuales de moral. Dígagnoslo el P. Godofredo Heinzel, S. I., en la última edición de Noldin: [18] « Ideo auctores laborant in classificatione operum (servilium et liberalium), incidunt in contradictiones et solutiones, quae communi sensu christianorum non capiuntur et potius ad despectum et abusum praecepti ecclesiastici ducunt ».

« *Itaque si in sequentibus retinemus descriptionem operis servilis, prout hucusque in usu, erat, hoc fit solum, quia alia descriptio magis apta nondum invaluit; sed optandum est ut invaleat* ».

Las revistas eclesiásticas han ido a la cabeza de este movimiento. Ya en 1903, *L'Ami du Clergé,* con ocasión de los « Jardines de obreros », se inclinó a favor del lado de la solución benigna, que justificó por el sentir común del pueblo, poco inclinado a considerar el cultivo de las huertas como obra servil.[19]

En 1926 resolvió que podía hacerse el bordado artístico de un mantel de altar con tal que ese trabajo no fuera el de oficio u ocupación de la semana, y se hiciera a título de distracción, de ejercicio artístico y sin escándalo de nadie.

---

[16] *Theol. Mor.,* t. III, p. 798, 3, p. 726.
[17] *Synopsis Mor.,* De Virtute relig., c. 8, n. 1039.
[18] *Summa Theol. Mor.,* ed. XXXI, vol. II, n. 266, p. 237; Oeniponte, 1957.
[19] *Ami du Clergé,* 1903, p. 970.

Un subscritor de la Revista creyó que esta solución contradecía a los principios anteriormente expuestos en ella. El autor del artículo, reconociendo que, según la enseñanza de la Teología Moral, el carácter lucrativo o recreativo no influía en la naturaleza de la obra servil, añadió que él deseaba una evolución sobre este punto, y termina su artículo con estas palabras: « Un jour viendra et il vient vite, ou la poussée de l'opinion commune des fidéles nécessitera a propos du travail du dimanche une orientation Theologique nouvelle et des precisions aujourd'hui plus que jamais désirables ».[20]

El R. P. Lombart publicó en 1931, sobre este asunto una serie de artículos en la *Revue des Communautés Religieuses,* cuya sintesis es: « Las tendencias actuales influirán en el porvenir. Quizá los autores de Teología Moral se verán obligados a revisar las categorías de obras permitidas y prohibidas en los días festivos, y pasar, tal vez algunas de las categorías intermedias a la primera. ¿Por qué, escribe, ha de estar permitido el bordar, y prohibido el hacer media y tapicería? Tales distinciones parecen a muchos de nuestros contemporáneos distinciones rabínicas. Pronto se juzgarán permitidas todos los trabajos ligeros, en particular los de aguja ».[21]

De notables han sido calificados por los escritores los tres artículos escritos por el Rdo. L. Mc. Reavy sobre este mismo tema. En el primero « Servile Work »,[22] traza a grandes rasgos la historia de la noción de obra servil insistiendo en la amplitud con que fue entendida antes del siglo VI.[23] En el segundo, titulado « Criticismus and Suggestion »,[24] preconiza la vuelta a una legislación influída por la costumbre, que sea más suave, y, por tanto, más adaptable a la vida social y económica moderna. Desea que los *Moralistas* distingan en el trabajo manual dos clases de trabajo: uno, el trabajo profesional, ejecuatado con miras a un salario; y es verdaderamente servir; otro, el *trabaio-distracción,* por entretenimiento, que no puede ser servil y responde a una exigencia de las actuales condiciones sociales.[25]

---

[20] *Ami du Clergé,* 1926, p. 554.

[21] *Revue des Communautés Relig.,* 1931, pp. 28, 58, 96, 104.

[22] *The Clergy Review,* abril 1931.

[23] En este mismo año publicó en *Ephemerides Theologicae Lovanienses* (12 1935; 291-323) otro artículo más técnico y más erudito sobre el mismo tema, en el que demuestra que la distinción de obras serviles y liberales se remonta hasta el siglo VI.

[24] *Theology Review,* junio 1935.

[25] Véanse en este sentido los artículos de: H. MICHAUD, *Les œuvres serviles interdictes le dimanches*: Revue Apologetique, t. 62 (marzo 1936) p. 290-303;

VI. *¿Cómo convendría formular la nueva sistematización del trabajo servil prohibido en los días festivos?*

En el anhelo, sentido por no pocos escritores, de hallar el principio o principios morales para la clasificación de las obras serviles prohibidas por el descanso dominical y poder resolver los casos prácticos sin incurrir en contradicción con aquéllos, nos han dado fórmulas concretas en sustitución de la sistematización actual, que, a su juicio, es poco adaptable a las presentes condiciones sociales. He aquí algunas de ellas.

a) En 1904 « un profesor de seminario » [26] — se preguntaba en la *Revue du Clergé* — si sería posible hallar una teoría que integrara, como elemento esencial, « la búsqueda del lucro » o « trabajo asalariado », que los antiguos consideraban come elemento formal de la obra servil. Esta teoría coherente, cree dicho profesor, que se halla en la noción de oficio o profesión pudiendo resumirse así: « *Queda prohibido* (el en día festivo) todo trabajo profesional, aun el de las profesiones liberales (esto es el trabajo asalariado y hecho por el salario) y permitido todo trabajo (aun manual y rudo) realizado a título de recreación ».

b) El Rvdo. Mr. Luvisy publicó en setiembre, 28-1936 un artículo sobre et trabajo servil, contestando a otro de H. Michaud [27] sobre la misma materia. Mr. Luvisy, después de exponer las condiciones variables y evolutivas del trabajo según el estado social de la humanidad, añade; Hoy, dada la evolución de la industria y del mecanismo, se ha modificado el concepto de trabajo manual, y se da el caso que un trabajo manual puede ser un descanso, una distracción: la nueva tendencia que habrá de seguirse es:

« *El verdadero trabajo servil propiamente dicho es el ejercicio de la profesion de la semana, del oficio de la semana, con miras al salario* ».[28]

c) H. Michaud escribe: Apoyado en la Sda. Escritura, en la Tradición auténtica, de acuerdo con el sentimiento religioso y social de nuestros contemporáneos e inspirado en los principios de la Theología católica enunciados por Sto. Tomás, dejaría muy a gusto caer en desuso, como prescripta e inadecuada la frase « *obra serviles* » y enunciaría, *salvo meliori iudicio*, así para en adelante el precepto:

1. « *Esta prohibido trabajar los domingos y fiestas de obligacion* ».

436-473. J. García Bayon, *Descanso dominical,* Ilustración del Clero, 41 (1948) 145-147. Lauders, *Opera servilia*: Clergy Monthly, 10 (1946-1947) 181-192.

[26] *Revue du Clergé,* 1904, t. 38, p. 311.

[27] En *Revue Apologetique, l. c.*

[28] Citado por H. Michaud, en *Revue Apologetique,* t. 63 (1937) 171.

2. Por *trabajo* se entienden las obras acostumbradas de la profesión que uno ejerce durante la semana, por oposición a las obras de religión, al reposo, a los juegos que descansan y recrean el cuerpo y el espíritu.

3. Para juzgar si ciertas obras, que son materialmente trabajos, deben clasificarse formalmente *trabajos* o *distracciones* conviene considerar: *a*) la intención, *b*) el interés, *c*) el contraste, *d*) las consecuencias familiares y sociales, y *e*) la costumbre A continuación explica cada uno de estos apartados.[29]

d) El P. Berte, S. I., propone como medios para distinguir las obras *serviles* de las liberales, el fin,

a) Si se busca la ganancia, fin material *servil.*

b) Si la distracción, fin espiritual-*liberal.*[30]

e) Finalmente, el *P. Heinzel,* S. I. (l. c., n. 3) propone: « *In determinandis operibus die festo interdictis non tam attendendum est ad naturam* operis, *sed potius ad hoc, an talem servitutem hominis inducant, ut impedimentum creet cultui animae, familiae et Dei* ».[31]

De nuestra parte no proponemos fórmula especial. Solamente presentamos la siguiente « Conclusión ».

VII. *Parege conveniente que se elabore y proponga a todos los fieles de la Sta. Iglesia una sistematizacion modificada o nueva y en lo posible-universal de las obras o trabajos manuales permitidos y prohibidos en los dias festivos.*

Esta es la conclusión contenida en lo anteriormente escrito. Muchas veces se ha enunciado esta idea, especialmente en los últimos párrafos, al copiar las lucubraciones de los escritores y autores citados, y podíamos haber aducido muchos más) los cuales claman por obtener una sistematización, al menos modificada, aun cuando tenga sus apartados para los casos excepiendos o singulares que puedan ocurrir en circunstancias excepcionales, mirando siempre, como es natural, a ver si la obra impide el culto de Dios Nuestro Señor.

2. En las clases de Teología Moral de las Universidades eclesiásticas, seminarios diocesanos y casas religiosas de formación, se proponen con

---

[29] Cf. *Revue Apologetique,* t. 63 (abril 1936), p. 68-69.

[30] P. Berte, *S. I., en N. R. Théologique,* 63 (1936) 32-56. *A propos des œuvres serviles.*

[31] Véase, *Lexenaire.* Revue du Clergé Franc., 37 (1904) 83-89: *Les jardins ouvriers et la santification de dimanche;* Fr. Pettirsch, *Das Verbot der opera servilia in der Hl. Schrift und in der altkirchlichen Exegese.* Th. 69.

más o menos extensión, además de la hasta hoy común doctrina sonre las obras serviles, las diversas teorías nuevas (antes expuestas), para resolver, sin contradicción con los principios (como ellos dicen) los casos prácticos que puedan ocurrir. Sabido es que los discípulos fácilmente adoptan la sentencia de su profesor. Se corre, pues, el peligro, que las diversas teorías expuestas, y quizá otras nuevas se conviertan en otras tantas sentencias acerca del tema que nos ocupa. Antes de que arraiguen más estas teorías ¿no sería conveniente que una sección de las preparatorias del Concilio estudiase bien a fondo este problema, y nos dé las normas seguras para conocer cuáles son los trabajos manuales prohibidos o permitidos por el descanso dominical?

3. Aun a los obreros católicos de fábricas, de talleres de las variadas industrias existentes, y mucho más a los especialistas de ciertos oficios manuales, les suena mal que a sus trabajos se les llame *obras serviles;* y, por tanto, el que estén prohibidos en los días festivos. De que no pocos de ellos califican el precepto de la abstención de las *obras serviles* por el descanso dominical, de « *flagrante injusticia* » de la Iglesia con ellos, pues dicen: « El hombre de profesión liberal, oída una Misa rezada, puede trabajar el domingo y ganar dinero. Nosotros, obreros de una fábrica, de un taller ... de profesión manual, no podemos distraernos el domingo, después de oída la Misa, en otra obra de oficio distinto manual, como decorar la casa y arreglar el huerto, porque *son obras serviles* ». ¿No podría evitarse esto, alejando los abusos, en una nueva sistematización de los trabajos prohibidos en los días festivos?

4. La opinión popular en general, al hablar del trabajo, sólo se ocupa *del fin* que se pretende conseguir con la obra que se hace. Si se busca ganancia, salario, provecho material, lucro, entonces la obra manual, que se ejecuta, es trabajo: si, por el contrario, sólo se pretende entretenimiento, una especie de recreación, esparcimiento ... que dan cierto descanso, al cuerpo y al alma, de las faenas de la semana, entonces no es trabajo: v. g. un oficinista, un minero, que se ocupa arreglando su huerto, su jardín, aunque cabe, riegue ... *no trabaja, se entretiene, se recrea* tomando el sol y respirando el aire, al revés, un hortelano, un florista, trabaja.

Evitando los abusos — v. g. la excesiva prolongación de estos trabajos el domingo — quizá convendría arreglarlo en el nuevo criterio, si se da, sobre los trabajos permitidos y prohibidos en el día festivo.

5. La conveniencia de *esa nuevas, o modificada,* sistematización de los trabajos manuales serviles, se echa de ver en la instrucción de los fieles.

a) Como esa ley, si se promulga, vendrà muy clara y bien ordenada, podrán aprenderla los niños del catecismo, aunque no la comprendan a

fondo; podrán practicarla, y comprenderla después, sin olvidarla en toda su vida, que les ayudará a tributar a Dios N. Señor el culto que se le debe.

b) Esa ley será objeto fácil de la predicación pastoral para los adultos, los cuales sin gran trabajo la compenderán, reteniendo en su memoria el contenido, extensión y excepciones (si las tiene), es decir, cuanto necesita saber un buen cristiano para cumplir el precepto de la abstención de los trabajos prohibidos por el descanso dominical.

c) Con esta ley, no serán necesarias muchas costumbres particulares, vigentes en regiones distintas Así la Iglesia Católica Apostólica Romana, mostrará, en lo posible, su « Unidad » ante asunto tan importante para la salud corporal y espiritual del individuo, para el bien moral y económico de la familia y para la unión y bien moral de la sociedad, como dijimos al principio de este escrito.

d) Tendíamos también un singular beneficio, provechosísimo para los pastores de almas, para los directores y confesores; pues desaparecerían como nubes de humo, casi todas las dudas y perplegidades que hoy agitan sus conciencias en la solución de los casos, sobre la abstención del trabajo en las fiestas, que se les presentan en sus ministerios. ¡Con qué gratitud recibirán ese decreto, si llega a darse! Esto indica otra de las conveniencias de su realización.

e) Tendríamos lo que muchos piden: « Una Norma Oficial y universal, dada por la Iglesia sobre los trabajos permitidos ».

Los Concilios particulares han legislado mucho sobre la abstención de las obras serviles en el domingo. De los Concilios ecuménicos, el de Trento, sesión 25ª, en 1563, se contentò sencillamente con recomendar a los obispos y a los pastores que procuren « *dierum festorum devota et religiosa celebratio* ».[32] El Concilio Vaticano no se ocupó de ello. El Código canónico en su canon 1248 prescribe: « *Festis de praecepto diebus* ... abstinendum (est) ab operibus servilibus »; pero no dice cómo se ha de observar esta disposición. Supone que los canonistas y moralistas se encargarán de explicarlo. En estos siglos posteriores tampoco ha emanado de la Sta. Sede una *disposición oficial y universal* sobre este particular. ¿Es que la divina Providencia reservaba para el futuro Concilio Ecuménico darnos este gran beneficio de una « *Sistematización oficial y Universal* » de los trabajos manuales, que desde el siglo VI se llamaron y se llaman en la Iglesia « Obras Serviles »?

---

[32] LABBÉ-COSSART, *o. c.*, t. XIV, col. 918.

Esperemos confiados (Dios nuestro Señor ama a su Iglesia y siempre le comunica oportunamente lo que necesita y conviene para bien de sus hijos).

✠ Iacobus Font y Andreu
Episcopus Sancti Sebastiani

43

Exc.mi P. D. IOSEPHI EGUINO TRECU

Episcopi Santanderiensis (Santander)

20 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Annis et laboribus oneratus non potui, optata festinatione, redactare ea quae tractanda in futura Oecumenico Concilio, utiliora et urgentiora, mihi visa sunt.

De istis arduis quaestionibus cum magistris, in disciplinis philosophicis, theologicis, canonicis et biblicis, valde egregiis, communicavi, et horum magistrorum dictamina a me studiose examinata et probata atque in forma schematica compilata, Eminentiae Vestrae libenter remitto. Pergratum est mihi manifestare doctores a me consultos, propter eorum sacerdotalem pietatem, orthodoxam eximiamque scientiam atque ob adhaesionem firmissimam ad Sanctam Sedem, benemeritos esse et omni laude et aestimatione dignos.

Eminentiae Vestrae addictissimus
✠ Iosephus Eguino Trecu
Episcopus Santanderiensis

Ut attente respondeam humanissimis Eminentiae Vestrae litteris, quibus Episcoporum sententiae expostulantur circa materias proponendas Oecumenico Concilio, quod Sanctissimus Papa Noster, f. r., annuntiavit, censeo in genere potissimum standum esse iudicio Sanctae Sedis, cui compertae plane sunt osorum christianae veritatis machinationes, necnon Ecclesiae multiplices necessitates et ingruentia pericula. Hoc autem Sanctae Sedis iudicium patefaciunt tum schemata iussu Apostolicae Sedis a viris peritissimis concinnata pro Concilio Vaticano, quod tamen propter

temporum iniurias suspendi debuit, tum Encyclicae Litterae aliaque plura monumenta, quibus Romani Pontifices, inde praesertim a Leone XIII, i. m., indesinenter vitam genuine Christianam ordinaverunt, divinum cultum et sacramentorum administrationem promoverunt atque doctrinam a Deo revelatam fidelissime tutati sunt.

1. Ad schemata, quod attinet, pro Concilio Vaticano diligenter praeparata, ea seligi, compleri et ad recentissimas Ecclesiae necessitatibus adaptari poterant, quae maxime utilia etiam nunc censentur. Ex schemate *Constitutionis dogmaticae de fide catholica* solum octo prima capita definiri potuerunt; ex reliquis vero decem capitibus resumi poterant ea praesertim quae agunt de Creatione, Redemptione, origine hominis ab Adamo eiusque animae spiritualitate et ad ordinem supernaturalem elevatione, de peccatis originali et personalibus hominum atque de eorum aeterna sanctione, quae quidem capita, etsi non plene, cuidamtenus tamen discussioni Patrum in Concilio Vaticano subiecta sunt: *Msi* 50, 60-340! 51, 31-450.

Ex amplissimo schemate *Constitutionis dogmaticae de Ecclesia* definitum tantum est caput XI, de potestatibus supremi visibilis Ecclesiae Capitis et de eius infallibilitate. Alia quindecim capita summe utilia contra multiplices nostrorum temporum errores censentur, ea praecipue quae agunt de Corpore Christi mystico, de necessitate Ecclesiae ad salutem, de Ecclesia ut societate visibili et perfecta, de eius unitate et indefectibilitate, de potestatibus magisterii, sacerdotii et regiminis Ecclesiae, de concordia inter Ecclesiam et Statum necnon de specialibus Ecclesiae iuribus relate ad Civitatem, quorum plura iam in Vaticano discussa sunt: *Msi* 51, 539-1070; 52, 1-1350.

Non minoris hodie utilitatis forent schemata *De Matrimonio, De libris Veteris et Novi Testamenti, De Missionibus* et *De rebus Orientalium,* quorum solum schema De Missionibus discussum est: *Msi* 53, 45-156, 715-722, 893-914.

Praeter haec, nota sunt viginti et sex alia schemata *De disciplina,* inter quae mentione digna sunt quae agunt De Episcopis, De Capitulis Canonicorum, De Parochis, De vita et honestate clericorum, De Seminariis et gradibus academicis, De praedicatione et administratione Sacramentorum, De impedimentis Matrimonii: *Msi* 53, 721-784; aliquorum discussio: *Msi* 50, 359-944; 51, 449-533; 53, 1-46.

Accedunt denique decem et octo schemata *De Regularibus* necnon quindecim alia *De rebus politico-ecclesiasticis,* quae discussioni proponi non potuerunt; sed in eis consideratione valde digna sunt ea praesertim quae recte respiciunt relationes inter Ecclesiam et Statum: *Msi* 53, 783-894.

2. Ad Summorum Pontificum monumenta post Concilium Vaticanum exarata censeo accurendum esse ad complendum rerum conspectum novo Concilio proponendarum. Ex illis depromi poterant ea quae de doctrina, de disciplina, de divino cultu et Sacramentorum administratione maioris hodie utilitatis sunt.

Ad doctrinam quod attinet, cum iuxta Pii XII edictum probe constet, « sacrum Magisterium in rebus fidei et morum cuilibet theologo proximam et universalem veritatis normam esse debere »: *A.A.S.* 42 (1950) 567, oportet sane ut a Concilio definirentur principia et potiora capita doctrinae Ecclesiae de iis ex quibus hodie graviores ac plures errores profluunt.

a) De Modernismo, iuxta Pii X Encycl. *Pascendi* et Decretum *Lamentabili*: *A.A.S.* 40 (1907) 470 ss., 593 ss.

b) De sic dicta « Nova Theologia », iuxta Pii XII Encycl. *Humani generis*: *A.A.S.* 42 (1950) 561 ss.

c) De Ecclesiae unitate et unicitate, iuxta Encycl. Leonis XIII *Satis cognitum* et Pii XI *Mortalium animos*: *A.A.S.* 28 (1896) 708 ss.; *A.A.S.* 20 (1928) 5 ss.

d) De potestatibus Ecclesiae ac maxime de Magisterio, iuxta Pii XII Encycl. *Humani generis* et *Ad Sinarum gentem,* atque eiusdem Allocutiones *Si diligis, Magnificate* et *Di gran cuore*: *A.A.S.* 42 (1950) 561 ss.; 46 (1954) 313 ss., 666 ss.; 47 (1955) 9 ss.; 48 (1956) 704 ss.

e) De Corpore Christi mystico eiusque veri membris, iuxta Pii XII Encycl. *Mystici Corporis*: *A.A.S.* 35 (1943) 193 ss.

f) De sacerdotio catholico, iuxta Encycl. Pii XI *Ad catholici Sacerdotii* et Adhortationes Pii X *Haerent animo* et Pii XII *Menti Nostrae: Acta Pii X,* 4, 237 ss.; *A.A.S.* 28 (1936) 5 ss.; 42 (1950) 675 ss.

g) De divino cultu et de sacra Liturgia, iuxta Pii XII Encycl. *Mediator Dei* et *Musicae Sacrae*: *A.A.S.* 39 (1947) 521 ss.; 48 (1956) 5 ss.

h) De sacra Scriptura, iuxta Encyclicas Leonis XIII *Providentissimus,* Benedicti XV *Spiritus Paraclitus* et Pii XII *Divino afflante Spiritu*: *A.A.S.* 26 (1893) 278 ss.; *A.A.S.* 12 (1920) 393 ss.; 35 (1943) 297 ss.

i) De Mariologia, iuxta Pii XII Bullam *Munificentissimus* et Encycl. *Fulgens corona* et *Ad coeli Reginam*: *A.A.S.* 42 (1950) 735 ss.; 45 (1953) 577 ss.; 46 (1954) 625 ss.

j) De Matrimonio, iuxta Pii XI Encycl. *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930) 539 ss.

k) De ordine sociali seu de sociali Ecclesiae doctrina, iuxta Encyclicas Leonis XIII *Rerum novarum* et Pii XI *Quadragesimo anno* et *Divini*

Redemptoris: *A.A.S.* 23 (1891) 641 ss.; *A.A.S.* 23 (1931) 177 ss.; 29 (1937) 65 ss.

l) De apostolicis Missionibus, iuxta Encycl. Benedicti XV *Maximum illud*, Pii XI *Rerum Ecclesiae* et Pii XII *Evangelii praecones*: *A.A.S.* 11 (1919) 440 ss.; 18 (1926) 65 ss.; 43 (1951) 497 ss.

m) De orientalium Ecclesiis, iuxta Encycl. Pii XI *Ecclesiam Dei, Rerum Orientalium, Lux veritatis*, et Pii XII *Orientalis Ecclesiae, Orientales omnes, Orientales Ecclesias*: *A.A.S.* 15 (1923) 573 ss.; 20 (1928) 277 ss.; 23 (1931) 493 ss.; 36 (1944) 129 ss.; 38 (1946) 33 ss.; 45 (1953) 5 ss.

n) De relationibus Ecclesiam inter et Statum, iuxta Syllabum Pii IX et Encyclicas Leonis XIII *Diuturnum illud, Immortale Dei, Libertas, Sapientiae Christianae, Rerum novarum*, collata Pii XII allocutione *Vous avez voulu*: Denzinger nn. 1719-1755: *A.S.S.* 14 (1881) 1 ss.; 18 (1885) 161 ss.; 20 (1888) 593 ss.; 22 (1890) 385 ss.; 23 (1891) 641 ss.; *A.A.S.* 47 (1955) 677 ss.

o) De christiana iuventutis educatione, iuxta Pii XI Encycl. *Divini illius Magistri*: *A.A.S.* 22 (1930) 49 ss.

3. Ut aliqua in specie attingam quae meo sane iudicio Concilii deliberationibus proponi deberent, praecipua haec sunt, quae sequuntur.

A) *Relate ad doctrinam ab omnibus tenendam.*

a) De fontibus revelationis. Renovanda sunt decreta Conciliorum Tridentini et Vaticani atque ulterius complenda ita ut plenius definiatur divinae inspirationis natura et extensio intra diversa literaria sacrorum librorum genera, adeo ut tuto discerni possint ea quorum Deus verus est auctor ab illis quae forte auctori humano tribui possint. De relatione inter sacram Scripturam et divinam Traditionem, iudicio Concilii submittenda esset sententia recentiorum irenistarum tenentium, integrum revelationis obiectivae depositum in sacris Scripturis contineri, adeo ut divinae Traditioni functio tribuatur mere transmitendi, proponendi et explicandi depositum fidei in sola Scriptura plene contentum. De interpretatione vero sacrae Scripturae, contra relativismum exegeticum, ad quem ducere potest abusus sic dictorum « generum litterariorum », urgendum esset criterium a Conciliis Tridentino et Vaticano statutum, videlicet sacram Scripturam intelligendam esse iuxta viventem in Ecclesia divinam Traditionem in consensu Sanctorum Patrum manifestatam et secundum iudicium authenticum Magisterii Ecclesiae.

b) De methodo theologica, quae perperam adhibita « Novae Theologiae » errores induxit. Accuratius determinandae sunt partes quae in theologica investigatione fontibus revelationis, Magisterio Ecclesiae, scrip-

tis Sanctorum Patrum et Theologorum et humanae rationi competunt. Declarandum est praeterea discrimen quod interest inter scientiam pure positivam et historicam, et scientiam theologico-positivam et theologico-historicam, iuxta Pii XII editum antea initio numeri 2 allatum.

c) De potestatibus ecclesiasticis docendi, sanctificandi et regendi, probe definienda est earum natura essentialiter ministerialis sub principali Christi Ecclesiae Capitis influxu, iuxta illud Sancti Pauli effatum: « sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei » (*1 Cor.,* 4, 1), atque secundum hoc principium ad Ecclesiae munera designandi et in illis retinendi tantum sunt illi ministri qui revera apti sint ad talia munera efficaciter exercenda. In iisdem potestatibus accurate distinguenda sunt ea quae Episcoporum sunt propria ex iure divino ab illis quae accedunt ex iure ecclesiastico; atque determinanda magis est facultas quae Apostolorum successoribus competit suas potestates delegandi fidelibus sive clericis sive etiam laicis. In specie de Magisterio Ecclesiae accurate definienda est eius auctoritas vere doctrinalis atque diversi eiusdem potestatis gradus quibus exerceri potest, nec non correlata subditorum obligatio eiusque diversi gradus quibus fideles tenentur praestandi mentis assensum. De obiecto vero Magisterii, praeter veritates depositi divinae revelationis quas directe Magisterium attingit, determinandum est criterium iuxta quod tuto discerni valeat extensio auctoritatis Magisterii ad alias veritates de quarum formali revelatione minime constat.

d) De necessitate Ecclesiae ad salutem et de eius membris. Clare definienda est ratio membri Ecclesiae quae requiritur ac sufficit ad salutem obtinendam, atque decidendum utrum baptizati, qui externe quidem, sed bona fide, ad sectam haereticam vel schismaticam materialiter pertinent et internae gratiae donis ornati sunt, haberi debeant ut membra ab Ecclesia avulsa an ut vera eiusdem Ecclesiae membra licet occulta. Determinare etiam oporteret adspectus praecipuos quibus omnia Ecclesiae membra, etiam si ad laicalem statum pertineant, active participare valeant, sub Episcoporum potestate, de exercitio facultatum docendi, sanctificandi et regendi, ad quod exercitium tandem reduci potest sic dictus « Laicorum apostolatus ».

e) De creatione, elevatione et lapsu hominis. Renovanda ac complenda est Concilii Tridentini doctrina de origine hominis ab Adamo, de generis humani supernaturali elevatione et lapsu in protoparente ac de plena gratuitate ordinis supernaturalis. Iudicium etiam ferendum est de evolutionismo anthropologico et de polygenismo.

f) De Eucharistia et Sacerdotio. Definitorie respondendum est quaestionibus recenter agitatis de reali Christi praesentia in Eucharistia et de

natura transubstantiationis. De iure sive divino sive ecclesiastico in quo fundatur discrimen ordinum Presbyteratus et Episcopatus, et de indole activae participationis fidelium baptizatorum de christiano Sacerdotio, statuere oporteret fundamentalia doctrinae Ecclesiae capita. Determinandus etiam esset gradus obligationis, qua Episcopi, ut Apostolorum successores, teneantur exsequi illud Christi mandatum: « Euntes ergo docete omnes gentes » (*Mt.* 28, 19) Apostolis praescriptum eorumque successoribus « usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 20).

g) De relationibus Ecclesiam inter et Statum. Post institutam divinitus Ecclesiam ut perfectam societatem ab Statu independentem ad totalem curam de religione habendam, statuenda esset, vera ratio ob quam Status sit obligatus ad liberum et facile ubique reddendum verae religionis exercitium. Ad explicandas vero relationes quae intersunt inter utramque societatem perfectam decidendum est, utrum necesse sit admittere sic dictam « potestatem indirectam » Ecclesiae supra Statum, an, ut recentioribus quibusdam praeplacet, agnoscere sufficiat obligationem erga Deum, qua tam Ecclesia quam Status tenentur observare ordinem divinitus statutum.

h) De forma proponendi definitiones dogmaticas, forte oporteret abstinere a damnationibus sub anathemate, quae hominibus nostrorum temporum duriores videntur. Tamen definitiones dogmatice fieri possunt sine forma anathematis, prout factum est in oecumenicis Conciliis Chalcedonensi, Lateranensi IV capite « Firmiter », Lugdunensi II, et Florentino decreto pro Graecis: Denzinger nn. 148, 428-430, 460-466, 691-694.

B) *Relate ad disciplinam.*

a) In genere expeditiores methodi adinveniendae sunt, iuxta magnum nostrae aetatis progressum, quibus omnia Ecclesiae negotia atque potestatum docendi, sanctificandi et regendi exercitium celerius, efficatius, magisque accommodate ad diversarum gentium indolem perficiantur. Ut autem haec celeritas, efficacia et accommodatio functionum Ecclesiae obtinerentur, iuvaret forte introducere quasdam iubilationis aetates, quibus omnia ecclesiastica munera, excepto tantum Summo Pontificatu, submitterentur tam in Romanis Dicasteriis quam in omnibus orbis catholici Dioecesibus. Immo iuxta principia de Ecclesiae universalitate, a Pio XII exposita in pervigilio Nativitatis Domini anni 1945 et in allocutionibus ad Cardinales mensis februarii anni 1946: *A.A.S.* 38 (1946) 15 ss., 101 ss., 141 ss., opportunum esse videtur ut Concilium deliberare valeat circa convenientiam instruendi Caput universalis Ecclesiae organis quae plenius in Romana Curia notam universalitatis exhiberent. Etenim uni-

versalitas originis personarum, quibus Romana Dicasteria instrui possent, et optatis fidelium universi orbis satisfaceret, et pleniorem praeberet campum ad maxime aptos seligendos, et faciliorem multo redderet Curiae adaptationem ad intelligendas solvendasque quaestiones undequaque provenientes, et denique, ut Pius XII aiebat, « illud in nova luce poneret, quod peculiaris est Catholicae Ecclesiae nota: eam nempe non ad aliquam tantummodo stirpem, gentem, nationemve pertinere, sed ad singulos universos humanae familiae populos »: *A.A.S.* 38 (1946) 102.

b) In vigenti Iure Canonico 1) profundae revisioni subiicere oporteret integrum ius beneficiarium illudque ita statuere ut beneficium eiusque ius plene sint functioni vel ministerio sacro subordinata, nec tolerandum ut ministerium sacrum ex iuribus beneficiorum detrimentum patiatur; ius vero Capitulare vel supprimi vel multum reduci posset; 2) ius processuum et poenarum valde complicatum in multis; poterat sane multo facilius reddi; amplius forte patere poterat recursus ad processum administrativum, quin necesse sit saepe recurrere ad processum iudicialem; 3) multum reduci possent capita de poenis et censuris; matrimonialia vero impedimenta minoris gradus supprimere oporteret; casuum autem reservatio coarctanda esset, atque commendanda facilitas delegandi iurisdictionem illis de quorum apta praeparatione ambigi iure nequit; 4) disputabilia quaedam, quae iam in recenti iure Orientalium soluta sunt, eodem modo solvere oporteret.

c) Complendum esset ius Canonicum capitibus, quae desiderantur, in quibus plenius definiantur et describantur iura et obligationes 1) Laicorum qua talium in Ecclesia, 2) associationum apostolicarum ut Actio Catholica et aliae similes, 3) Institutorum saecularium ad perfectionem tendentium, 4) piarum reliquarum fidelium confraternitatum.

C) *Relate ad divinum cultum et Sacramentorum administrationem.*

a) In genere conandum est ut ex investigationibus historicis aperte pateant ea quae in hac materia mere sint adventitia et secundum optata gustumque diversarum aetatum accidentaliter inducta, ut facilis paretur via ad ea supprimenda quae minus utilia nostra aetate sint.

b) In primis quaerendae sunt simplicitas, expeditio et efficacitas, quae adeo consentaneae sunt christiano Evangelii spiritui et nostris temporibus maxime placent; adeoque ea omnia corrigi vel auferri deberent quae mera sunt pompae medii aevi vestigia.

c) Laudandus est labor impensus in reformatione sacrae Liturgiae, in qua vel maxime procurari debent puritas formularum et dignitas actionum sacrarum; sed non ideo quia formulae quaedam vel actiones sacrae antiquiores sint eo ipso puriores et aptiores indicandae sunt, ast,

salvis omnino iis quae de iure divino, vel essentialia, vel ob certas causas plane necessaria censeantur, illae potius formulae et actiones seligendae aut adinveniendae sunt, quae aptiores fuerint ad hoc ut fideles et probe sciant quid a Deo petunt in orationibus suis, et facile agnoscant quos internos actus elicere debent dum debitum Deo cultum praebent, et recte intelligant quid eis confertur quidve accipiant in Sacramentorum susceptione, et bene cognoscant quid ipsi active conferre debeant in mysteriorum celebratione, in Sacramentorum susceptione et in divini cultus fideli praestatione. Ad hoc autem procurandum est ut amplior in dies reddatur linguae vernaculae usus atque apta ad hoc fidelibus praebeatur instructio.

d) Etiam ipsas essentiales formulas simpliciores in aliquibus casibus reddere oporteret, praesertim in administratione Sacramentorum quae multum frequentantur; ita, exempli gratia, formula absolutionis in confessione sufficeret haec. « Dominus Noster Iesus Christus te absolvat et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omnibus peccatis tuis, in nomine P. et F. et Sp. S. ».

Adnotatio de Christianorum separatorum reditu ad unionem catholicam

Quamvis omnino persuasus sim praeparationem necessariam ac praeviam investigationum historicarum, iuridicarum et dogmaticarum longe distare ab illa maturitate quae prorsus requiritur ad hoc negotium viis humanis aggrediendum, et quamvis mihi etiam constet ex quamplurimis manifestationibus eorum qui sincere in sic dicta « Motione Oecumenica » laborant, animorum dispositionem nondum illum benevolentiae ac comprehensionis gradum attigisse, sine quibus stabilis unio, meo sane iudicio, obtineri nequit; tamen aliqua proponam quae forte utilia erunt ad faciliorem in dies reddendam optatissimam omnium Christianorum unionem.

Perplacet ante omnia adducere verba quibus Sanctissimus Pater f. r. ad Concilium a Se annuntiatum in Encyclicis litteris *Ad Petri Cathedram* alludens ait: « Concilium mirabile praebedit veritatis, unitatis, caritatisque spectaculum; spectaculum dicimus, quod ii etiam cernentes, qui ab Apostolica hac Sede seiuncti sunt, suave, ut confidimus, invitamentum accipient ad illam unitatem quaerendam assequendamque, quam Iesus Christus a caelesti Patre flagrantibus rogavit precibus »; *A.A.S.* 51 (1959) 511.

Ad hunc nobilissimum scopum obtinendum iuvare forte poterit ut a Concilio promulgetur amplissima professionis fidei formula, in qua enuntiata contineantur omnia fidei dogmata, quae omnes Catholicae Ecclesiae Antistites ac fideles unanimi consensu profitentur et praedicant.

Hoc mirabile erit vel maxime Protestantibus, qui in amplissimis Oecumenicis Conventibus sexto quoque anno celebratis solum quodammodo convenire potuerunt in agnitione Christi ut Domini et Salvatoris hominum.

Addere etiam oporteret ingenuam quandam et apertam declarationem, in qua accurate discernerentur ea quae in institutionibus, iuribus, consuetudinibus et ritibus christianae religionis certo esse censentur de iure divino atque adeo omnino immutabilia, ab aliis omnibus quae ex iure mere ecclesiastico, iuxta diversorum temporum exigentias utilitatesque, legitima autoritate adiuncta sunt. Hoc autem discrimine statuto, declarandum probe a Concilio esset, Catholicam Ecclesiam pronam esse ad concedenda ea omnia quae pro bono unionis exito concedi poterant ex iis quae de iure ecclesiastico esse censeantur, iuxta Pii XII doctrinam in Encyclicis *Mediator Dei* et *Evangelii praecones* traditam: « Illam Ecclesia sapientissimam normam sequuta est, qua quidquid boni, quidquid honesti ac pulchri variae gentes e propria cuiusque sua indole e suoque ingenio habent, id Evangelium, quod amplexae sint, non destruat neque restinguat ». « Sacra Liturgia ut humanis, ita divinis constat elementis; haec autem, ut patet, cum a divino Redemptore constituta fuerint, nullo modo ab hominibus mutari possunt; illa vero, prout temporum, rerum animorumque necessitates postulant, varias commutationes habere possunt, quas ecclesiastica Hierarchia, S. Spiritus auxilio innixa, comprobaverit »: *A.A.S.* 39 (1947) 541; 43 (1951) 521. Haec censeo possent unionis viam sternere.

I. *Quoad doctrinam*

1. *Sedula vigilantia* Ordinariorum ac Superiorum circa quaedam doctrinae capita, a mente Ecclesiae aliena, quae facile serpunt. Decernatur vel confirmetur a Concilio, et magis determinetur quod in Enciclica *Humani generis,* Pii XII, continetur; et ea quae spectant ad inerrantiam S. Scripturae, ad normas interpretationis; ad elementum divinum et humanum revelationis.

2. *Ad ius publicum ecclesiasticum,* definiantur ac declarentur relationes inter Ecclesiam et Statum, quoad religionem; quoad collaborationem; ac Ecclesiae potestas, praesertim indirecta, de quibus multi catholici, etiam ecclesiastici, errant.

3. Item doctrina tenenda *circa laicorum potestatem* in collaboratione ad apostolatum hierarchicum, circa quod falsae sententiae proferuntur.

4. Ordinarii ac Superiores severius moneant eos qui doctrinas minus

tutas propalant, et si opus est puniant, etiam remotione a munere docendi.

5. Inculcanda iterum et explicanda *vera fundamenta dogmatica et ratio devotionis S. Cordis Iesu,* eiusque maximae utilitates. Haec enim devotio hodie a multis etiam ecclesiasticis aut despicitur aut impugnatur inanibus rationibus: quod a femina histerica originem habeat; quod virorum impropria est; quod S. Cordis imagines nimis dulces ac veluti femineae ac non viriles pingantur, et similia. Qua in re deploranda est quaedam Iansenismi quasi renascentia.

II. *Quoad S. Liturgiam*

6. Maxime desideratur *Codex liturgicus,* systematice confectus, instar Codicis Iuris Canonici, suppressis multis minutiis, quae phariseismum sapere possunt. Et eo spiritu praeditus ut prae omnibus animarum bonum attendatur, et foveatur; nec leges liturgicae seu rubricae praevaleant fidelium saluti, ut apud non paucos liturgistas cernitur; sed e contra huic fini pastorali suppeditentur.

7. Commune desiderium est ut praenuntiata *reformatio Breviarii ac Missalis* quam citius fiat; in breviorem formam redacta, quo maiori devotione recitetur, exclusis iis quae historiae verae non congruant.

8. Cum in quibusdam nationibus *triduum sacrum hebdomadae sanctae* magna solemnitate ac praecipua populi devotione celebretur ac animarum fructu, ut in Hispania, ubi feria V et VI festum civile de praecepto imponitur; optandum est ne urgeatur adeo observantia communis liturgiae, ut tantus fructus impediatur; quod! proh dolor! ab Episcopis et parochis deploratur, ob statutum novum ordinem hebdomadae Sanctae.

9. Optandum quoque ut in *feria V hebdomadae sanctae, qua institutio sacrificii eucharistici commemoratur, omnibus sacerdotibus liceat illud celebrare.* Hodie praesertim valde grave eis fit a celebrando illo die abstinere, cum omnes quotidie celebrare soleant. Imo, gratum illis fieret, si etiam sabbato sancto celebrare eis permitteretur.

10. Item, desideratur ut *feria V hebdomadae maioris fideles communionem recipere possint in missis et horis matutinis ac vespertinis.* Innumeri enim sunt qui illa die ad sacram mensam accedunt.

III. *Quoad Ius Canonicum*

Multa suadentur reformanda, quae a canonistis praesertim indicabuntur. Praecipua insinuabimus.

11. *Facultas dispensandi in legibus communibus* canone 81 Ordi-

nariis concessa ne restringatur quoad vota privata S. Sedi reservata. Oporteret tolli resolutio Commissionis Interpretum C. I. C. quae declaravit illa vota non posse ab Ordinariis dispensari vi can. 81.[1] Nam *a*) talis restrictio non congruit doctrinae gravissimorum doctorum; *b*) regulares plerique ex privilegio ab iis dispensare possunt; *c*) restrictio in magnas angustias coniiceret voventes, si neque in casu illo urgente posset Ordinarius dispensare.

12. *Vacatio beneficii* per promotionem beneficiarii a S. Sede factam. Beneficium sic vacans manet S. Sedi reservatum (can. 1435, 1, n. 4); et in rescripto promotionis ad aliud beneficium dicitur, per solam collationem secundi vacare primum, ita ut ex tunc de illo S. Sedes disponere possit. Iam vero non raro accidit, ut antequam promotus possessionem secundi ceperit, poenitens velit primum conservare, nec secundum possidere. Nonne oporteret ut servaretur norma communis can. 188 n. 3, quod primum non vacet nisi post secundi possessionem? Declarari oportet quoque quae iura et onera competant promoto antequam possessionem secundi beneficii capiat; an videlicet vacatio primi *sit semiplena,* et interea conservet promotus in beneficio *a quo* omnia iura et onera quae habebat, sicut statuit can. 430, 3 de Episcopo ad aliam Sedem promoto, a notitia translationis.

13. *Capitula canonicorum.* De his supprimendis iam egerunt Codicis redactores; quod si hoc in Codice tunc non fuit factum, ideo tandem conservata fuerunt quia quidam notarunt difficultates quae possent opponi a quibusdam Guberniis cum quibus S. Sedes concordatum habebant nunc vero nonne tempus advenit illa supprimendi?

Capitula haec iam a fine suo deciderant, nec hodie finalitatem, ut dicitur, habent. Finis Capitulorum omnium est cultus solemnis; cathedralium praeterea ut sit senatus Episcopi, et sedem vacantem interim regat. Sincere loquamur:

1) Ex communi dicto ac sensu, cultus male exercetur; fideles officiis divinis in capitulo factis vix assistit, quia nullam devotionem experiuntur, immo non raro contrarios sensus; antiquitus utique in his functionibus cum fructu spirituali populus participabat; hodie (a quibusdam Episcopis audivimus ecclesias cathedrales vix frequentat, et ut quidam ex his addit, saepe cathedrales sunt minime omnium frequentatae. Ergo primus finis capitulorum, cultus sollemnis, defecit.

Adde quod hodie multa Capitula dispensationem a choro vespertino obtinuerunt; et in quibusdam extra Hispaniam chorus non habetur nisi in quibusdam festis sollemnioribus.

---

[1] 26 ian. 1949; *A.A.S.,* 41, 158.

2) Quod sit senatus Episcopi. Hi non raro conqueruntur de difficultatibus quas experiuntur, quando consensum aut consilium Capituli requirere debent: dissensiones inter canonicos, partialitates, murmura etc., quae obstacula in gubernatione creant.

3) Quod dioecesim vacantem interim regant. E iure eligere debet Vicarium; in qua electione quot dissensiones in Capitulis oriantur notum est. Ideo forte S. Sedes, praesertim ubi agitur de sedis vacatione per translationem, solet nominare Episcopum translatum Administratorem dioecesis a qua.

Praeterea hodie graviores necessitates in Ecclesia ortae sunt, quibus explendis Episcopi egent adiutorio capitularium, nec tamen his libere uti possunt propter chorum.

Cum ergo Institutum Capitulorum sit antiquatum, optanda esset eius suppressio, seu substitutio, ita:

1° Supprimitur Capitulum ipsum tamquam persona moralis.

2° Supprimitur chorus.

3° Ecclesia Cathedralis sit paroecia praecipua totius dioecesis, cum parocho et convenienti numero vicariorum cooperatorum, aliorumque clericorum et officialium, ad optimam animarum curam, et ad cultus praestantiam.

4° Ecclesiae cathedrali adscribantur unus vel plures Poenitentiarii cum officio et facultatibus quae canonico poenitentiario tribuuntur, Concionator, Magister caeremoniarum, Moderator musicae ac cantus, et alii officiales qui opportuni censeantur; ut custos thesauri ecclesiae, etc.

5° In commune totius dioecesis commodum constitui potest Doctoralis, qui de quaestionibus iuridicis Ordinarium informare possit. Moderator Actionis catholicae, Actionis socialis, catechesis etc.

Hi omnes collegium non constituent.

6° In ecclesia cathedrali chorus solemniter haberi potest, saltem partialiter, in quibusdam festis solemnioribus; cui assistant clerici ipsi ecclesiae addicti, non impediti.

7° Officium capituli cathedralis, quod sit senatus Episcopi, et quod sede vacante eius vices suppleat in dioecesis regimine, optime supplebitur per *consultores dioecesanos,* de quibus Codex lib. 2, tit. 8, cap. 6, can. 423-28. Innumerae sunt hodie dioeceses, quae capitulum cathedrale non habent.

8° Quoad capitula collegialia similia statui possunt. Cessent qua personae morales. Ecclesia collegiata sit paroecia praecipua post cathedralem; dotata convenienti clericorum numero ad optimam animarum curam et splendentem cultum.

Ut puto, etiam in nationibus quae concordatum cum S. Sede habent,

capitulorum suppressio sine magna difficultate obtineri potest. Gubernia hodie facile acquiescent, dummodo non augeatur pensio a Statu solvenda.

Planum est: capitularibus et beneficiariis hodiernis iura quaesita conservarentur, aut fieret congrua compensatio.

14. *Religiosarum confessiones.* Desiderandum ut aboleatur can. 876, qui ad validitatem absolutionum exigit in confessario iurisdictionem specialem. Hic enim canon in nihilum practice redactus est per can. 522-23 cum interpretationibus a Commissione Interpretum et a canonistis datis; ita ut hodie vix casus sit in quo religiosa non possit absolvi a quovis confessario pro mulieribus approbato. Aliunde idem can. 876 magnam gignit inquietudinem et confessariis et religiosis. Quare abrogandus videtur.

Maneat utique quod statutum est status de confessario ordinario et extraordinario sed cum libertate religiosarum confitendi cuivis sacerdoti pro mulieribus ad confessiones audiendas approbato.

15. *Actio catholica.* Huic aliquod caput vel quid simile in Codice assignari oportet, ubi determinentur: nomen, natura, constitutio, officium, facultates, personalitas, relatio ad hierarchiam et ad alias pias associationes, praecedentia, et alia circa quae non paucae disputationes sunt, et errores, et abusus.

16. *Minister extraordinarius confirmationis.* Oportet tolli quasdam anomalias quae in decreto S. C. Sacramentorum 14 sept. 1946 notantur. Quare possit confirmare in mortis periculo vicarius oeconomus paroeciae, et non possint ceteri vicarii plena potestate paroeciali praediti. Saepe parochus a residentia dispensatus, etiam per annos a paroecia abest, relicto legitimo vicario substituto. Iam vero, si hic substitutus non habeat potestatem confirmandi, moribundi omnes illius paroeciae etiam per annos plures privabuntur solatio et adiumento sacrae confirmationis; in dioecesibus enim magnis Episcopus facile vacari nequit, sicut facile potest haberi in parvis dioecesibus Italiae. Anomalia haec non videtur congruere menti ac voluntati Summi Pontificis.

Ergo desideratur statuendum vel declarandum quod in mortis periculo propter infirmitatem, *parochi et omnes vicarii plena potestate paroeciali praediti,* possint confirmationem administrare. Ceterum ex solida plurium canonistarum sententia illi vicarii hanc potestatem habent ex ipso decreto n. 1 *c*); quae sententia forte in praxim deducitur. Oportet autem ut id expresse statuatur vel declaretur.

Imo, oporteret ut eadem potestas vicariis cooperatoribus agnosceretur; vel saltem hi possint a loci Ordinario vel parocho delegari ad confirmationem administrandam.

Eadem agnoscatur Vicario Generali ac Capitulari; et vicariis et cappellanis castrensibus, et illis cappellanis piarum domorum, ut hospitalium, carcerum et similium, qui plena potestate paroeciali in iisdem gaudent.

Nec absonum censeretur quod hi omnes confirmare possent in mortis periculo *quavis de causa orto,* ut praelio, naufragio, poena capitis.

Hae enim ampliationes benignitati Ecclesiae congruunt, nec speciale periculum abusus creare videntur.

17. *Ieiunium eucharisticum.* Non raro accidit ut sacerdotes qui plures missas eodem die celebrare debent, difficultatem in servando ieiunio eucharistico unius horae, quoad liquida, experiantur. Quandoque enim valde mane surgere debent ad aliquid sumendum ante primam; et praeterea illa hora adeo matutina stomachus aegre aliquid tolerat; deinde inter unam et aliam missam vix obtinere possunt unam horam ad aliquid sumendum, per modum potus; et tandem usque ad tardam horam ieiuni manere cogantur forte cum valetudinis detrimento.

Ergo optandum ut in disciplina ieiunii eucharistici haec aut similis clausula inducatur: « Sacerdotes qui plures missas eodem die sunt celebraturi, possunt inter eas aliquid per modum potus sumere, non servato ieiunio unius horae ».

Sic ante novam disciplinam quando S. Officium dispensabat sacerdotes ut inter unam et aliam missam possent aliquid per modum potus sumere, non servato ieiunio unius horae.

18. *Missa vespertina.* Post ultimam disciplinam frequentissima in dies facta est. Quare nonne oporteret ut iure communi permitteretur omnibus sacerdotibus missae celebrationem horis postmeridianis; ita tamen ut missa matutina per se praeferatur?

19. *Communio vespertina.* Potiori ratione oporteret forte permittere fidelibus communionem horis pomeridianis, etsi missa vespertina non celebretur. Frequentissime enim accidit ut multi, v. gr. operarii, scholastici etc. mane communionem recipere non possint et desiderarent horis pomeridianis communicare cum missa vespertina non celebretur.

Iam ipse can 867, 4 permittit ut rationabili causa communio distribuatur etiam horis vespertinis: « Sacra communio iis tantum horis distribuatur quibus missae sacrificium offerri potest, *nisi aliud rationabilis causa excuset* ». Cum haec rationabilis causa hodie frequentissime occurrat, ad vitandas anxietates, et, ut fideles tranquille ac devote communionem vespere recipiant, nonne oporteret ut memorata 4 ita redigeretur: « Sacra communio praeferenter horis matutinis recipiatur, at etiam horis pomeridianis recipi potest »?

20. *Peccatorum reservatio.* Cum disciplina reservationis hodie inef-

ficax evaserit, quia ab ipso iure multae viae patent ut quivis confessarius, etiam ad reservata non approbatus, ab eis absolvere potest; ideoque iam multi Episcopi ac Synodi reservationes suppresserint, opportunius videretur statuere; « Ordinarii peccata non sibi reservent nisi in casu vere extraordinario et ad breve tempus; reservationes autem hucusque factae non amplius vigent ».

21. *Impedimenta matrimonialia.* Impedimenta gradus minoris (canone 1042) supprimi oporteret. Experientia teste multa matrimonia contrahuntur nulla ob haec impedimenta, quia frequenter ignorantur. Aliunde facillime dispensantur, etiam sine causa vera (can. 1054).

In schemate Codicis, anni 1916, supprimebantur impedimentum consanguinitatis in tertio gradu et publicae honestatis in secundo. Impedimentum affinitatis in secundo gradu etiam a parochis saepe ignoratur aut non advertitur.

Adde quod vinculum familiaritatis, quae est horum impedimentorum ratio, hodie adeo relaxatum est ut quoad effectus civiles nihil iam attendatur.

Impedimentum autem criminis ex adulterio cum promissione aut attentatione matrimonii, plerumque est occultum et ignoratum. Generatim occurrit inter concubinarios, quia unus ex his, relicto coniuge legitimo, alteri adhaesit, cum promissione matrimonii pro tempore quo coniuge legitimo mortuus fuerit. Iam vero, hoc primum procurat Ecclesia: ut concubinatus ille disiiciatur; ad quod, medium ordinarium est matrimonium inter ipsos concubinarios. Quare ergo eisdem impedimentum criminis imponatur? Nonne contradictorium quid in eo cernitur?

22. *Forma matrimonii.* Ad huius valorem requiritur ut contrahatur coram parocho, aut loci Ordinario, aut sacerdote delegato, et duobus testibus (can. 1094). Necessitas iurisdictionis ordinariae vel delegatae ad matrimonii valorem innumera matrimonia nulla aut saltem dubia gignit. Quare non immerito forte proponeretur ut iurisdictio ordinaria vel delegata requiratur, non ad validam, sed solum ad licitam assistentiam matrimonio; ita ut hoc ad valorem contrahi debeat coram sacerdote quovis et duobus testibus; sed ad liceitatem hic sacerdos sit Ordinarius vel parochus loci ubi contrahitur vel sacerdos delegatus. Quod si nemo ex contrahentibus habeat in illo loco domicilium aut quasi-domicilium aut menstruam commorationem, requiratur ad licitam assistentiam licentia parochi vel Ordinarii domicilii, quasi-domicilii aut menstruae commorationis alterutrius contrahentis.

Hoc: quod ad valorem matrimonii sufficiat quod contrahatur coram quovis sacerdote, etsi non delegato, et duobus testibus, grave periculum

creat: quod sacerdotes audaces, qui non desunt, matrimonio assistant sine licentia et sine praevio contrahentium scrutinio.

At tandem matrimonium valeret, dum e contra ob necessitatem delegationis ad valorem, multa nunc invalide contrahuntur.

Praeterea Commissio Interpretuum ad dubium: « An praescriptum can. 209 (de supplentia iurisdictionis in errore communi) applicandum sit in casu sacerdotis, qui delegatione carens matrimonio assistit », respondit: *Affirmative* (21 mar. 1952). Post hoc responsum aliqui canonistae contendunt Ecclesiam supplere iurisdictionem ad assistendum matrimonio *in omni casu,* etiam solitario; et sic practice non requireretur iam potestas ordinaria vel delegata, quam requirit can. 1094. Et quamvis hoc communiter reiicitur, non deerunt tamen qui illa sententia nixi valida habeant quaevis matrimonia contracta absque delegatione.

Ergo, ut diximus, non immerito proponeretur quod valeat matrimonium celebratum coram quovis sacerdote, etsi non delegato, et duobus testibus; sed imponatur poena sacerdoti qui sine potestate ordinaria aut delegata matrimonio assistat. Quod si hoc non censeatur opportunum, statuatur quod licentia assistendi concedatur a iure omnibus vicariis cooperatoribus. Quod possit dari generalis cuivis sacerdoti, et effectum obtineat a momento concessionis etsi a delegato non petita nec acceptata, et ignorata; ad normam can. 37-38. Sic saltem minuetur numerus matrimoniorum nullorum ex defectu formae.

23. *Abstinentia et ieiunium quadragesimale.* Iam redactores Codicis volebant haec reducere; tandem hoc non fuit factum. At hodie manifestum est ieiunia et abstinentias, prout a Codice statuuntur, non posse servari.

Aliunde liturgia quadragesimalis tota circum ieiunium vertitur; quare ut sensum habeat et salutaris poenitentia non tollatur, haec forte ratio proponi posset: Abstinentia et ieiunium quadragesimale per turnum, nempe per regiones. Dividatur orbis catholicus in sex regiones, fere ut fit in can. 340, 1 quoad relationem de statu dioecesium, hoc vel simili modo: Feria II ieiunium et abstinentiam observent catholici Europae Occidentalis; Feria III, Europae Centralis; IV, Europae Orientalis; V, Americae Septentrionalis; VI, Americae Meridionalis; Sabbato, reliqui. Sic singulis diebus Quadragesimae esset pars catholicorum magna, qui nomine totius Ecclesiae offerret Deo sacrificium poenitentiae; ac Liturgia sensum suum conservaret.

Feria IV Cinerum et Feria VI hebdomadae sanctae omnibus imponerentur.

Abrogentur tandem omnia privilegia pluribus nationibus concessa circa abstinentiam et ieiunium quadragesimale.

24. *Sacrae Peregrinationes.* Codici incorporentur instructiones S. C. Concilii 11 febr. 1936. Item circa itinera et rusticationes clericorum cum mulieribus.

25. *Taxae.* Can. 1507 praecipit ut taxae pro tota provincia ecclesiastica praefiniantur in concilio provinciali aut in conventu Episcoporum comprovincialium; et sint uniformes pro universa provincia. Hoc, praesertim hodiernis temporibus, incomoda non parva habet: *a*) Propter mutabiles conditiones oeconomicas taxae debent frequenter mutari, ut temporibus accomodentur. Iam vero huiusmodi accommodationes difficiles fiunt pro tota provincia; et concilia provincialia aut conventiones episcopales forte non debita frequentia celebrantur, quo fit, teste experientia, ut taxae nimis antiquatae maneant. *b*) In provinciis parvis, ut sunt italicae, taxae uniformes pro provincia facile congruunt omnibus dioecesibus, quia conditio oeconomica in parvo territorio communis erit. Sed in provinciis magnae extensionis, valde varia est conditio oeconomica singularum dioecesium; quare uniformis taxatio non potest aptari diversae huic conditioni, ut aequum foret.

Ergo congrueret ut taxae omnes praefiniantur a singulis Episcopis cum suo Consilio, pro propria cuiusvis dioecesi. Sic statuitur in can. 631 de missarum stipendiis; sic in can. 1056 de taxa pro missae celebratione a sacerdote extraneo solvenda; sic in can. 1234 de indice taxarum funeralium. Cur non sic de reliquis taxis?

26. *Alienatio bonorum ecclesiasticorum.* Can. 534, 1 et 1532, 1 n. 2° exigunt licentiam S. Sedis ad alienanda bona tantum si horum valor superet 30.000 francorum vel libellarum. Et iam diu ex communi sententia approbata a S. Sede et in motu proprio Pii XII, 6 ian. 1950, can. 18, 1 n. 1 et can. 46, 1 g) pro orientalibus illa summa computanda est *moneta aurea.* Porro S. C. Consistorialis 13 iulii 1951 statuit ut, perdurantibus adiunctis praesentibus, recurratur ad S. Sedem, quoties agatur de pecunia quae 10.000 francorum seu libellarum aurearum excedat. Id est quantitatem in Codice consignatam reduxit ad tertiam partem. Deinde S. C. Concilii aequivalentiam in moneta currenti pro singulis nationibus determinavit.

Iam vero, cum pretium rerum omnium admodum excreverit, dum valor monetae valde decreverit, norma illa interinalis a S. C. Consistoriali data, quae adhuc perseverat, valde onerosa evasit; nam imponit necessitatem recurrendi ad S. Sedem pro alienandis rebus etiam non magni valoris. Quare optandum est ut ad normam can. 534, 1 et 1532 redeatur, ita ut recursus ad S. Sedem necessarius sit tantum ubi valor rei alienandae summam excedat *30.000 francorum seu libellarum aurearum.*

Plus aequo independens videtur autonomia qua episcopus gaudet

in oeconomica administratione bonorum suae dioecesis. Oporteret eam paulum coartare, et ad periculum eorum dilapidationis vitandum statuere visitationem vel visitatores qui statis temporibus, nomine Sanctae Sedis, libros administrationis examini subiicerent, cum obligatione de exitu examinis Sanctam Sedem informandi.

27. *Processus iudicialis* vix hodie in usu est, nisi agatur de causis matrimonialibus; et satis implicatus; quare simplificari oportet.

28. *Causae de mera coniugum separatione* declaratae fuerunt a Commissione Interpretum causae de statu personarum, quae nunquam transeunt in rem iudicatam (8 apr. 1941). Porro declaratio haec magna et plura incommoda genuit iudicibus et litigantibus; quorum unus saepe abutitur ea ad protrahendum iudicium cum alterius partis nocumento.

Ante illam declarationem non habebant indolem talem, et ordinario processu tractabantur. Quare opportunius censeretur ut illo charactere exuantur, et ad normam communem redeatur.

29. *Processus administrativus.* Hodie etiam in iure civili ampliorem locum habet, utpote brevior et expeditior nec minus aequus et efficax plerumque. Poenae ecclesiasticae vix unquam per processum iudiciarium applicantur, etiam gravissimae. Sic SS. Congregationes Romanae etiam poenam maximam degradationis per processum administrativum applicant. Aliunde ex plurium canonistarum sententia, quaecumque poenae processu administrativo possunt imponi. Imo ad quasdam poenas applicandas, processus quidam administrativus praescribitur in Codice L. 4 tit. 30-33.

Ergo forsan expediret ut declararetur quasvis poenas processu administrativo applicari posse. Ne tamen nimium arbitrium in eis applicandis relinqueretur Ordinariis, oporteret ut aliquis simplex processus ordinaretur a S. Sede; sicut etiam pro causis merae coniugum separationis processu administrativo tractandis (can. 1131).

30. *Processus suspensionis ex informata conscientia* (l. 4, tit. 30) abrogandus videretur, utpote hodie inusitatus, odiosus, et non paucis incommodis obnoxius.

31. *Processus beatificationis et canonizationis,* omnino simplificandus est, rescissis non paucis tramitibus inutilibus; et maiori celeritate perficiendus, ne pereant probationes, praesertim testificales; et ut sumptus minuantur et ne postulatores ipsi, qui causam susceperunt, moriantur aut prae senio causam agere nequeant, antequam processus fiat. Hoc in votis est omnium postulatorum.

32. *Ius poenale* multum simplificari expedit. Poenae enim multae propter causas excusantes saepissime non contrahuntur; aliae rarissimi usus sunt.

Hae et aliae mutationes, quae proponi possunt, magis determinabuntur a Commissione Canonica pro Codice reformando.

Advertencia preliminar.

Se advierte y da a conocer, aunque con la debida reserva, en numerosas conversaciones el temor de que la preparación inmediata del Concilio Ecuménico se realice un poco apresuradamente, sin que se extremen todas aquellas medidas previas, que, por parte humana, fueren necesarias o convenientes, según la Providencia divina, para que, con el auxilio del Espíritu Santo, llegue el Concilio a los resultados profundamente beneficiosos, que, para la vida de la Iglesia, se esperan y ansían.

I. Doctrinas Sagradas

A) *En general.*

Se nota cierta reserva ante la idea de que el Concilio llegue en puntos doctrinales a definiciones dogmáticas; las cuales hoy constituirán nuevas dificultades para la unión con los cismáticos y protestantes. Esta unión en ansia común de toda la Iglesia. Resultaría más beneficioso en la actualidad, que el Concilio fijara más bien orientaciones básicas doctrinales, sobre las cuales se encauzara la posterior investigación teológica, filósofica o científica.

B) *Sagrada Escritura.*

1. Se desean orientaciones particularmente en la investigación de los varios sentidos de la Sagrada Escritura. La notable disparidad de interpretaciones basada en la estimación de los varios géneros literarios origina, particularmente a los dogmáticos, no pequeñas dificultades para apoyar en la revelación las doctrinas tradicionales; pues de día en día se recogen en el campo escriturístico nuevas, extrañas interpretaciones, con tendencia a aproximar la doctrina bíblica de la Iglesia Católica a la exégesis protestante. Especialmente clara parece la conveniencia de orientar sobre el valor histórico de determinados libros de la Sagrada Escritura.

2. La investigación científica e histórica que actualmente se realiza sobre los orígines históricos del hombre, hace conveniente fijar el contenido doctrinal esencial sobre el origen del hombre en la Sagrada Escritura y en el dogma; en tal forma que ni se corte la investigación científica legítima, ni se desoriente a los fieles con supuestos y presunciones sin base científica poco acordes con la tradición eclesiástica.

C) *Sagrada Teología.*

1. Un examen sereno de los resultados obtenidos por la Encíclica *Humani generis* de S. S. Pio XII puede resultar especialmente útil. Dicha Encíclica ha sido estimada por unos como medida disciplinar, por otros como estrictamente doctrinal, y se han observado reacciones y actitudes muy dispares ante ella en los varios grupos teológicos ya de dentro ya de fuera de la Iglesia. Los varios conatos de reforma del método teológico fueron la ocasión inmediata de dicha Encíclica. Pareceria ahora conveniente un examen profundo del método teológico, distinguiendo precisamente su distinto empleo, ya en el campo de la investigación, ya en la didáctica escolar, ya en la exposición y divulgación del dogma a los fieles. La peculiaridad de la Sagrada Teología, como ciencia sagrada que es, hace que su método no puede equipararse al de otras ciencias aun afines; pero no excluye la incorporación de los progresos adquiridos por la metodología moderna.

2. Sería digno objeto de una Comisión el examen objetivo del proceso que durante los últimos siglos han seguido las escuelas teológicas. Parecería conveniente que éstas estudiaran y desarrollaran mucho más lo elementos dados en la revelación en la tradición y en el magisterio eclesiástico; que acentuaran más las coincidencias existentes, aun en el orden sistemático, entre todos los teólogos católicos; y trataran de suavizar, relegándolas a un plano secundario, y aun de olvidar en lo posible, las diferencias puramente sistemáticas o de escuela. La experiencia multisecular parece sugerir poca fecundidad progresiva y poco o nulo provecho en tales discusiones, en cuya solución parece haberse llegado a un estancamiento definitivo casi; en cambio, la historia de la teología registra la pérdida de muchisimas energías, que pudieran haber sido encauzadas, con mayor provecho, al estudio directo de la teología dogmática y positiva.

3. Una moderada y razonable libertad de los teólogos católicos, dentro del dogma y del magisterio de la Iglesia, podría dar resultados beneficiosos — en orden sobre todo a los intelectuales seglares ya católicos, la protestantes o incrédulos —; y no tanto, sino tal vez lo contrario, si se les coarta demasiado su estudio y su enseñanza en la obligatoriedad de una determinada escuela. Sería de desear que la formación teológica de los sacerdotes — incluso dentro de las Ordenes de gran tradición en una determinada escuela — fuera más dogmática y positiva, tal que les hiciera conocer y asimilar la revelación y la tradición, ya patrística, ya eclesiástica; y se la descargara de discusiones de escuela, de las cuales apenas sacan los futuros sacerdotes fruto ninguno, exponiéndose, por el contrario, a que el contenido propiamente dogmático sea escaso en su

formación dogmática. Tal formación dogmática debe tener una clara repercusión en la formación que los sacerdotes den, a su vez, al pueblo cristiano.

D) *Teología Moral.*

1. La moral en que se forme a los sacerdotes debiera ser más « teología » y menos « casuística ».

2. Por razones pastorales convendría una orientación, si es posible en los graves problemas concernientes a la moral matrimonial. Esta orientación podría dirigir a los investigadores católicos hacia una búsqueda de soluciones existentes en la naturaleza.

3. Se desea por parte de muchos una aplicación más humana de la ley de la integridad en la manifestación de los pecados en la confesión auricular; una integridad material, y aun la forma extremada, resulta a veces tormento para las almas, dada la sensibilidad moderna en estas materias, y pueden a veces resultar, si no se obra con entera prudencia, compromisos muy delicados para el confesor.

E) *Teología de la Iglesia.*

1. Se hace necesaria una doctrina fundamental sobre la incorporación de los seglares a la Iglesia, al Cuerpo Místico de Cristo, y su misión específica dentro de la Iglesia. Particularmente se hace necesaria una explicación básica sobre el « Sacerdocio real » de los seglares, su intervención y participación en la liturgia, el sentido de sus investigaciones y exposiciones dogmáticas, su participación como auxiliares en el Gobierno de la Iglesia, toda su acción peculiar dentro de ella: se desea tambien alguna institución permanente para que llegue a la Jerarquía la opinión de los seglares. El Concilio habrá realizado un progreso dogmático muy positivo si enuncia el contenido fundamental de la « Teología del laicado ».

2. Tema importantisimo y delicadisimo para los momentos actuales es el de las relaciones entre la Iglesia y el Estado: tolerancia o admisión de otros cultos, catolicismo oficial del Estado, intervención del Estado en el nombramiento de los Obispos, apoyo — ya moral, ya económico — dado oficialmente a la Iglesia u oficialmente reclamado y aceptado por Esta. La vivacidad con que la opinión pública reacciona ahora sobre estas materias, y el escándalo que a católicos produce cualquier confusionismo en este punto, reclama el examen ponderado de la actitud de la Iglesia respecto de los varios regímenes políticos, examen realizado con miras al bien universal de la Iglesia más que al particular de esta o aquella región. Podrían resultar orientadoras en este respecto

las enseñanzas de Pio XII en su discurso a los Juristas Italianos, y pocas manifestaciones del Episcopado, como las recientes del Episcopado portugués, o las del Episcopado francés con ocasión de la nueva Constitución francesa. Para la conveniente orientación en materia tan importante convendrá especificar y deferenciar claramente el valor y sentido de la actitud de la Jerarquía, o de los organismos directamente unidos a ella como la Acción Católica, o la de otras organizaciones católicas, o la de los Institutos Seculares, ya como tales, ya de los miembros a ellos pertenecientes.

3. Existe un documento eclesiástico importante sobre esta materia, el Syllabus de Pio IX; pero no tiene igual valor para todos los católicos en la actualidad, tal vez porque no todos plantean problemas en el mismo nivel ni en los términos que aquel Sumo Pontífice. Parece de desear que el Concilio enuncie de nuevo en forma más adaptada a la posición actual de estos problemas, los principios que deben regir las relaciones entre la Iglesia y el Estado, y a los cuales deberan aternerse uniformemente los católicos ya en sus ideas y opiniones, ya en su gestión política.

F) *Filosofía social cristiana.*

1. La filosofía cristiana debería en su amplitud metódica y de contenido (augustinismo etc.) primar sobre estrechas ideologías de este o aquél, sin personalismos que limiten la recta libertad de la razón humana, con la amplitud con que la Encíclica *Humani generis* formuló las bases de la sana filosofía.

2. No puede tomarse a la ligera el extraordinario desarrollo doctrinal que han adquirido el Socialismo y el Comunismo, como sistemas económicos políticos-sociales y filosóficos. Su importancia ha resultado decisiva en la sociología real de los últimos decenios.

Convendrá un enunciado formal de los principios sobre esta materia pero formulado a la altura en que ahora se situa este sistema filosófico-social, teniendo en cuenta particularmente que el doctrinario socialista tiene en la actualidad — sobre todo en los paises centroeuropeos — a prescindir de las bases filosóficas del materialismo dialéctico marxista en que se apoyaba hasta ahora.

3. De modo semejante resulta conveniente una nuevo examen del liberalismo, particularmente político, teniendo en cuenta, tambien aqué, que el liberalismo de la actualidad tiene a liberalizarse de sus propios principios filosóficos, para convertirse en mero procedimiento político o económico.

4. Otro tanto puede decirse acerca del capitalismo, tenida en cuenta la forma de desenvolverse hoy la economía de las naciones, con las posi-

bilidades que ofrece el nivel económico de muchos obreros, sobre todo en los países más desarrollados, de participar directamente en los capitales de las grandes empresas, distribuyéndose, por consiguiente, los capitales en muchas manos.

II. Administración y gobierno pastoral de la Iglesia

A) *Administración de la Iglesia.*

1. El Romano Pontífice tiene jurisdicción inmediata universal sobre toda la Iglesia y sobre todas sus personas. Los medios modernos de comunicación hacen ya muy viable el dotar al Pontificado Romano de organismos adecuados, para que, en efecto, el Papa cumpla por sus propios medios las obligaciones y responsabilidades inherentes a esta jurisdicción establecida por derecho divino. Determinados Institutos religiosos, de caràcter supranacional y supradiocesano, extendidos universalmente por la Iglesia en contacto directo con las almas, pueden resultar el instrumento orgánico adecuado puesto directamente en manos del Papa. Tales Institutos, superiores a la delimitación y parcelación diocesana, estarán en condiciones de realizar misiones pastorales de alcance superior a los límites diocesanos, o en regiones donde todavía no ha sido establecida la jurisdicción diocesana.

2. La Iglesia universal mirarà con gran satisfacción, que la universalización comenzada a dar a la Curia Romana por S. S. Pio XII, como expresión de la catolicidad de la Iglesia, se complete y perfeccione en lo posible, aplicándola a todos los organismos de cualquier género que fueren, que interesen al gobierno universal de la Iglesia.

3. Es ineludible la unidad de la acción pastoral de la Iglesia. El Obispo, aparte de la unidad procedente del Pontificado Romano, es quien debe unificar la acción pastoral de todo orden dentro de su respectiva diócesis. Aun manteniéndose la actual exención de las Ordenes religiosas, corresponderá al Obispo dirigir y unificar su acción, señalando los objetivos por lograr, y las funciones apostólicas que los religiosos deberàn realizar.

4. La vida de la Iglesia es ante todo interior, espiritual, y sobrenatural. Por ello no debe reducirse ala simple organización jurídica a través de los poderes jurisdiccionales regulados por el Derecho Canónico. (« Iglesia de la Autoridad »). Por ello parece conveniente acentuar más y más la vida sobrenatural que es caridad y libertad en el Espíritu, sin dar primacía al cumplimiento material y literal de los preceptos positivos de una determinada legislación (« Iglesia de la libertad »). Con ello se

ganaría en el valor pastoral del Gobierno de la Iglesia, dando mayor relieve a las personas que a la institución jurídica o al derecho; las personas encargadas del régimen pastoral de la Iglesia cobrarían mucho mayor sentido de responsabilidad personal en el logro de su misión apostólica y sobrenatural, sin contentarse con el cumplimiento material de lo jurídico (« Iglesia de la Apostolidad »). Los encargados del Gobierno de la Iglesia deben estar totalmente ajenos al carácter y a la psicología de meros funcionarios, simples cumplidores de compromisos jurídicos resultantes de un contrato, o de un precepto canónico; antes deben entregarse personalmente a su misión pastoral y comprometerse en ella.

5. Esta misma razón pastoral parece aconsejar una mayor flexibilidad en remover de los cargos pastorales del Gobierno de la Iglesia a quienes por una u otra razón — edad, enfermedad, falta de espìritu sobrenatural, incumplimiento de deberes propios, incapacidad personal etc. etc. — resultaren ineptos para la misión a ellos confiada. No parece conciliarse con los fines pastorales de los oficios eclesiásticos un derecho absoluto, y prácticamente irrevocable — al menos no sin procedimientos de ejecución difícil — de quienes por un concurso, un nombramiento etc. ocupan un puesto en la cura de almas.

6. Por esta misma razón, ulteriormente, parece aconsejable que los sacerdotes diocesanos tengan mayor libertad de movimientos de diócesis a diócesis, y aún de nación a nación, sin que obste para ello su incardinación.

Es lamentable que en determinadas diócesis se dé una verdadera sovreabundancia de clero, cuando otras, escasísimas de sacerdotes, no alcanzan a cumplir obligaciones esenciales en la cura de almas. De manera semejante parecería que el sacerdocio de los religiosos, aun de los exentos y de vida monástica, reclama un mayor servicio a las almas necesitadas, debiéndose concordar esta característica de servicio apostólico, inherente al sacerdocio como tal, con las limitaciones procedentes de una determinada profesión religiosa.

B) *Formación sacerdotal.*

1. Las condiciones en que todavía se hace en no pocas diócesis e instituciones religiosas la formación eclesiástica no parecen suficientes para la altura de nuestros tiempos, ni aptas para que el sacerdote se prepare adecuadamente a las necesidades actuales. Sería necesaria una mayor amplitud cultural, particularmente en ciencias, superando horizontes ideológicos demasiado estrechos o pobres de contenido, reestructurando programas demasiado simples de filosofía o teología, formación ligera en problemas morales propios de nuestros tiempos, la de huma-

nidades reducida al conocimiento del latín...; casi nula la formación económico-social, indispensable hoy en el confesonario y en el apostolado; con muy pocas orientaciones pastorales técnicas, casi sin preparación para la dirección de las almas, cuando tantos seglares buscan dirección para realizar sus deseos de perfección. El sacerdote que no reciba mayor formación se encuentra en condiciones de inferioridad cultural ante quienes hayan hecho alguna carrera universitaria o aun el bachillerato o su equivalente. Las condiciones de formación eclesiástica de los países occidentales europeos — no perfectas, desde luego — no son universales; en la mayoría de los demás países se está a muy gran distancia.

2. Parecería conveniente retrasar la edad de la ordenación sacerdotal, tanto en el clero diocesano como dentro de muchas Ordenes religiosas; en éstas, aun por esta razón, convendría retrasar el ingreso hasta llegar a una edad un poco más madura, haciendo entre tanto los estudios pre universitarios o sus equivalentes. No parece prudente confiar la cura de almas a sacerdotes, diocesanos o regulares, de edad tan juvenil, cuando apenas tienen experiencia de la vida ni de si mismos. Quizás pudiera pensarse en que el subdiaconado y el diaconado — sin preguzgar por ello nada acerca del diaconado de los seglares — fueran ejercidos una vez terminada del todo la formación del sacerdote en el seminario, experimentándose en lo correspondiente vida pastoral a las órdenes y bajo la dirección de sacerdotes ejemplares y expertos. Este periodo de acercamiento progresivo al sacerdocio en la vida pastoral serviría para dar mayor madurez a los jóvenes, probarlos y conocer lo mejor en el propio ámbito de su ulterior trabajo, antes de contraer los compromisos irrescindibles del sacerdocio; finalmente, quizás se consiguiera disminuir por este camino la triste frecuencia de sacerdotes que abandonan del todo su vida sacerdotal.

C) *La liturgia de los fieles.*

1. Aun cuando se ha avanzado ya mucho y la Iglesia lo impulsa de continuo, no parece haberse llegado en todos los países — en pocos fuera de algunos europeos — a dar a la liturgia toda la importancia pastoral que tiene en la vida de los fieles. Los extraordinarios frutos recogidos con la reforma de la liturgia de la Semana Santa debieran acabar de quitar todo recelo y todo temor, para avanzar decididamente por este camino. Aun cuando se salven, claro está, las distancias sustanciales en el culto a Dios y la Santisima Trinidad, a Jesucristo y a los santos, sin embargo debe todavía observarse que para muchos fieles hay una gran preferencia sentimental y práctica por devociones muy secundarias, a veces mal fundadas y casi supersticiosas; los cuales descuidada totalmente la liturgia

para dedicarse enteramente a semejantes prácticas piadosas. Debe hacerse un esfuerzo sin límites para conseguir ràpidamente que los fieles den al sacrificio de la misa todo el valor que tiene; desterrándose por ello del tiempo de la misa toda otra práctica piadosa, al menos pública, como novenas y devociones a santos, cánticos no relacionados con el sacrificio, órgano de puro entretenimiento... incluso la práctica de la confesión sacramental debiera dejarse para tiempo distinto del que se dedica a asistir a la misa. Es lamentable que en no pocas ocasiones parezca que se asista a misa « quasi per accidens », cuando el « perse » sin de hecho las devociones y pràcticas ajenas al sacrificio. Se debiera exigir taxativamente que los colegios de los religiosos fueran en este punto modelos ajustados enteramente a la voluntad de la Iglesia.

Con el fin de formator, dignificar y santificar, la musica popular religiosa, seria conveniente publicar una cancionero religioso oficial que contuviera escogidas melodias con letra en lengua vulgar, para que asi como en la oración, tambien en el canto se refleje la unidad en la fe. Para lograr esto seria necesario, iponer, *maxime* a los sacerdotes seculares y religiosos que misionan en los pueblos, la obligación de someterse al Cancionario Sacro oficial, ya que son los misioneros los que más propagan e imponen los canticos en los pueblos.

2. Para mayor participación de los fieles en la liturgia, convendrá examinar la conveniencia de una mayor libertad en el rito litúrgico, ya en la celebración de la misa, ya en otros actos, como la administración de los sacramentos, salmo dia etc.: esta mayor libertad podría afectar, desde luego, a la lengua litúrgica y tambien al rito mismo, especialmente en aquellas regiones cuyos habitantes no tengan la misma psicología que los peublos católicos de la Europa Occidental: valiéndose para ello ya de la variedad de ritos legada por la tradición, ya modificando y adaptando los ritos existentes (como sucedió con los « ritos chinos »), ya creando, si pareciere, otros nuevos o adaptando los antiguos. Esto parece tener importancia especial en los territorios de misiones, donde el rito latino puede parecer extraño y dificilmente asimilable por las psicologías de todos los pueblos paganos.

D) *Acción apostólica de los seglares.*

1. Parece llegado el momento de estructurar con claridad y precisión — en evitación de discusiones estériles y desedificantes o aun escandalosas — el apostolado de los seglares, señalando cual sea su misión propia, cuan la extensión de su campo apostólico, cual su participación en la misión apostólica de la Jerarquía, cual la subordinación al Obispo, cual la responsabilidad de la Jerarquía en las actividades apostólica rea-

lizadas por los seglares. Aun manteniendo cierta organización para mayor efectividad, examínese si conviene restringir la libertad y espontaneidad de los seglares para que se organicen por sí mismos en la forma que les parezca conveniente, o se asocien a las organizaciones preexistentes que prefieran, e incluso actuén aisladamente según las tendencias proprias bajo la dirección personal de su director espiritual. Todas estas actividades — al menos las que de algún modo sean conocidad y aprobadas por la autoridad compentente — podrían ser, como verdaderamente apostólicas, dirigidas y amparadas por consiguiente — en varios grados — por la Jerarquí, sin que ésta tenga que limitarse a considerar como suya una sola organización. Otro tanto, y aún más, debe decirse de las organizaciones de caridad que no deben constituir un monopolio y realizarse en forma anónima, tanto más cuanto que en el ejercicio de la caridad debe atenderse de modo especial a los impulsos de la gracia y de la generosidad y aun al carácter de « projimidad », ante la presencia inmediata de las necesidades del « prójimo ».

2. La acción social-ecónomica debe ser reglada en forma que se señalen los límites debidos a la acción de los sacerdotes — diocesanos o religiosos — en lo económico y estrictamente social; parece recomendable una mayor intervención de los seglares mismos, reservándose al sacerdote su acción propiamente espiritual y pastoral.

3. La madurez y el espíritu de servicio a la Iglesia de muchos seglares ofrece suficiente base y garantía para apreciar la conveniencia para la mayoría de los casos — dada la complejidad de la economía actual — de que la administración económica de los bienes eclesiásticos se confíe a comisiones de seglares; habrá de exigirse una administración ejemplar en su aspecto técnico y social, particularmente cuando se trata de construcciones, inversiones, ventas, y ciertas obras de apostolado o sociales en que predomina lo económico.

4. La experiencia habida respecto a los Institutos Seculares aconseja un examen de los resultados obtenidos con su institución. Tal vez se ha corrido el riesgo de haber acentuado demasiado el carácter *seglar* con daño de su consacración a la perfección cristiana por el camino de los consejos evangélicos.

III. Disciplina eclesiastica

A) *Retribuciones a los eclesiásticos.*

1. Ciertas formas de retribución económica por actos eclesiásticos pueden dar la impresión de que más se busca en la Iglesia una carrera

profesional en utilidad propia que una respuesta a la vocación religiosa, dándose ocasión de escándalo a ciertos seglares católicos y a los no católicos, cual si todos los servicios eclesiásticos — pocos exceptuados — estuvieran condicionados a una retribución pecuniaria. Por lo mismo parecería conveniente que se simplificaran los trámites de muchos asuntos eclesiásticos, eliminando personal, — muy necesario por otra parte, para la misión apostólica —; que se redujeran hasta el mínimo posible las retribuciones pecuniarias que deben darse con ocasión de gracias pedidas, dispensas, facultades, expedientes etc. Algo parecido convendría que se hiciera en los santuarios de devoción popular por la venta de recordatorios, estampas, estipendios elevados por determinados cultos especiales... Debe evitarse cuanto recuerde a los fieles aquel acto de ira con que el Señor arrojo del templo a los que traficaban con las cosas santas.

2. Hechos ya muchos experimentos en numerosas diócesis de la Iglesia, parece llegado el momento de estudiar los resultados obtenidos en orden a suprimir o simplificar los araceles, derechos de estola etc., al menos aquellos que de alguna manera parecen consagrar diferencias odiosas de clases con ocasión de bodas, funerales, primeras comuniones etc. En la realización de estos actos se debe dar mayor realce al aspecto litúrgico de tales actos, eliminando en cambio cuanto convierte tales actos en fiestas de sociedad dentro de la Iglesia. Habráse de suprimir asimismo todo acto con aspecto de negociación en torno a tales actos, como exclusivas de fotógrafos, determinadas cantidades que deben pagarse por ciertas pompas de adornos etc.

B) *Los cargos eclesiásticos.*

1. Llama mucho la atención de los fieles y de los no católicos el número de eclesiásticos que están ocupados en las curias, cabildos catedralicios etc. El boato externo con que se conducen algunos prelados, e incluso las mismas solemnidades vaticas, con majestuosidad y riqueza externas que ya ni las cortes más tradicionales emplean, sirven para muchos de escándalo, pues no ven en tales conductas o actos nada que recuerde la sencillez evangélica del Señor y del Colegio Apostólico. Debieran vigilarse con cuidado ciertas exhibiciones de la suntuosidad eclesiástica en películas documentales, televisión, fotografías de la gran prensa... que son luego vistas por públicos de todo género de todo el mundo.

2. Tambien parece recomendable la revisión sobre la forma de provisión de ciertos cargos eclesiásticos a base de traslados con carácter de ascensos etc.; en torno a ellos pueden desarrollarse ambiciones personales de ganancias económicas, prestigio y honor personal, con daño de las

diócesís de mayor pobreza o de las parroquias más alejadas y necesitadas, a las cuales los eclesiásticos parecen acudir siempre con carácter y espíritu de interinidad, con afán de marchar y subir cuanto antes, sin entregarse plenamente a la cura del almas, al examen y solución de los problemas etc.

C) *Los religiosos.*

1. La disciplina eclesiástica referente a los religiosos debería adaptarse mejor a las condiciones actuales de la Iglesia, comenzando por su misma formación sacerdotal, que a veces parece hacerse precipitadamente y en condiciones que no permiten la entrega total al estudio; cuidándose de dar mayor apertura psicológica interior a los institutos, que parecen encerrados en compartimentos estancos, con espíritu de grupo y aun soberbia colectiva, sin visión de otros muchos trabajos y de otras muchas necesidades de la Iglesia más allá de los límites de su propio Instituto; suprimiendo en la vida de las comunidades tradiciones y costumbres convencionales que no tengan en sí verdadera razón de ser, y obstaculizan la utilización plena de las fuerzas existentes segun lo reclaman las necesidades de la Iglesia, o provocan la extrañeza de seglares cultos. En casos parece conveniente una elevación del nivel cultural — aparte de los estudios mismos — incluso en la materialización de la vida, de las instalaciones etc.

2. Particularmente se ha de progrear más y más en las lineas trazadas por S. S. Pio XII en su Encíclica *Sacra Virginitas* en la estructuración de la vida de las religiosas; las cuales, por una parte, no siempre están suficientemente atendidas para oir misa y comulgar, confesarse, recibir dirección espiritual de sacerdotes convenientemente preparados.

Se advierten con frecuencia deficiencias de formación ascética con pràcticas piadosas de poco contenido dogmático o litúrgico. Muchos fieles no ven la razón de tantas instituciones religiosas, especialmente femeninas, que parecen coincidir en sus fines y en lo sustancial de los medios, dándose solamente diferencias accidentales, sostenidas o por desconocimiento mutuo, o por razones personales. Será muy beneficioso el examen de las graves dificultades que dentro de las comunidades especialmente femeninas parecen surgir como consecuencia de la vida de total clausura, por la forma de régimen de gobierno, sobre todo cuando las provisiones de los cargos se realiza mediante elecciones dentro de cada comunidad. Aun las comunidades de vida contemplativa parece debieran pensar en alguna actividad de apostolado, ya que el sentido social moderno mira con escándalo ese « egoismo místico », y, por otra parte,

son tan grandes las necesidades en todas partes; no por ello se desestima, claro es, el valor de la vida contemplativa incluso para la misión apostólica de la Iglesia.

D) *Otros puntos disciplinares.*

1. Las condiciones de la vida moderna persuaden una revisión de la actual disciplina acerca de ayunos y abstinencias.

2. La vida laboral actual, universalizada en todos los paises de algún desarrollo económico, aconseja tambien la revisión de la disciplina vigente acerca de las fiestas de precepto. Parece aconsejable su reducción en todo lo posible a los domingos. Tambien convendrá adaptar mejor a las condiciones modernas el precepto de no trabajar en días de fiesta.

3. Tambien parece conveniente la reducción casi total de las censuras y penas eclesiásticas; que apenas tienen influjo, ya porque los fieles en su mauoría las ignoran y los confesores estiman como mejor dejarlos en su buena fe, ya por la grandisima facilidad con que se faculta a los confesores para su absolución.

✠ IOSEPHUS EGUINO TRECU
Episcopus Santanderiensis

44

EM.MI P. D. FERNANDI CARD. QUIROGA Y PALACIOS
Archiepiscopi Compostellani (Santiago de Compostela)

Compostellae, die 30 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Veneratis litteris Eminentiae Vestrae (Prot. N. I C/59-38) libentissime rescribens, quibus desiderantur opiniones Episcoporum circa ea quae, in Concilio Oecumenico a Sanctissimo Papa Nostro Ioanne XXIII fel. regn. annuntiato, tractari poterunt, haec quae sequuntur humillime proponam:

A) In genere dicendum videtur quod multa quae in schematibus Concilii Vaticani tractanda proponebantur et quae ad exitum non pervenerunt ob eiusdem Concilii suspensionem etiam hodie tractari oportebit, nam, servant, nostris temporibus quoad modum adaptata, suam actualitatem, ut quae « de Fide », « de Ecclesia » et « de disciplina » agunt.

Etiam in mirifico thesauro documentorum Summorum Pontificum, qui Ecclesiam Dei rexerunt post Concilium Vaticanum, quaestiones ho-

diernae maximi momenti inveniuntur quae optimam materiam pro studiis et decisionibus proximi Concilii praebere possunt. Ita Encyclicae in quibus tractatur de Sacra Scriptura, de Sacerdotio Catholico, de Mistico Corpore Christi, de Sacra Liturgia, de ordine sociali, etc.

B) Ad quaedam particularia annotanda, haec ut praecipua significabo:

I. *Doctrina*

1. De atheismo hodierno et falsa scientia.
2. De inspiratione Sacrarum Scripturarum et de relativismo exegetico.
3. De evolutionismo anthropologico.
4. Rationalismi et positivismi moralis damnatio.
5. Principia stabilire circa separationem inter Ecclesiam et Statum, quando talis separatio, quibusdam in adiunctis, tolerari potest.
6. Damnatio doctrinae eorum qui Ecclesiae negant « ius scholas cuiusve disciplinae non solum elementarias, sed etiam medias et superiores concedendi ».

II. *Disciplina*

1. Inter clericos urgendus est totis viribus spiritus sacerdotalis, *a*) studio meditationis et orationis, *b*) exercitiis spiritualibus singulis annis vacando, *c*) menstruo secessu spirituali, *d*) fovendo vitam communem, quantum fieri possit, *e*) assiduo usu habitus ecclesiastici, *f*) amore coelibatus et custodia integerrimae castitatis.

2. Religiosi revocari debent ad plenam observantiam regularum et constitutionum et ad perfectam vitam communem. Ipsis prohiberi debet usus habitus cleri dioecesani absque licentia, in singulis casibus, Ordinarii loci, de licentia Superioris religiosae domus commorationis.

3. Circa matrimonium:

a) Definienda videtur doctrina catholica de matrimonii finibus;

b) Damnatio sterilitatis directae, sive perpetuae sive temporariae, viri aut mulieris, et artificialis fecundationis;

c) Authentice definiatur intra quos limites praescriptum canonis 209 applicandum sit in casu sacerdotis qui, delegatione carens, matrimonio assistit (Com. Interp. 26 martii 1952);

d) Ordinariis locorum concedatur facultas dispensandi ab impedimentis gradus minoris, de quibus can. 1042, § 1 et 2;

e) Quae in cann. 1060-64 decernuntur de matrimoniis mixtis, applicanda videntur iis qui notorie fidem abiecerunt, etsi ad sectam acatholicam non transirent, de quibus in can. 1065;

f) Supprimere primam figuram impedimenti criminis, c. 1075, § 1.

g) Perpendere utrum etiam opportunum sit supprimere impedimentum consanguinitatis illegitimae secundi et tertii gradus;

h) Supprimere impedimentum affinitatis coll. secundi gradus.

4. In Iure Canonico:

a) Normam praebere qua determinetur quaenam negotia iudicialiter, quaenam vero administrative tractanda;

b) Nova codificatio processus administrativi;

c) Ius poenale ecclesiasticum denuo codificare, ac perpendere utrum videatur censuras latae sententiae reducere;

d) Ad novam quae paretur Codicis Iuris Canonici editionem adducere omnia quae iure iam vigent circa legem ieiunii eucharistici, quae ad sacram liturgiam referuntur et quae ad Missas vespertinas;

e) Item addere quae respiciunt Instituta Saecularia, Actionem Catholicam et apostolatus opera diversa quae nunc in Codice non constant;

f) Etiam opportunum videtur totam legislationem circa fidelium associationes in genere denuo colligere et, in quantum fieri possit, minutatim aptare.

5. Ius praesentandi ad Ecclesiam vel ad beneficia ecclesiastica, quod privatis competit, supprimendum videtur; aut saltem ita moderandum ut patronus seligere clericum teneatur inter tres ab Ordinario loci proponendos.

6. Perpendere utrum opportunum videatur ad formulas breviores reducere multa quae in libris liturgicis adhibentur.

Haec sunt, Eminentissime Domine, quae pro futuro Concilio humillime propono, dum manus Vestras deosculans, me profiteor Eminentiae Vestrae Reverendissimae add.mum servum in Domino.

✠ FERNANDUS Card. QUIROGA Y PALACIOS
Archiepiscopus Compostellanus

45

EXC.MI P. D. IOSEPHI PONT Y GOL
Episcopi Segobricensis (Segorbe)

Die 25 augusti 1959

Em.me Domine,

Infrascriptus Episcopus Segobricensis, in Hispania, litteris ab Eminentia tua subscriptis sub Prot. N. I C/59-1251, die 18 iunii huius decurrentis anni, libentissime rescribens, nonnullas suggerentias iuxta

res et argumenta, quae, prout ex ipsis Litteris constat, in futuro Concilio tractari poterunt, exponere Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro eodem Concilio visum fuit.

Praedictae suggerentiae in sequentibus tibi scriptis includuntur.

Dum quaeque fausta a Domino Eminentiae Tuae adprecor, me etiam profiteor Eminentiae Tuae addictissimum

✠ IOSEPHUS PONT Y GOL
Episcopus Segobricensis

Doctrinae capita

I. Doctrina de Ecclesia, cuius definitio parabatur in Concilio Vaticano.

II. De Episcopo et Ecclesia dioecesana.

III. De membris Ecclesiae, sive clericis sive laicis, ac de eorum iuribus in Ecclesia.

IV. De infantibus sine baptismo decedentibus post operatam a Christo Domino salutem.

V. De distinctione inter theologiam et Dogma.

VI. De generibus literariis Sacrae Scripturae.

VII. De evolutione dogmatis.

Disciplina Cleri

I. De restituendo diaconatu ut ordine substantivo.

II. De lege incardinationis et de aequiori distributione sacerdotum.

III. De capitulis clericorum ac de eorum coaptatione hodiernis necessitatibus.

IV. De habitu clericorum ac religiosorum utriusque sexus.

V. De beneficio ecclesiastico per officium substituendo.

VI. De titulo canonico ordinationis.

VII. De exemptione regularium cum necessitatibus apostolicis Ecclesiae dioecesanae componenda.

VIII. De « Episcopo proprio » quoad Seminarium ingredientes.

IX. De iuribus episcoporum ad res non maximi momenti.

X. De officiis technicis et pedagogicis didacticae in Seminariis fovendae.

XI. De actuositate christiana scholarum Ecclesiae apud religiosos.

XII. De missione canonica ad homiliam praedicandam. De componenda obligatione homiliae et catechesis adultorum in casibus difficilioribus.

Disciplina populi christiani

I. De consociationibus christianis pro multiplici apostolatu hodierno, sive intra Ecclesiam sive in foro mixto.

II. De regulatione generationis humanae ac de abusu matrimonii.

III. De usu et abusu communionis.

Actuositas Ecclesiae hodiernae

I. De fovenda praedicatione verbi Dei.

II. De urgenda, in singulis gentibus, actuositate Ecclesiae quoad educationem et institutionem scientificam in omnibus gradibus et quoad influxum in publicam opinionem per, sic dicta, media diffusionis.

III. De actuositate Ecclesiae pro tuendis iuribus naturalibus suorum subditorum quoad:

consociationes liberas et christianas operariorum;
praedicationem verbi Dei; et
institutionem doctrinae christianae in lingua vernacula.

Negotia maioris momenti

I. Doctrina et normae de « adaptatione Ecclesiae ad culturam cuiusque populi » et de Hierarchia indigena tum inter gentes fideles cum in Missionibus.

II. De lingua latina et vernaculis in Liturgia romana.

III. De positione Ecclesiae catholicae relate ad Motionem oecumenicam in genere et ad « Consilium Universale Ecclesiarum » (World Council of Churches) in specie.

IV. De iure politico concordatario.

Aliae caeterae res

I. De revisendis cann. 2011, 2050, 2°, et 2077.

✠ IOSEPHUS PONT Y GOL
Episcopus Segobricensis

46

EXC.MI P. D. DANIELIS LLORENTE Y FEDERICO
Episcopi Segobiensis (Segovia)

Segobiae, 25 augusti 1959

Praeter ea quae ad pacem et unitatem Ecclesiae, necnon ad conversionem Judaeorum attinent, videntur, inter alia, haec argumenta tractari posse:

I. In Concilio Vaticano, de Revelatione actum fuit; nunc autem non erit inutile doctrinam decernere et disciplinam circa *privatam* revelationem, nam, mirabili dictu, non magna tantum multitudo fidelium, verum etiam viri ecclesiastici ac religiosi, ut suas praesertim peculiares foveant devotiones, visionibus et — prophetiis ambiguis maiorem vim tribuere videntur — quam doctrinae et praxi Ecclesiae.

Liceat, exempli causa, haec afferre: In tertia apparitione Angeli (Fatimae, mense sept. 1916) praebet Francisco Ss.mum Sacramentum *sub specie sanguinis*. Tunc puer iam octavum annum expleverat (natus fuerat 11 iun. 1908). Postea tamen *unquam* Eucharistiam sumpsit, nec Primam Communionem, nisi per modum Viatici die 3 aprilis anni 1919.

Quanam de causa? Forsam, quia non totum Catechismi textum memoriter retinebat! Valde notandum Decretum *Quam singulari* vigere ab ann. 1910.

II. Habemus Catechismum Romanum ad Parochos iussu Conc. Tridentini editum; non erit nunc adlaborandum ut nova editio emendatissima, nostris diebus accommodata praeparetur?

III. Quaedam in disciplina immutanda videntur, v. gr.: Circa obligationem Missam pro populo applicandi festis diebus suppressis; tempus ad praeceptum Communionis adimplendum; quoad impedimenta matrimonialia gradus minoris; quoad censuras, etc.

IV. Laudanda utique non semel atque iterum restauratio liturgica. Quidam vero ad Liturgiam unice attendentes, difficultates non paucas crearunt curae pastorali, ac graviorem efficiunt legem audiendi Sacrum, iis qui pressura temporis vel curis domesticis impediti non ultra dimidiam horam adesse in templo possunt.

S. P. Pius XII f. r. in Enc. *Mediator Dei* (*A.A.S.*, XXXIX, 561 haec in mentem revocat: « Ingenium, indoles ac mens hominum tam varia sunt atque absimilia, ut non omnes queant precibus, canticis sacrisque

actionibus, communiter habitis, eodem modo moveri ac duci. Ac praeterea animorum necessitates et propensa eorum studia non eadem in omnibus sunt, neque in singulis semper eadem, etc. ».

✠ Daniel Llorente y Federico
Episcopus Segobiensis

47

Em.mi P. D. IOSEPHI M. CARD. BUENO Y MONREAL
Archiepiscopi Hispalensis (Sevilla)

Sevilla, 12 agosto 1959

Eminencia Reverendisima,

Me es muy grato dirigirme a Vuestra Eminencia cumpliendo el honroso encargo de Su carta de 18 de junio, Prot. N. I C/59-52.

Después de meditar detenidamente ante el Señor y haber oido confidencialmente a diversos Eclesiásticos pios y prudentes constituidos en elevada competencia, adjunto en folio aparte las consideraciones que a mi modesto juicio ocurren para el efecto de que se trata.

Asimismo no dejo de encomendar al Señor, y asi lo hacen tambien sacerdotes y fieles de esta Archidiócesis, los trabajos de la Pontificia Comisión Antepreparatoria del Concilio Ecuménico, presidida por Vuestra Eminencia.

Con distintos sentimientos de veneración y fraternal estima, besa la Sagrada Purpura de Vuestra Eminencia y se suscribe de Vuestra Eminencia Reverendisima adictisimo y devotisimo servidor

✠ José M. Cardenal Bueno y Monreal
Arzobispo de Sevilla

Valde opportunum, ni fallor, peculiare signum huius novi Concilii Oecumenici esset Unitas. *Unitas* nempe Sanctae Dei Ecclesiae sive in se ipsa, sive in sua doctrina, sive in sua actuositate et disciplina.

Unitas Ecclesiae in se ipsa

I. Unitas Ecclesiae in se ipsa refertur, in primis, *ad vitalem et organicam internam unitatem* qua, Christo capite, Ipsius Corpus Mysticum efficitur.

Doctrinam, ergo, de Mystico Christi Corpore, iuxta Enc. *Mystici Corporis,* Pii Papae XII, s. m., ac insimul doctrinam de Sanctorum Communione pressius euncleare et definire, valde, ut puto, necessitatibus hodiernis mundi mederetur.

II. Ast *unitatem quoque externam et iuridicam societatis visibilis, quae est Ecclesia,* urgere oporteret, ita ut omnibus omnino sancta sint verba Christi « et fiet unum ovile et unus Pastor » (*Io.* 10, 16). Unde ii omnes qui bona fide et recto corde Christum sequi profitentur, probe ac certissime sciant unicam patere viam ad Ipsius occursum, hanc nempe Ecclesiam suam, quam Ipse promisit aedificaturus super petram illam, Petrum nempe eiusque in aevum successores (*Mt.* 16, 16), extra quam Ecclesiam nulla salus.

Haec omnia aptum et solidum fundamentum praebebunt ut ad hanc catholicam seu universalem Christi Ecclesiam invitentur ii omnes qui adhuc, infeliciter inter christianos schismaticos, aut inter evangelicos reformatos, extra Ecclesiae unitatem vagantur.

Unitas Ecclesiae in sua doctrina

I. Valde opportunum etiam videtur *doctrinam de Magisterio vivo et infallibili Ecclesiae* pressius definire, iuxta schemata quae, Vaticano Concilio interrupto, remanserant inconclusa.

II. *Larvata Modernismi vestigia* alicubi serpere fortasse videtur, iuxta quae sive in interpretatione Sacrarum Scripturarum, sive in intelligentia et evolutione dogmatum, sive in ipso etiam sensu morali, nimis quidam indulgent proprio ingenio atque magisterium Ecclesiae deprimunt. Videtur, ergo, opportunum pressius etiam enucleare et definire ambitum et vim Magisterii ecclesiastici, iuxta ea quae fel. rec. Pius Papa XII in Enc. *Humani Generis* docuit.

Unitas Ecclesiae in sua actuositate

I. Quoad unitatem actuositatis Ecclesiae sive in plano mundiale, sive in plano nationale, dioecesano adhuc et paroeciale, utpote conditionem necessariam ad efficaciam fructuum, videretur valde opportunum attente considerare et pertractare quae sint media ad hanc unitatem obtinendam, quae vero sint unitati obstacula.

Plura, ut patet, hodie actuositatis seu apostolatus incoepta excedunt ambitum sive dioecesanum sive etiam nationalem nec convenienter pertractari possunt solutionibus localibus, quum momentum commune seu mundiale habeant.

Organizatio, ergo, horum negotiorum deberet esse etiam unica et universalis, cum propriis officiis in ipsa Civitate Vaticana, sive intra sive extra ambitum Sacrarum Congregationum. Talia essent, v. g., Officium Apostolatus laicorum et Actionis Catholicae, Officium Caritatis, Officium Catechisticum, etc.

In plano nationali plura sunt etiam negotia quae, iuxta peculiares circumstantias uniuscuiusque nationis, *excedunt ambitum et efficaciam uniuscuiusque dioecesis.*

Oporteret, ergo, aliquatenus definire ambitum et auctoritatem Conventuum Metropolitanorum, aut Episcoporum, aut Commissionum Episcopalium, et organa constituere apta ad diversos apostolatus in plano seu ambitu nationali gerendos.

Id quod etiam in plano dioecesano obtinet, unde iam in pluribus dioecesibus, iuxta Curiam iuris a Codice definitam, alia veluti Curia parallela existit ad opera apostolatus supra ambitum paroecialem exercenda, cum suis Officiis: Actionis Catholicae, Catechesis, Docentiae catholicae, Vocationum sacerdotalium, Caritatis, Missionum, Migrationis, Exercitiorum spiritualium, etc. etc. Quae omnia extra Codicis ordinationem vagantur.

II. *Huic actuositatis catholicae unitati nimis frequenter officit,* cum dispersione virium et efficaciae praeiudicio, *defectus collaborationis inter* utrumque clerum, dioecesanum nempe et regularem; quum opera a Religiosis familiis instituta non iure sed re privilegio exemptionis fruantur et debitam erga Ordinarium dioecesanum subiectionem reapse non observent.

Videretur, ergo, opportunum limites et conditiones exemptionis Religiosorum magis accurate definire.

III. Actuositatis Ecclesiae unitati *etiam videtur saepe saepius officere rigidus conceptus auctoritatis Ordinarii Dioecesani* in rebus dioecesis, absque debita collaboratione cum aliis dioecesibus, in eis quae attinent, v. g., ad distributionem clericorum et religiosorum in territorio; ita ut sint regiones aut dioeceses clero et religiosis abundantes, dum aliae exiguo omnino numero operariorum ecclesiasticorum laborent.

Unitas Ecclesiae in sua disciplina

I. *Quoad disciplinam clericorum* quaedam, ut videtur, perficere oporteret, praesertim vero haec: Systhema beneficiale, prout in Codice, aliquatenus officit sive efficaciae ministerii ad animarum bonum, sive etiam paupertati clericorum, quae omnino necessaria est ad exemplum Christi coram fidelibus proferendum.

Desiderabilis, ergo, ad rem videtur suppressio inamovibilitatis officiorum ecclesiasticorum, ita ut Ordinarius clericos suos mittere possit quo eorum labores magis necessarii aut utiles videantur. Id quoque notandum est, quod hodie non pauci sacerdotes optime parati inveniuntur ut etiam voto oboedientiae erga Episcopum sese obstringant ad munera acceptanda et exercenda quae Episcopus eis committat. Valde ex hoc capite sanctitas clericorum augeretur, si haec oboedientia, simul cum paupertate et castitate, etiam voto firmaretur, ita ut revera in iuridico perfectionis statu constituerentur.

Quoad reditus beneficiales, irritantes inaequalitates habentur, ita ut alii pingui beneficio fruantur, dum alii difficulter obtineant ea quae ad vitam sustinendam requiruntur. Non pauci etiam absque difficultate acceptarent mensam seu capsam communem, ex qua omnes pari proportione victum obtinerent.

Haec omnia, ad maiorem cleri perfectionem, quae in dies magis ac magis a populo fideli exigitur, *valde foverentur si vita communis clericorum, ubi possibilis sit, obligatoria fieret.*

Tandem, quum numerus sacerdotum impar sit ad omnia munera sacra rite obeunda, et aliunde plura sint munera quae characterem sacerdotalem non exigant, *videtur opportunum clerum admittere infrasacerdotalem, ministros* nempe diaconos, qui, perpetuo Ecclesiae servitio addicti, a qua victum acciperent, et a lege celibatus exempti, officiis non stricte sacerdotalibus incumberent, v. g.: Sacramento baptismi, distributioni sacrae communionis, catechesi, archivio, templi curae et bonorum administrationi, etc. etc. Eis omnino praepediretur accessus ad sacerdotium.

II. Hodie, Deo favente, *laici magis ac magis conscientiam acquisierunt de suo munere apostolico in Ecclesia,* utpote membra viva Corporis Mystici. Unde active partes habere volunt in vita liturgica, non ut muti spectatores, sed ut subiecta activa participantia in actione sacra; partes quoque habere volunt in iis omnibus quae ad mundi consecrationem spectant, ut vita publica, socialis, oeconomica, culturalis, etc. sensu christiano imbuatur, sub ecclesiasticae Hierarchiae ductu; adhuc etiam sibi vindicant activam participationem in rebus Ecclesiae quae adspectum materialem seu profanum natura sua induunt, v. g. in ipsa administratione bonorum ecclesiasticorum, in colligendis et expendendis opibus pro apostolatus operibus, etc.

Hodiernus Codex Iuris Canonici nimis, ut videtur, ieiunius habetur circa ea quae ad vitam laicorum, quatenus membra sunt viva Ecclesiae, referuntur. Unde opportuna videretur aliqua adaptatio magis hodiernis moribus et necessitatibus consona.

III. *Desideranda etiam videtur adhuc amplior Liturgiae Sacrae* reformatio, sive in Divino Officio, sive in Missa et in Rituali Sacramentorum; ita ut magis locum habeat lingua vulgaris, atque plura simplificentur quae archaicum symbolismum redolent, cum directa et precisa mente hominis hodierni temporis non satis congruentem; salva attamen semper maiestate Sacri Mysterii atque eiusdem splendore accurate asservato.

Tandem, fortasse quoque pertractari posset *opportunitas simplificandi* Sacras Ordinationes, quum minores Ordines nonnisi vestigia antiquae disciplinae revera maneant, absque ulla practica utilitate et officio; ita ut sufficeret officium acolithorum, subdiaconatus et diaconatus...

Commissio Pontificia, tamen, meliori et prudentiori consilio, ea admittet vel reiiciet quae ipsi admittenda aut reiicienda videantur.

✠ IOSEPHUS M. Card. BUENO Y MONREAL
Archiepiscopus Hispalensis

48

EXC.MI P. D. LAURENTII BERECIARTUA BALERDI
Episcopi Seguntini-Guadalajarensis (Sigüenza-Guadalajara)

27 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Honor est mihi rogationem recipere sub Prot. N. I C/59-1273 a Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico factam.

Infirmitate detentus non valui quominus citius mitterem « animadversiones, consilia et vota », quae, qualiacumque videantur, devoto et sincero animo offero.

Omni qua par est reverentia deosculor Sacram Purpuram Eminentiae Vestrae addictissimus

✠ LAURENTIUS BERECIARTUA BALERDI
Episcopus Seguntinus-Guadalajarensis

I. SCIENTIAE SACRAE

A) *Sacra Scriptura.*

1. Valde proderit ut Concilium accurate determinet et historicitatem aliquorum librorum Sacrae Scripturae et sensum aliquarum pericoparum quae in Sacra Theologia ut argumenta traduntur.

2. Opportunum videtur statuere doctrinam essentialem contentam in Sacra Scriptura et Sacra Theologia circa hominis originem.

3. Ad rem erit ut apprime consideretur problema poedagogicum inter novos Interpretes exegeseos suscitatum: quomodo scilicet proponi debeant novae interpretationes fidelibus non iniciatis in scientiis naturalibus et etiam cultoribus talium scientiarum.

B) *Sacra Theologia.*

1. Oportet ut diversae scholae theologicae in studium directum theologiae et positivae unanimiter tendant ita ut disputationes mere scholasticae sint obiectum mere accidentale.

2. Desideratur ut formatio theologica sacerdotum magis dogmatica et positiva sit, et discussiones diversarum scholarum quasi per transennam exponantur. Explicatio theologica etiam in id tendat ut sit vere cibus vitae christianae fidelium.

3. Theologorum catholicorum moderata aliqua et rationalis libertas posset esse causa optimorum fructuum pro intelectualibus laicis, tam catholicis quam protestantibus et incredulis.

C) *Theologia Moralis.*

1. Oporteret ut Concilium traderet doctrinam magis concretam circa graviora problemata in re matrimoniali: v. gr. continentiae periodicae moralitatem.

2. Conceptus legis poenalis de novo consideretur.

3. Systematica organizatio moralis sociologica, professionalis et commercialis.

4. Desideratur etiam argumentatio solida circa illiceitatem peccati solitarii et onanistici.

5. Necessaria videtur nova divisio operum prohibitorum in die festivo.

6. Oportebit ampliare et determinare doctrinam de integritate in manifestatione peccatorum in confessione orali.

D) *Ecclesiologia.*

1. Necessaria videtur doctrina fundamentalis circa incorporationem laicorum Ecclesiae, Corpori Mystico, et horum functionem in sinu Ecclesiae.

2. Concilium enuntiare deberet doctrinam contentam in expressione sic dicta « theologia laicatus » et etiam stabilire momentum et amplitudinem « sacerdotii realis » laicorum, eorumque participationem ut auxi-

liariorum in Ecclesiae regimine et, in genere, eorum missionem in supradicta Ecclesia.

3. Concilium posset determinare principia quae relationes Ecclesiam inter et Statum regant secundum peculiares circunstantias uniuscuiusque nationis.

E) *Philosophia socialis christiana.*

1. Oportet propositiones haereticas et erroneas socialismi et communismi in elencho aliquo colligere; et insimul necessarium videtur expositionem principiorum christianorum conficere de re sociologica quae communismus ut sua propria sibi usurpat.

2. Quia liberalismus hodiernus in id tendit ut convertatur in mero processu politico et oeconomico, oportet ut novum examen de hoc systemate instituatur.

3. Idem dicendum est de capitalismo et cooperativismo.

4. Quomodo et quando operistitio, licitum sit.

II. Administratio et regimen pastorale Ecclesiae

A) *Administratio Ecclesiae.*

1. Unitas actionis pastoralis Ecclesiae magis ac magis debet urgeri. Salva unitate ex Romano Pontifice procedente, Episcopus in unaquaque dioecesi unitatem pastoralem efficere debet. Ipse etiam deberet indicare et unificare functiones apostolicas a Religiosis, servata propria exemptione, implendas.

2. Bonum animarum suadet ut sacerdotes dioecesium quae clero abundant maiorem habeant libertatem ut possint in auxilium venire dioecesium que non habent sufficientem numerum pastorum paroecialium.

3. Eodem modo videtur sacerdotium Religiosorum, etiam exemptorum, debere esse praesto ut in servitium animarum magis impendat etiam in paroeciis si ad id ab Episcopo Religiosi vocentur. Quod ministerium componi debet cum vita Religiosorum.

4. In pluribus dioecesibus hispanis factum est quodammodo lugendum ut plures et singuli sacerdotes habeant sibi commissas plures paroecias et diminutas quoad fidelium numerum (circa centum fideles) et distantes inter se pluribus kilometris (10) aut sine via per montes: non resident materialiter nisi in una. Concilium determinare posset officia minima quae in cura harum plurium ecclesiarum debet impendere sacerdos. Ad id rei bonum esset ut concilium facultatem faceret Ordinariis ut

dispensaret de lege residentiae et tres vel quatuor sacerdotes habeant conviventiam, vitent solitudinem et mutuo se adiuvent in ministerio paroeciali et sic statuere Exercitia, secessus mensiles, scholas professionales, etc.

B) *Actio apostolica laicorum.*

1. Necessaria videtur extructuratio praecisa et manifesta apostolatus laicorum, indicando praecise suam propriam missionem, amplitudinem apostolatus, participationem in functione apostolica Hierarchiae, summissionem Episcopo, responsabilitatem Hierarchiae in activitatibus apostolicis a laicis implendis.

2. Necessarium videtur systematizare et Codici Iuris Canonici adiungere doctrinam circa Instituta saecularia, praesertim in « Provida Mater Ecclesia » contentam. Idem dicendum de doctrina contenta in « Sponsa Christi » et in aliis documentis.

III. Disciplina ecclesiastica

1. Oportet ponderare experimenta supprimendi et simplificandi in aliquibus locis gravamina pecuniaria (derechos de estola), praesertim ea quae odiosas differentias classium inducunt aut supponunt in cultu religioso.

2. Peculiares conditiones vitae hodiernae suadent:

a) novam considerationem disciplinae actualis circa legem ieiunii et abstinentiae;

b) novam considerationem disciplinae vigentis circa festa de praecepto et possibilitatem eadem transferendi in dominicam sequentem.

3. Etiam videtur conveniens nova consideratio tractatus de « Delictis et poenis » praesertim in iis quae simplices fideles spectat.

✠ Laurentius Bereciartua Balerdi
Episcopus Seguntinus-Guadalajarensis

49

Exc.mi P. D. VINCENTII ENRIQUE Y TARANCÓN

Episcopi Celsonensis (Solsona)

E Civitate Coelsonensi, die 24 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Nuntium de Concilio Oecumenico a Sanctitate Patris Nostri Ioannis XXIII sacerdotes fidelesque huius Dioeceseos gaudio replevit. Hoc Romani Pontificis propositum omnium corda ad felicissimam aperuit fiduciam, nam quae hodiernae mundi circumstantiae creant Ecclesiae problemata, in universali congressu solvi atque nonnulla doctrinalia disciplinariaque capita ad efficaciorem Ecclesiae salutarem gestionem declarari poterunt.

Quam Eminentia Vestra, tamquam Praeses Commissionis Pontificiae Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico, mihi invitationem facit, libentissime acceptans, gratum est isti Congregationi summa communicare capita quae, meo aliquorumque sacerdotum sive saecularium sive regularium iudicio, in futuro Concilio convenienter tractari poterunt.

Interim Sacram Eminentiae Vestrae Purpuram reverenter deosculor, me add.mum in Xto. Iesu profiteor.

✠ Vincentius Enrique y Tarancón
Episcopus Celsonensis

I. *Doctrinae capita*

1) *Sacra Scriptura.*

1. Fontes librorum sacrorum.
2. Extensio obiecti inspirationis Sacrae Scripturae.
3. Genera litterarum in Sacra Scriptura.
4. Character historicus trium priorum capitum Geneseos.
5. Character historicus librorum Veteris Testamenti: Tobiae, Iudith, Ester et Iob.
6. Origo primi hominis.
7. Quaestio synoptica.

2) *Ecclesia.*

8. Natura iuridica Ecclesiae.
9. Ecclesia Corpus Christi Mysticum.
10. De momento quo Ecclesia consumata fuit.
11. De necessitate Ecclesiam ingrediendi.
12. Vera ratio membri Ecclesiae eiusque obices.
13. Dependentia magisterii ecclesiastici a potestate regiminis.
14. Assensus praestandus magisterio ecclesiastico.
15. Persona Episcopi in Corpore Christi Mystico.
16. Origo et natura potestatis regendi in Episcopis.
17. Corpus Episcoporum in Ecclesia Universali.
18. Aliquis presbyterorum interventus in electione Episcoporum residentialium.
19. Media obtinendi unanimem Episcoporum consensum quoad negotia ecclesiastica, quae totam aliquam nationem respiciunt.
20. Servata exemptione religiosorum, sit Episcopus magister unicus Dioeceseos.
21. Servata exemptione religiosorum, actuationes externae tum sacerdotales tum laicales practice pendeant ab Episcopo.
22. De constitutione paroeciae hodiernae quoad ambitum sive territorii sive numeri fidelium.
23. Autonomia administrativa paroeciarum.
24. Novus conceptus beneficii ecclesiastici. Nullum beneficium sine officio. Amovibilitas beneficiariorum.

3) *Beata Maria Virgo.*

25. Maria et Ecclesia.
26. Sanctitas initialis B. Mariae Virginis.
27. Transitus B. Mariae Virginis.
28. Corredemptio mariana.
29. Spiritualis maternitas B. Mariae Virginis.
30. B. Maria Virgo mediatrix omnium gratiarum.

4) *Sacramenta.*

31. Sacramenta, « actiones sacrae ».
32. Causalitas sacramentorum.
33. Sors aeterna infantium sine baptismo decedentium.
34. Baptismus fetuum.
35. Essentia sacramenti ordinis.

36. De distinctione, ratione ordinis, inter episcopatum et presbyteratum.
37. De fine primario matrimonii.
38. Privilegium Petrinum.
39. Diaconatus laicalis.

5) *Sacra Liturgia.*

40. Pastoralis Liturgica.
41. Caeremoniale Episcoporum.
42. Nova instauratio Missalis et Breviarii.
43. Minister in missa lecta.

6) *Sociologia.*

44. Doctrina socialis Ecclesiae.
45. Iustitia socialis.
46. Natura boni communis.
47. Salarium iustum.
48. Sindicatus operariorum.
49. Moralitas operistitiorum.

7) *Errores.*

50. Relativismus.
51. Existentialismus.
52. Progressismus.
53. Spiritismus et hipnotismus.
54. De materialismo, modernismo et principio auctoritatis.

8) *Diversa.*

55. « Homo assumptus ».
56. Novissima.
57. Theologia laicalis.
58. Elencus veritatum fidei divinae et consultatio veritatum fidei catholicae cum ecclesiis hereticorum et schismaticorum.
59. Theologia Kerigmatica.
60. Contemplatio mystica.
61. Phenomena mystica.
62. De statibus perfectionis doctrina theologica, speciatim de excellentia virginitatis supra matrimonium.
63. De Indice librorum prohibitorum.
64. Systema morale ad efformandam conscientiam practice certam.
65. « Ethica Situationis ».

66. Error communis in iure.
67. Lex mere poenalis.
68. « Theologia Nova ».
69. Transplantatio organorum humanorum.
70. Euthanasia.
71. Eugenesia.
72. Imputabilitas peccatorum contra sextum.
73. Educatio sexualis.
74. Continentia periodica in matrimonio.
75. Fecundatio artificialis.
76. Moralitas prostitutionis toleratae.

II. *Disciplina*

A) Cleri

1) *Seminarium.*

77. Duratio cursus seminaristici.
78. Castitas in candidatis ad sacerdotium et media ad eam protegendam et conservandam post receptos ordines.
79. Alumnorum Seminarii disciplina et personalitas.
80. Alumnorum scientia.
81. Revisio aliquarum irregularitatum.

2) *Sanctitas sacerdotalis.*

82. Spiritualitas sacerdotalis.
83. Vita interior et exterior clericorum.
84. Officium Divinum in ordine ad spiritualitatem sacerdotalem.
85. Annua exercitia spiritualia pro clericis.
86. De convenientia intimioris conversationis sacerdotum cum Episcopo proprio.
87. De paupertate sacerdotali.

3) *Vita religiosa.*

88. De unione fovenda inter clerum saecularem et regularem.
89. Instituta Saecularia.
90. Revisio privilegiorum religiosorum.
91. De suppressione aliquorum institutorum religiosorum vel fusione cum aliis eiusdem fere finalitatis.
92. De mendicantium privilegio eleemosynas petendi.

4) *Diversa.*

93. Insertio in Codice facultatum quinquennalium Episcoporum.
94. Novum ius capitulare.
95. Collationes et convictus pro clero iuniore.
96. De lingua adhibenda in administratione sacramentorum necnon in praedicatione ac instructione catechetica sive ad adultos sive ad parvulos.
97. De facultate concelebrandi in Ecclesia Latina.
98. Binatio in missa facilius concedenda.
99. Reductio missarum pro populo.
100. Iurisdictio sacerdotum peregrinantium ad audiendas confessiones.
101. Suppressio reservatorum episcopalium.
102. Derogatio canonis 876.

B) Populi christiani

1) Actuositas.

103. « Consecratio mundi ».
104. Collaboratio laicorum in apostolatu hierarchico.
105. Notae characteristicae et propriae Actionis Catholicae.
106. Omnium laicarum associationum apostolicarum effectiva foederatio aut coordinatio.
107. Interdependentia paroeciarum in ordine ad apostolatum.
108. De convenientia statuendi structuras sive supraparoeciales sive supradioecesanas ad efficaciorem apostolatum.
109. Obligatio omnium fidelium ad catecheticam institutionem gerendam.
110. Novus conceptus operum prohibitorum in diebus festis.
111. De moralitate professionali, publica et privata.
112. Normae de modestia christiana.
113. Usus suffragii in comitiis.
114. Fidelium obligatio oeconomice subveniendi Ecclesiae.
115. Ordinatio oeconomica in singulis nationibus.

2) *Diversa.*

116. Spiritualitas specifica laicorum.
117. Communio paschalis aequiparanda quoad tempus et locum annuae confessioni.
118. Nova disciplina quoad ieiunium et abstinentiam.

119. Nova revisio circa impedimenta matrimonialia, praesertim gradus minoris.
120. Cessatio impedimentorum matrimonialium in casu urgenti.
121. Taxae paroeciales.

III. *Actuositas Ecclesiae*

122. De proiectione missionaria.
123. De captatione hominis hodierni.
124. Episcoporum ac sacerdotum gestio in negotiis temporalibus: oeconomico-socialibus, politicis...
125. Cinema. Radiodiffusio. Televisio.

IV. *Negotia magni momenti*

126. Nova ordinatio Curiae Romanae.
127. Concilia Plenaria.
128. De tribunalibus ecclesiasticis relate ad tribunalia saecularia.
129. Actualis inefficacia probationis testificalis.
130. Missiones paroeciales.
131. Apostolatus clericorum inter operarios.
132. Ius missionale.
133. Ius quoad emigrantes.
134. Ius poenale internationale.
135. De ephemeridibus Ecclesiae.
136. Calendarium Romanum.
137. Reductio festorum de praecepto.
138. Subsidium oeconomicum in favorem sacerdotum in casu necessitatis versantium.
139. Religiositas Status.
140. Normae de arte sacra.
141. Normae ad rectam administrationem, ad incolumitatem et tutelam firmandam patrimonii ecclesiastici, praesertim artistici, necnon archiviorum.

✠ Vincentius Enrique y Tarancón
Episcopus Celsonensis

50

EXC.MI P. D. EMMANUELIS HURTADO Y GARCIA
Episcopi Tirasonensis (Tarazona)

Tirasone, die 12 novembris 1959

Eminentissime Domine,

Venerabilibus Litteris E. V. diei 18 iunii labentis anni, Prot. Num. I C/69-1333, rescripturus, quod mihi valde honorificum est, circa res et argumenta quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt, pro meo iudicio et obedientia haec quae sequuntur, moram involuntariam lugens, expono.

QUAEDAM DOCTRINAE CAPITA

a) Proclametur dogma Mediationis Universalis B. Virginis Mariae, Matris Dei.

b) Damnentur communismus atheus, existentialismus, « moralis nova » et materialismus vitae.

c) Reprimatur pertinax audacia aliquorum Ss. Scripturarum interpretum, et quantum fieri possit definiatur natura varii generis litterarii in Biblia adhibiti et existentia sic dicti « sensus plenior ».

d) Iterum affirmetur animae humanae existentia eiusque spiritualitas et inmortalitas.

e) Reaffirmetur matrimonii rati et consummati indissolubilitas, et reprobetur sententia eorum qui admittunt sedationem concupiscentiae inter fines primarios matrimonii, vel defendunt liceitatem absolutam methodi v. d. Ogino.

f) Doctrina obedientiae roboretur contra hodiernos novatores, inter quos non desunt aliqui sacerdotes saeculares sed multo plures religiosi.

g) Unio Ecclesiarum dissidentium procuretur, salvis salvandis.

CIRCA DISCIPLINAM CLERI

In genere.

a) Iterum atque iterum affirmetur caelibatus; usus habitus ecclesiastici ad normam can. 136; et abstinentia ab his de quibus in can. 138.

b) Confirmetur oboedientia quam presbyteri suo Episcopo praestare tenentur, et definiatur reverentia cuilibet Episcopo debita in aliena dioecesi.

c) Praecipiatur vita communis pro clericis in qualibet civitate degentibus; immo pro iis qui curam animarum gerunt in paroeciis minoribus, colligendis cum archipraesbytero vel alio opportuniore sacerdote.

d) Unitas disciplinae quam maxime servetur in dioecesibus omnibus, tum relate ad clerum tum ad laicos, ad vitanda mala non parva, quae ex diversitate criteriorum et disparitate observantiarum proveniunt.

In specie: Relāte ad Episcopos.

a) Fruantur explicito privilegio asservandi Eucharistiam in suis oratoriis.

b) Coadiutores et Auxiliares statuantur a iure Vicarii generales et, mortuo Episcopo residentiali, Administratores Apostolici Dioecesis in qua.

c) Gaudeant facultate suos parochos delegandi ad erectionem Viae Crucis stationum iuxta Rituale Romanum, et ad benedictionem privatam parvorum obiectorum piorum cum applicatione indulgentiarum.

Ad Capitula.

a) Excusentur a choro prout in can. 421 etiam qui docent in Seminario Philosophiam, Latinitatem ceterasque disciplinas cursus humanistici.

b) Etiam qui ex mandato Episcopi in dominicis et diebus festis de praecepto curam animarum exerceant.

Ad Religiosos.

a) Muniatur opportunis praecautionibus et roboretur efformatio tum in scientiis praesertim ecclesiasticis tum in virtutibus.

b) In ministeriis erga non exemptos, tum laicos tum sacerdotes, omni privilegio careant, ne clerus saecularis detrimentum patiatur in aestimatione penes populum.

c) Eorum exemptio ad septa monasterii constringatur, ita ut extra in omnibus Ordinariis locorum subiiciantur.

Ad Vicarios cooperatores.

Describantur iura et obligationes vicariorum cooperatorum de quibus in can. 476.

Circa disciplinam populi Christiani

a) Maxime commendentur tum vita christiana privata in familia, tum verus spiritus pietatis in vita publica, reprobando externas pompas

et mundanas solemnitates in celebratione baptismi, primae Communionis puerorum, nuptiarum etc.

b) Reprobentur murmuratio, blasphemia et impudicitia, et profanatio dierum festorum.

c) Statuantur leges pro Actione Catholica, eiusque relationes cum ceteris associationibus apostolatus laicorum; simulque decernatur earum omnium Episcopo plena subiectio.

Circa res prout in Codice

Relate ad Sacramenta.

a) Generali lege statuatur ut omnes sacerdotes possint sacramentum Confirmationis conferre in circumstantiis de quibus Decretum « Spiritus Sancti munera ».

b) Ut omnes sacerdotes, post obtentas a suo Ordinario licentias audiendi confessiones, possint eas exercere in aliena dioecesi.

c) Causae canonicae pro separatione coniugum singulatim enumerentur.

d) Consideretur utrum oporteat supprimere impedimenta gradus minoris matrimonium dirimentia.

e) Tribuatur Ordinariis locorum facultas permittendi binationem Missae etiam in diebus feriatis ob iustas causas ab ipsis probandas; necnon facultas permittendi Missae celebrationem post mediam noctem occasione sacrarum missionum, exercitiorum spiritualium et similium.

Ad Magisterium.

a) Statuatur Ratio studiorum, ab omnibus Seminariis necessario sequenda, tam pro cursibus ordinariis quam pro aestivis.

b) Item pro omnibus Seminariis promulgentur leges de quibus in can. 1357, § 3. Perutile etiam evaderet statuere normas pro moderatoribus spiritus, confessoribus et superioribus disciplinae ad selectionem candidatorum.

Haec sunt, quae mihi visa fuerunt Ecclesiae animarumque bono profutura, et Eminentiae Vestrae cum libertate et sinceritate necnon et humilitate communico.

Occasionem nactus, cuncta fausta Eminentiae Vestrae a Deo adprecor et, Sacram Purpuram deosculans, me profiteor Eminentiae Vestrae Reverendissimae devotissimum servum in Domino.

✠ Emmanuel Hurtado y Garcia
Episcopus Tirasonensis

51

EM.MI P. D. BENIAMINI CARD. DE ARRIBA Y CASTRO
Archiepiscopi Tarraconensis (Tarragona)

Tarragona, 11 de marzo de 1959

Emmo. y Rvdmo. Señor Cardenal Don Domingo Tardini, Secretario de Estado — Ciudad del Vaticano.

Al enviar a Vuestra Eminencia la adjunta epístola latina en la que me atrevo a hacer, en el terreno de la intimidad que espero sabrá perdonarme, algunas consideraciones de « estudiante inexperto » sobre el futuro Concilio Ecuménico, aprovecho la ocasión para dar a Vuestra Eminencia las más sinceras gracias por la gestión de las Indulgencias Jubilares de nuestro Centenario de San Fructuoso.

Ruego a Vuestra Eminencia que haga llegar al Santo Padre la expresión de nuestro agradecimiento más rendido por tan singular merced. Yo espero poder hacerlo personalmente, ya que accediendo a los insistentes ruegos de las Carmelitas de la Caridad, me propongo asistir a la Canonización de su Fundadora. Siendo yo Metropolitano de Cataluña, donde nació y vivió y se santificó la Beata Joaquina de Vedruna me pareció que no debía negarme a los deseos que reiteradamente me ha expuesto la Rvdma. Madre General.

Confiando que pronto podré saludar personalmente a Vuestra Eminencia, y repitiéndoLe la expresión de mi gratiud más profunda beso reverente Sus manos y quedo

de Vuestra Eminencia Reverendísima
humilde servidor en Christo

✠ BENJAMIN Card. DE ARRIBA Y CASTRO
Arzobispo de Tarragona

Laetus gratoque animo accepi exemplar Orationis quam Augustus Pontifex ad Purpuratos Patres, Romae congregatos in Benedictinorum Coenobio ad Basilicam S. Pauli extra muros habuit.

Pulchra quidem oratio in qua Summus Pontifex paterne cor suum denuo aperuit quo tot tantaque aluntur optata pro Ecclesiae bono non

tantum sed totius humanae consortionis, adeo angustiis pressae hisce nostris temporibus.

Inter omnia autem optimi Pastoris sancta molimina de quibus notitia habetur, Concilium Oecumenicum primas obtinet in animis fidelium. Quotidie nova audiuntur et leguntur circa hanc magnam totius Ecclesiae Adunationem.

Ut dilectissimus Pontifex in suis allocutionibus satis innuit, Concilium erit « unitatis », i. e. aggregationis, si fieri posset, omnium ovium quae sunt extra ovile, et « ordinationis », i. e. accommodationis ad nova hodiernae vitae adiuncta regularum et statutorum quae id petant; manentibus tamen, ut ipse ait Summus Pontifex, principiis immutabilibus.

De quorumdam talium principiorum et veritatum periculo, immo et aperta contradictione, etiam nostratum, plura loquuntur S. Sedis documenta, v. gr. Enc. *Humani Generis,* et episcoporum pastoralia scripta non pauca. Oportebit ergo ea defendere tum contra saeva iacula inimicorum, tum etiam ab internis dissidiis.

Ante omnia vero auctoritatem Ecclesiasticae Hierarchiae firmare necesse est, etiam inter clericos, siquidem « non omnes oboediunt Evangelio » i. e. magisterio et mandatis tum episcoporum tum ipsius Romani Pontificis.

Forsitan etiam occurret revisio tot exemptionum ab auctoritate episcopali quae status in statu multiplicant et dioeceses in dioecesi... Tunc datur illud Apostoli: « Omnes quae sua sunt quaerunt... ».

Quid vero dicam de beneficiis ecclesiasticis? Religiosi beneficia non habent nec concursus ad munia conferenda, sed aliter de idoneitate iudicant. Et magistros habent optimos. Et Universitates Studiorum celeberrimas. Paroeciae plurimis in locis libere hodie conferuntur. Recursus ad S. Sedem omnia iura tueri optime potest.

Causae matrimoniales, saltem separationis coniugum, si non iudiciali ordine sed administrativa dispositione solvi possent, expensae nimis onerosae, dilationes et alia innumera incommoda, immo et scandala, vitarentur. Liber semper accessus ad S. Sedem, quae etiam iudicialem tractationem praecipere posset, si adiuncta id suadeant, remedium omnibus difficultatibus praeberet.

Concilium sanctitatis! Imprimis sanctitas sacerdotalis. Modestia! Germana pietas! Doctrina fidei. Errores enim serpent etiam hic, ut supra dixi de Enc. *Humani generis*. Etiam circa S. Scripturae interpretationem, etc.

In periculo sunt, aiebat quidam sacerdos, Missa latina, coelibatus, Breviarium... Pro non paucis actio remanet ut praecipua, ni unica, vitae sacerdotalis virtus. Sed in tali actione quoties aberratur! « Sacerdotes

operarii », quorum non nulli in apostasiam cecidere. Et in protestantismum quidam sacerdotes et religiosi, etiam valde noti, misere dilabi vidimus.

Ergo, sanctitas! Incipiendo a Seminariis et Novitiatibus. Sanctitas, i. e. humilitas ante omnia. Qualis esse debet Summus Pontifex? Sapiens? Diplomaticus? Optime respondit dilectissimus noster Ioannes XXIII: Ante omnia opus est ut mansuetus sit et humilis...

Concilium abs dubio totis viribus clamabit contra magnum crimen, verum genocidium spirituale, scholarum a quibus Deus exulat et omnis religiosa instructio.

Morum publicarum instauratio maxime urget, siquidem ut presse dixit venerandae memoriae Pius XII, etiam ipsa peccati notio deperditur. Et tamen spectacula omne genus quotidie in peius vadunt.

Marxismum Evangelio vivo superare, immo excludere necesse est, si mundum opificum ad fidem revocare volumus.

Nec motiva desunt spei, immo et gratulationis. Homines lucem quaerunt. Conclave spectaculum fuit mundo et angelis et hominibus... Roma primum est hodie humanae linguae verbum. Concilii nuntium corda multorum etiam languentium movit, si forte sit spes...

Sed quis te interrogavit? Num in hac epistola erat his locus? Solatium tamen aliquod mihi offert Apostolus qui aliquando « expansionibus » suis veniam patebat quod « minus sapiens » dixisset. Gaudium ob futurum magnum bonum quod ex Concilio Oecumenico toti Ecclesiae et mundo universo obveniet « me coegit ».

Iterum iterumque veniam petens manusque vestras humillime deosculans me profiteor

Eminentiae Vestrae
humillimum in Christo servum et fratrem

✠ BENIAMINUS Card. DE ARRIBA Y CASTRO
Archiepiscopus Tarraconensis

* * *

Tarracone, die 25 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Adnexam mitto ad Eminentiam Vestram expositionem humillimam mentis meae circa aliquas quaestiones futurum Concilium attinentes.

In praesenti autem epistula vellem quasdam observationes proponere, non pro Concilio, quia forse ad ipsum non pertinent, sed persona-

liter exhibendas Ss.mo Patri nostro, siquidem ad bonum Ecclesiae eas conferre posse firmiter credo.

Tales observationes ad me pervenerunt ante aliquod tempus. Agitur in illis:

1. De *Curia Romana*.

Oportet, dicitur a quibusdam, ut Ecclesia sicut oecumenica est in suis Conciliis Generalibus et oecumenica seu catholica in sua constitutione, talis etiam appareat, magis adhuc quam nunc ostenditur, in sua Curia.

2. Idem dicatur de *Collegio Eminentissimorum* Cardinalium. Ideo recepta fuit magno plausu decisio Summi Pontificis Pii XII cooptandi in Sacrum Collegium, ecclesiasticos viros ex omni natione, proportione a multo tempore oblita.

3. Denique quoad *Repraesentationes* quas dicunt diplomaticas S. Sedis apud diversas nationes, audivi questus in eodem sensu.

Haec dum ante dilectissimum Patrem nostrum Ioannem XXIII flexis genibus exposui, Eminentiae Vestrae manus reverenter deosculans me profiteor minimum in Christo fratrem.

✠ BENIAMINUS Card. DE ARRIBA Y CASTRO
Archiepiscopus Tarraconensis

Litteris Eminentiae Tuae Rev.mae diei 19 mensis iunii, Prot. N. I C/59-37, responsum praebens, quaedam repetere liceat aut etiam addere iis quae iam dicta habeo circa futurum Concilium Oecumenicum.

Principium generale

Iterum iterumque repetam « Concilio sanctitatis » Ecclesiam, meo humili iudicio, ante omnia indigere, et quidem incipiendo a sanctitate sacerdotum utriusque cleri.

Ideo Summus Pontifex Ioannes XXIII renovationem vitae christianae, tum quoad fidem, tum quoad mores, proposuit ut praecipuum Concilii pensum.

Huius renovationis quaedam capita quae mihi videntur aut necessaria aut utilia sequentibus numeris continentur.

I. *Quoad fidem*: *a*) Sunt non pauci errores lugendi v. gr. circa interpretationem quorumdam locorum S. Scripturae aliasque doctrinae catholicae veritates.

b) Adde quod atheismus, theoreticus et practicus, ignotus ut « factum sociale » (non loquimur de sectis aut individuis), in tota historia

humana, millia millium asseclarum numerat hodie in mundo; nec tantum in nationibus communismo subiectis, sed in toto occidente, ubi libri atheorum continuo eduntur et ephemerides et folia periodica divulgantur in quibus totus ordo supernaturalis, immo et ipsa notio Dei personalis et providentis pro nihilo habetur aut directo impugnatur.

c) Super omnia lugendus est « laicismus » in scholis. Hoc magnum crimen est hodie fere omnium nationum etiam quae christianae dicuntur, immo et catholicae. Christus dixit: « sinite parvulos venire ad me et ne prohibueritis eos ». Et tamen in scholis Status plurium nationum instructio religiosa puerorum prohibetur. Et quot sunt nationes communismo subiectis quae atheismum in scholis positive fovent?

II. Quoad *principia moralia*. 1. *In laicis*: *a*) Nova theologia moralis i. e. moralis « situationis » ut dicitur seu moralis « subiectiva », cum suis erroribus circa onanismum, suicidium etc. *b*) Sextum decalogi praeceptum non amplius viget, ita ut ipsa notio peccati in dies obfuscetur (ut aiebat Pius XII). *c*) Et quid dicam de pornographia quae mundum invadit tum libris et ephemeridibus, tum cinematographis, radioauditionibus aut spectaculis televisionis? Et de pornographia « murali »? Et nudismus aut vestes impudicae et amplexus et oscula etiam in via publica quo pervenient? *d*) Magnum periculum est familiae christianae destructio; quotidie enim crescunt discordia, adulteria utriusque coniugis, pluralitas clandestina mulierum, libertas relationum sexualium etiam ante matrimonium, etc.; fides a sponsis data nihil est, et ut quid ridiculum generatim apparet in theatris, libris, cinematographis, ephemeridibus, dum e contra infidelitas oculos mentesque captat et illudit.

Corruptio morum talis est ut timendum sit illud: « nisi poenitentiam egeritis omnes similiter peribitis ».

2. *In clero*: *a*) *Humilitas* non amplius a pluribus aestimatur ut virtus, quia « personalitatem » minuit. Verba S. Augustini « fera tota disciplina christiana humilitas est », sensum non habent hodie. « Humilitas est veritas » dicunt superbi. Nec tantum in iudicium vocatur auctoritas episcoporum, quibus oboedientia praestatur « si recte praecipiant », sed et ipsius Summi Pontificis.

Audivi de quadam associatione occulta, saltem in exordiis, in alia dioecesi meae Provinciae, sacerdotum qui « dioecesanismum », ut ipsi dicunt, colunt, nihil curantes de episcopo nisi quae iure ei debentur; episcopus enim, aiunt, transit, dioecesis vero permanet. Moniti ab episcopo promiserunt eius placita in omnibus exequi. Sed initium malum fuit.

E contra maxime inter iuvenes existunt quaedam privatae « uniones » sacerdotum, pauci numero in quolibet coetu, qui amicitiam sacerdotalem colunt, de defectibus monentur ad invicem, pietatem fovent inter se,

consilio iuvantur mutuo etc. Hi quandoque votum emittunt oboedientiae episcopo. Num probandae?

Denique habentur Associationes sacerdotales ubique notae ut « Unio Apostolica », « Oblati » etc. quae tamen magnum successum non habuerunt.

« Dioecesanismus » certo optima idea est si recte intelligatur i. e. cum *episcopo* et cum *fratribus*. Clerus saecularis corpus est quod aliquo sensu caret anima i. e. conscientia collectiva quam optime habent religiosi, propriam nempe Congregationem, quam ut matrem amant.

b) *Lex coelibatus*. Contra eam non pauci movent occultam luctam ita ut nec ipsa castitas, ut virtus, a pluribus convenienter aestimatur. Audivi a religioso, non hispano, ante quatuor annos, de quadam associatione secreta sacerdotum, numero octingenti ni fallor, qui abolitionem coelibatus tenaciter fovent. Immo sunt qui sperant abolitionem a Concilio Oecumenico. Et de hoc loquuntur. Scripta anonyma recens edita et italica lingua evulgata clarum argumentum sunt quod machinatio subsistit.

c) *Breviarium* a quibusdam simpliciter omittitur. Anecdotice dicam de quodam sacerdote, non hispano, qui iuvenem sacerdotem Breviarium recitantem videns ait: quid ergo, tu, iuvenis sis, tempus ita teris dum tot agenda sunt? Hoc ante paucos menses.

d) Et quid dicendum de *lingua latina* et de bello indicto a pluribus contra Missam romanam i. e. latino sermone recitatam? In quadam ephemeride liturgica legi, inter responsiones aliquorum sacerdotum ad quaesita proposita, haec verba plus minusve: « dum absurdum habeamus, in Missa, Canonis secreto et lingua fidelibus extranea recitandi, inutile est loqui de apostolatu liturgico »...

Etiam auditur de « inflatione Mariana in Ecclesia », de « superstitione » devotionis erga Ss.mum Cor Iesu, de « inanitate » Benedictionis eucharisticae, communionis spiritualis, etc.

Num actuale momentum historiae ecclesiasticae in hac parte, in memoriam non revocat confusionem quae explosionem protestantismi praecessit?

Hoc dico demptis demendis et cum mica salis accipiendum; scimus enim plura nunc, ut semper in Ecclesia, esse laude digna; sacerdotes sanctos et religiosos, et progressus Missionum Catholicarum admirabiles, et associationes pietatis, caritatis et apostolatus plurimas. Revera doctrinam « mystici corporis Christi » hodie forse ut numquam plurimi fideles vivunt.

Tamen quae dixi vera sunt, ut reor. Et Pius XII de « mundo a fundamentis instaurando » loquutus est; et de ipsa « notione peccati » quae

in dies deperditur. Scandala semper fuerunt eruntque proh dolor! dicet aliquis. Respondeo cum Christo: « vae mundo a scandalis ». Sed multo peius est quod iam nec ut peccatum habeantur quae gravia scandala sunt.

e) *Canones 124 et ss. de obligationibus clericorum* v. gr. circa tonsuram, habitum ecclesiasticum, simplicem cultum capillorum, adsistentiam spectaculis etc. ignorantur aut deridentur a pluribus.

Familiaritas cum mulieribus occasione ministeriorum et apostolatus etc., frequens est ruinae causa, ob criteria quae nunc audiuntur et scribuntur de non videndis ubique peccati periculis, de naturali expansione cordis etc.

Cohabitatio cum mulieribus quae domesticam curam gerant, deficiente matre aut sorore etc. magnum est problema pro clero saeculari.

III. Circa *Seminaria et Novitiatus,* ubi « neo-modernismus » de quo loquimur radices agere studet, immo et in dies consequitur quin criteria educatorum, quandoque nec ipsorum episcoporum aut superiorum in unum conveniant, necessarium omnino duco normas fixas statuere et earum adimpletioni sedulo invigilare.

Ad rem valde confert Epistula Circularis ad episcopos totius orbis catholici a S. Congr. de Seminariis et studiorum Universitatibus nunc directa, occasione Centenarii Sancti Ioannis Vianney, quam Conciliares serio meditare debent.

IV. *Apostolatus liturgicus*: *a*) Magni momenti est, tum quoad participationem fidelium in sacris caeremoniis et mysteriis, tum quoad ipsam executionem ex parte sacerdotis qui in altari, si unquam, Christum repraesentant.

b) Sed etiam hic novatorum infinitus est numerus... Unde « Codex liturgicus » saltem pro Ecclesia latina valde esset utilis. Nam in pluribus quae ad essentiam Sancti Sacrificii non pertinent, tot sunt sententiae quot auctores manualium. Et quia « in dubiis libertas » unusquisque in suo sensu abundat.

c) Simplificatio adhuc maior in recitatione Divini Officii seu Breviarii opportuna videtur, cum ampliori lectione Novi Testamenti. Forsan, duplicibus 1^{ae} et 2^{ae} classis retentis, caetera Officia ad ritum simplicem reducere prudens crederem. Missa vero liturgica Defunctorum semel aut bis in hebdomada, praeter causas obitus aut anniversariorum, tunc sufficeret.

Loco Officii longioris, oratio mentalis ad normam can. 125 non curari tantum, sed fere imponi deberet, opportunis verbis.

d) Genuflexio episcopis praestita sacerdotibus displicet nec generatim fidelibus placet. In pluribus aliis rebus nostris maior austeritas optimum esset exemplum.

V. *Beneficia ecclesiastica* omnia praevio examine candidatorum, sive seorsum sive collectim, conferri debent, sed post collationem ad nutum episcopi maneant, sicut episcopi ad nutum S. Sedis ubique sunt. Concursus, saltem ad paroecias, pluribus in locis non amplius vigent, nec in posterum admitti deberent, cauto tamen ut praevio examine semper conferantur etsi de unica agatur paroecia et de candidato ab episcopo designato. Idem dic de quolibet beneficio. Examina manere debent quia erunt semper stimulus ad studium.

Beneficia ecclesiastica immobilia, quae causae fuerunt tot malorum in historia ecclesiastica, abolenda crederem. Periculum amotionis iniustae certo superant damna immobilitatis, quae non raro clericum reddit incuriosum, desidem, vel inoboedientem et temerarium, in vitandis quibusdam, quae scandalum in fine pariunt, quod vitari potuisset opportuna translatione.

Valde huc confert sequens paragraphus Conventionis inter S. Sedem et Gubernium hispanicum circa remotionem sacerdotum qui in Seminariis munus magistri exercent etsi praevio concursu fuissent nominati:

« Episcopus poterit libere, " iuxta conscientiam ", amovere Professores (Seminarii) ob causas doctrinam, mores aut disciplinam ecclesiasticam spectantes, ob graves muneris infractiones vel ob debitae efficientiae defectum in instructione et formatione alumnorum ».

Puto hanc normam pro omnibus beneficiis et officiis ubique adhibendam esse. Quod si iniustitiae timeantur, recursus ad S. Sedem, clare statutus, sufficiens remedium erit.

VI. *Causae matrimoniales* scandalo saepe sunt fidelibus et infidelibus, quia nimis protractae, expensis onerantur importabilibus ut quodvis negotium civile. Agendum ergo, quoad utrumque, celerius et mitius, sive administrativa procedatur via, quae magis pastoralis videtur, saltem in genere, sive iudiciali, in casibus difficilioribus, iudicio S. Sedis. S.tus Bernardus, *De Consideratione,* valde dura dicit Eugenio III circa huiusmodi scandala, tunc certo graviora.

VII. Aliud factum triste est separatio inter Hierarchiam Ecclesiasticam, saecularem et regularem utriusque clerum, ita ut non raro repeti posse videatur illud Apostoli: « omnes quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi ». Res melius se habent in dies, sed multum adhuc desideratur unio et collaboratio. De Actione catholica in collegiis Religiosorum fovenda inutile est loqui et sic de aliis.

Audivi alicubi constitutam Commissionem nationalem mixtam, quod tamen meo iudicio malum non aufert. In Ecclesia unica est Hierarchia et unus clerus: Sacerdotium nempe catholicum, in quo diversi sunt status

iuridici et organizationes diversae, sed semper « unum ovile et unus pastor », etiam in dioecesi.

Optimum exemplum esset etiam maior unio inter episcopos, inter Congregationes religiosas, inter catholicos diversarum nationum.

VIII. *Clausuram papalem* monialium, etiam maiorem, magis adaptare oporteret, ut facilius religiosae omnes possent operibus apostolatus incumbere, prout iam Pius XII suadebat, etiamque laboribus quibus victum sibi comparassent.

IX. Quoad *apostolatum laicorum,* normae et statuta clara et fixa dentur oportet, salvis pro qualibet natione specialibus circumstantiis.

Actio Catholica suum retineat locum. Nempe ut organizatio immediate et directe a Hierarchia Ecclesiastica constituta et recta. Sed aliae associationes apostolicae a religiosis vel laicorum coetibus constitutae ne secundariae reputentur et quasi extraneae.

Ideo loqui non debet, meo iudicio, de apostolatu laicorum officiali aut privato, omnia enim opera apostolatus in Ecclesia officialia sunt si ab ipsa approbentur, etsi unumquodque sua habeat propria statuta. Unde « Apostolatus laicorum » genus est; Actio Catholica, Congregationes Marianae, Legio Mariae, Associationes Antiquorum Alumnorum huius vel illius Collegii, Propagandistae etc. sunt species. Nec quidquam obstat ut aliquis ad diversas associationes apostolatus pertineat, immo si ab Episcopo requiratur eius collaboratio in determinata organizatione v. gr. in Actione Catholica, oboedire suadetur, salva gravi difficultate.

Iam vero, si apostolatus laicorum genus est et diversae associationes sunt species et tamquam diversae unitates eiusdem exercitus pacifici, pro regno Christi instaurando: « mundum rechristianizare » aiebat Pius XI, utilis erit abs dubio Foederatio seu Unio iuridice constituta omnium associationum apostolicarum, sub unica directione Hierarchiae ecclesiasticae, ad determinatos fines communes, sive in natione sive in dioecesi vel paroecia, manente tamen propria lege cuiusque associationis pro activitatibus specificis, quae tamen nullibi exerceri poterunt absque approbatione et moderatione Ordinarii loci eiusve delegatorum in hac materia. Actio Catholica erit tunc prima inter pares.

X. Maximum problema quod hodie ubique terrarum agitatur est v. d. « quaestio socialis », quam nempe movent qui aequam distributionem bonorum temporalium persequi vocitant.

Ecclesia Catholica omni tempore « iustitiam socialem » ut dicitur, quae in basi est Evangelii, strenue propugnavit. Immo ipsa est quae novam civilizationem creavit in mundo, quae merito civilizatio christiana dicitur. Modernis vero exortis humanae consortionis adiunctis ope progressus technici, qui dicitur, et evolutionis industriae, doctrina Summo-

rum Pontificum, maxime a Leone XIII, « iustitiam socialem », in primis operarios quod spectat, ut finem absolute obtinendum conclamavit. De iustitia loquimur, non tantum de caritate, quae si, sensu « paternalistico » intelligitur, ab operariis spernitur. Operarius, ut toties dictum est, socius est negotii suo labore sicut patronus caput. Uterque sua iura habet; immo negotium aliquo modo ad utrumque pertinet. Conditiones vitae quas dignitas personae humanae exigit, operarii cuiusque generis habeant oportet.

Dolendum quod patroni, etsi catholici, salvis exceptionibus, honore dignis, vocem Ecclesiae quae quotidie clamat non audierunt nec audiunt. Inde factum est ut operarii, magna ex parte, ad socialismum et communismum convolassent, spe freti « paradisum » in terra tandem aliquando adepturi; caelesti vero, illis capti falsis promissis, valedixerunt. Certum est plures, sese deceptos videntes, socialismum et magis adhuc communismum interne repudiare; vincti tamen manent institutionibus politicis.

Scimus marxismum natum non fuisse ad « iustitiam socialem » vindicandam, sed ad instaurandum in mundo systema philosophicum materialisticum, et atheum. Sed quia talis mundi et vitae humanae conceptio naturali rationi repugnat, et quia fautores optime norant se inter altiores populi coetus non nisi paucas animas aut litteris leviter imbutas aut diabolica superbia elatas sibi devincere posse, ideo operariorum massas egestate afflictas facile invadunt suis promissionibus, easque veneno odii infectas ad bellum sociale impellunt.

Concilium igitur doctrinam catholicam in hac re iterum iterumque proclamare debet eiusque in praxim deductionem urgere. Hoc thema inter principaliora Concilii haberem, perspectis adiunctis hodiernae societatis.

Forsitan abs re non sit novam Congregationem romanam creare pro quaestionibus socialibus, cuius esset organizationes catholicas operariorum et patronorum promovere et moderare, sacerdotum praeparationem ad hoc munus instare, Congressus parere de re sociali etiam ordinis internationalis etc.

XI. Maximum momentum habent hodie *Migrationes* gentium ab una in aliam regionem aut patriam; quod frequenter gravissimum periculum secum fert pro fide et bonis moribus. Unde Constitutio Apostolica *Exul familia* aliaque Sanctae Sedis de hac re documenta a Concilio prae oculis habeantur oportet.

XII. Maxime interest ut Concilium non tantum praecipiat sed ea provideat quae necessaria sint ad hoc ut post celebrationem eius doctrina et decreta non solum ad clerum sed ad fideles omnes, etiam humilium pagorum perveniant. De quo S. Congregatio curare et invigilare debet,

plura enim magisterii ecclesiastici documenta a populo ignorantur aut ad summum non nisi generalis notitia de eorum existentia habetur. Nec tantum ore sed praecipue scriptis evulgatis obtinebitur talis diffusio, ad quod Actio Catholica et Associationes apostolatus laicalis in genere optime inservire poterunt.

Uno verbo. Renovatio vitae christianae, ut iam dixit S. Pontifex in sua prima Encyclica *Ad Petri cathedram,* maxime necessaria est ipsaque erit praecipuus futuri Concilii fructus obtinendus. Ideo « Concilium sanctitatis ». Quod si fiat, maximum habebimus argumentum pro urgenda unitate dissidentium, in quantum humana fragilitas patiatur; nam ipse Dominus noster Iesus Christus, sicut Apostoli, Schismata denuntiarunt adventura, immo et iam exorta non pauca. Tamen « nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum ». Et post viginti saecula Ecclesia pergit munus suum implere Petro duce i. e. hodie Ioanne XXIII, quem Deus diu sospitem servet.

Deum adnixe adprecans per intercessionem Beatissimae Virginis Mariae ut adeo magnus et gravis eventus Concilii Oecumenici tamquam lucerna in candelabro Ecclesiae ardens mundum hodiernum tenebris obvolutum et odiis laceratum ad meliorem frugem convertat, me profiteor Eminentiae Vestrae humillimum in Christo fratrem

✠ Beniaminus Card. De Arriba y Castro
Archiepiscopus Tarraconensis

52

Exc.mi P. D. LEONIS VILLUENDAS POLO

Episcopi Terulensis, Admin. Ap. Albarracinensis (Teruel, Albarracin)

Terulii, die 10 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pontificia Commissio Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico — Prot. N. I C/59-1351 — enixe me rogavit ut « huic Commissioni Pontificiae communicem, omni cum libertate et sinceritate, animadversiones, consilia et vota, quae pastoralis sollicitudo zelusque animarum mihi suggerant circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt ».

En ea quae humiliter propono:

1. *Relate ad Capitulum Canonicorum*

a) Eiusdem structura, occupatio, missio, forsan reformari debent, ut magis necessitatibus huius temporis conformetur.

b) Manente Capitulo sicut nunc est: 1) In provisione canonica — quando agitur de Canonicis *per oppositionem* — meo iudicio, praeferendum esset tribunal alienum ab ipso Capitulo cathedralicio: v. g. tribunal mixtum Metropolitanum, supposita semper facultate Episcopi dioeceseos confirmandi vel respuendi sententiam tribunalis; 2) Iuxta can. 422, canonici et Beneficiati post servitium 40 annorum, indultum *iubilationis* obtinere possunt. Ab hoc privilegio, *practice* excluduntur parochi, professores et alii, qui post servitium plurimorum annorum in suis officiis canonici vel Beneficiati creati sunt. Pro istis, forsitan *ad iubilationem* obtinendam, etiam anni priores in suis officiis computandi essent. 3) Iuxta can. 420, concedatur praesentia in choro canonicis et Beneficiatis, qui ab Ordinario hic et nunc occupantur in officiis pastoralibus.

2. *Ad disciplinam cleri et populi christiani quod attinet*

a) Subscriptus enixe desiderat, ut lex *caelibatus* ad normam can. 132, firmiter teneatur. Pariter ut observetur can. 136 quoad habitum ecclesiasticum « secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii praescripta ».

b) Opportuna mihi videtur antiquae disciplinae restitutio relate ad *Diaconatum,* saltem in terris Missionum. Et in administratione Baptismi, non tantum isti Diaconi, sed etiam religiosi laici, imo et religiosae, *absente sacerdote,* considerari deberent ut *ministri ordinarii huius sacramenti secundum quid.*

c) In Congregationibus « Religionis laicalis », quarum finis est iuventutis instructio atque formatio, meo iudicio, esset conveniens ut nonnulli ex ipsa Congregatione sacerdotium susciperent ad directionem spiritualem alumnorum.

d) Ad Matrimonium quod spectat: 1) Necessaria est maior cognitio obligationum in sponsis, praesertim relate ad finem primarium eiusdem; 2) Maltusianismus sollemniter damnetur; 3) Ad secundum matrimonium post mortem praesumptam unius coniugis — si non possunt haberi documenta probativa mortis — sufficiat certitudo moralis.

e) *Quoad Seminarium*: 1) Instituantur alumni in vita orationis et oboedientia contra naturalismum; 2) In omnibus dioecesibus *Postseminarium* instituatur; 3) Presbyterorum ordinatio fiat post annum 25um;

4) Observentur ad apicem dispositiones Summorum Pontificum quoad admissionem et selectionem adspirantium ad sacerdotium; 5) Vigiletur et reprimatur exaggeratus spiritus novitatis in Seminaristis.

f) Esset conveniens — mihi videtur — ut Concilium normas generales dedisset ad adaptandas tot institutiones pastorales hodiernas necessitatibus huius temporis.

3. *De actuositate praecipua hodierna Ecclesiae*

Inter alia, Ecclesia, hisce temporibus, curare debet, praesertim:

a) Solida clericorum formatio, atque maior unio inter clerum saecularem et regularem;

b) creatio Universitatum Ecclesiasticarum, pro quibus selecti professores praeparentur;

c) Diffusio apostolatus saecularis, speciatim Actionis Catholicae, cuius definitio, activitas etc. a Concilio Oecumenico determinari debent;

d) christianizatio spectaculorum ad impediendum hodiernum materialismum et sensualismum;

e) dentur normae generales — si possibile est — ad negationem sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae, speciatim ad indecentiam vestimentorum.

f) esset conveniens, imo et necessarium, ut Concilium Oecumenicum, iterum atque iterum, explicasset positionem Ecclesiae relate ad laicismum, communismum, et existentialismum, suos errores exponendo et damnando.

4. *Aliae suggerentiae*

a) Si placet, facultas tribuatur Ordinariis dispensandi ab impedimento consanguinitatis in tertio gradu pro matrimonio.

b) Reformatio can. 1532, §§ 1 et 2, relate ad quantitatem valoris, data hodierna monetae vilitate.

c) Relate ad poenas canonicas, forsan esset conveniens nonnullarum suppressio et aliarum mitigatio.

d) Introducatur in corpore Iuris Canonici Constitutio *Provida Mater Ecclesia* Pii XII — 2-II-1957 — cum declarationibus ipsius constitutionis in Motu Proprio *Primo Feliciter* Pii XII — 12-III-1948 — et in Instructione Congregationis Religiosorum *Cum Sanctissimus Dominus Noster,* 19-III-1948.

Praecedentia, quae exposui et enucleavi, supremo iudicio Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, omni cum reverentia atque humilitate subiicio.

✠ LEO VILLUENDAS POLO
Episcopus Terulensis, Admin. Ap. Albarracinensis

53

EM.MI P. D. HENRICI CARD. PLA Y DENIEL
Archiepiscopi Toletani (Toledo)

Toleti, die 30 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litteris Eminentiae Tuae Reverendissimae die 18 iunii currentis anni obsecundans, pergratum mihi est Tibi, uti Commissionis Antepraeparatoriae futuri Concilii Oecumenici Praesidi, quasdam animadversiones mittere circa argumenta quae mihi videntur utiliter pertractari in futuro Concilio posse:

I. *Circa res dogmaticas*

1. In re dogmatica, post definitionem praecedentium Conciliorum et etiam Romanorum Pontificum (v. gr. Summi Pontificis Pii IX de Inmaculata Conceptione B. Mariae Virginis et Summi Pontificis Pii XII de caelesti corporis et animae B. Mariae Virginis Assumptione) non videtur necessitas vel opportunitas dogmatis alicuius particularis definiendi.

2. Videtur conveniens esse confirmare in Sacra Theologia docenda fontes esse Sacram Scripturam et Sanctorum Patrum Traditionem; ac insuper Theologiae positivae iungendam esse Theologiam scholasticam, quae dogmatum sensum scrutatur, inter se componit, et ex ipsis per ratiocinationem corollaria deducit.

3. Quoad Sacram Scripturam videtur valde utile fore pressim definire sensum librorum sacrorum inspirationis; sicuti etiam auctorem libri Genesis.

II. *In re morali quoad sextum praeceptum*

1. Videtur summopere conveniens confirmare traditionalia iudicia moralis catholicae circa castitatem, quae innituntur facto inordinatae concupiscentiae, quae post lapsum primorum parentum per peccatum

originale transmittitur ad omnes homines, ex qua inordinata concupiscentia prohibetur corporis nuditas, ita ut nuditas partium turpium vel illis vicinarum sit grave peccatum, leve vero nuditas partium minus honestarum. Mulieres christianae debent se abstinere ab illis vestiendi modis, qui contrarii sint iudiciis moralis catholicae, pudor enim est custodia castitatis propriae et medium aliena peccata non provocandi. Concionatores et confessarii debent se conformare ad normas hac in re datas a respectivis locorum Ordinariis.

2. Etiam videtur summopere conveniens graviter damnare in usu matrimonii ea quae filiorum generationem impediunt.

III. *In re morali quoad septimum praeceptum*

Videtur conveniens esse definire sequentes iustitiae obligationes:

1. Opificibus salarium sufficiens vitale tenentur dare operum conductores, ita ut parsimonia adhibita possint matrimonium contrahere et vitae necessitatibus subvenire.

2. In omni bene ordinata societate curari debet ut sive legalibus dispositionibus sive socialibus institutis opifices familiare salarium obtineant.

3. Semper salva debet esse dignitas personae humanae in utriusque sexus opificibus et curari debet ut ipsorum filii humanam culturam convenientem adipisci possent, sicut et professionalem formationem.

4. Aequum est ut opifices partem aliquam habeant in beneficiis dum in industria vel commercio illa superent iustum capitalis foenus.

5. Non possunt qui industriam vel commercium exercent pretia ultra iustum secundum circumstantias exigere.

IV. *Circa sanctitatem et disciplinam Cleri haec videntur statuenda*

1. Clerici debent sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere (can. 124).

2. In Ecclesia latina debent sacerdotes et clerici caelibatum servare ut liberius possint cultui divino et apostolatui dicari. In Ecclesiis Orientalibus servetur uniuscuiusque disciplina.

3. Omnes clerici decentem habitum ecclesiasticum deferant secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinariorum locorum praescriptiones. Ubi habitus ecclesiasticus est talaris vestis haec aboliri nequit sine Sedis Apostolicae approbatione.

4. Omnes sacerdotes in unaquaque dioecesi meminisse debent se uti cooperatores ordinis episcopalis ordinatos presbyteros esse; ac pro-

pterea nihil *sine episcopo* attentare posse atque ipsius ordinationes et consilia fideliter sequi debent in doctrina, in re morali ac disciplinari et in apostolatu exercendo.

5. Exemptio maior vel minor sacerdotum religiosorum est tantum quoad regimen internum religionis; quoad vero apostolatus exercitium erga fideles pendent sacerdotes religiosi ab Episcopis seu locorum ordinariis, quamvis singuli pendant etiam a suis superioribus religiosis.

V. *Circa Seminaria haec videntur statuenda*

1. In omnibus dioecesibus instituatur Pontificia Associatio Vocationum Sacerdotalium, quae curat vocationes promovere et eas oeconomice adiuvare. Dent operam sacerdotes, praesertim parochi, ut in pueris qui indicia praebeant ecclesiasticae vocationis germen foveant. Patres, nedum suorum filiorum vocationem ecclesiasticam impediant, honori ducant in sua familia aliquem habere sacerdotem.

2. Extradiocesani ne admittantur, venia Episcopi proprii non obtenta et sine praeviis opportunis litteris testimonialibus. Legitime in Seminario extradioecesano degentes, statutis temporibus et praefinito modo Episcopum proprium sive scripto, sive visitatione, crebro adeant.

3. In seminariis, praeter in litteris et scientiis formationem, summopere curetur spiritualis et sacerdotalis formatio, quae quidem omnino exigit spiritum et praxim orationis mentalis, devotionem erga Sanctissimam Eucharistiam et frequentem communionem, et spiritum obedientiae superioribus et regulis seminarii. In unaquaque natione fideliter in praxi Ordinarii deducant praecepta et instructiones Sacrae Congregationis de Seminariis et Universitatibus studiorum pro seminariis propriae nationis datae.

VI. *Circa Apostolatum laicorum et Actionem Catholicam haec videntur statuenda*

1. Apostolatus laicorum et Actio Catholica sunt fidelium seu laicorum cooperatio apostolatui hierarchico Ecclesiae, quae quidem cooperatio hodiernis temporibus omnino est necessaria, tum ad insufficientem sacerdotum copiam supplendam, tum ob apostolorum laicorum faciliorem influxum in fidelibus tepidis vel practice ab Ecclesia alienatis.

2. Cum idem sint Apostolatus saecularis et Actio Catholica, sub generico nomine Apostolatus saecularis comprehendantur omnes associationes, quae hierarchico apostolatui cooperantur, reservato specifice nomine Actionis Catholicae associationibus apostolatus saecularis, quae

non tantum probatae sint a Hierarchia sed ab ipsa fundatae et directe in suo regimine pendentes. Valde expedit tamen omnes associationes apostolatus saecularis, actione catholica comprehensa, tum in singulis paroeciis et dioecesibus, tum in singulis nationibus, immo in ordine internationali ita uniri ut omnes efforment *Apostolatus Saecularis Unionem* in qua Actio Catholica sit unum ex membris at directione super alias associationes non gaudeat, sed directio Unionis Apostolatus Saecularis semper directe ab ipsa Hierarchia exerceatur.

VII. *Circa relationem inter Ecclesiam et Statum seu civilem societatem sequentia videntur definienda*

1. Non tantum personae et familiae sed etiam nationes et Status tenentur veram religionem profiteri. Ipsius apostolatui libertatem agnoscere debent nationes et Status; immo Status qui catholici sint debent Ecclesiae apostolatum iuvare.

2. In nationibus ubi socialiter unitas catholica existit, etiam Status debet illam profiteri et tueri.

3. Conversio infidelium et hereticorum non vi sed suasione curari debet. Ad maiora mala vitanda vel maiora bona obtinenda licita est tolerantia cultus privati ubi socialiter existit unitas catholica; etiam cultus publici ubi socialis unitas catholica non datur.

4. Ecclesia a Christo fundata est societas perfecta, et propterea sua iura exercere potest independenter a societate civili. Cum vero etiam societas civilis perfecta sit, et dentur materiae mixtae, possunt utiliter concordata seu conventiones iniri Ecclesiam inter et Statum, quibus et dissidia vitentur et fructuosa obtineatur cooperatio.

Hanc occasionem libenter nanciscor ut me profitear Eminentiae Tuae Reverendissimae humillimum, addictissimum servum verum.

✠ Henricus Card. Pla y Deniel
Archiepiscopus Toletanus

54

Exc.mi P. D. IOSEPHI LÓPEZ ORTIZ

Episcopi Tudensis-Vicensis (Tuy-Vigo)

E civitate Vigo, 20 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteras ab Eminentia Tua Reverendissima diei 18 iunii huius anni, Prot. I C/59-1404 grato animo accepi.

Auspicor, et enim ex coadunatione Concilii Oecumenici magna bona, et Te praeside, e laboribus Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae.

Animadversiones vota et consilia quae, benigne, a me poscis haec praesertim et breviori modo Tibi in Domino pandam.

Imprimis Concilium reapse novum convocari censeo, non autem prosecutio Concilii Vaticani.

In laboribus Concilii « Patribus iam collectis » optarem ut potius quam in sessionibus solemnibus vel praeparatoriis sermones longiores et doctiores multiplicentur, locum daretur dialogo prolixiore, et quodam modo familiari in commissionibus minoribus. Ita ut quod in aliis Conciliis privatim et aliquando clandestino fere modo molliebatur, fiant officiose, ut aiunt, actis conscriptis, nec autoritate praesidum absente.

Quoad doctrina capita

Optarem ut enuclearentur plus minusve quae Pius XII felicis recordationis proponebat in suis Litteris Encyclicis *Humani Generis,* quin multiplicentur postea damnationes errorum. Quoad philosophiam existentialisticam vel accuratior expositio fiat, si oportet eam ad minus partim damnare, vel potius de ea sileatur, et errores generatim proscribantur quae ab eius cultoribus patrocinantur sed etiam ab asseclis aliorum systematum.

Desiderabilem existimo expositionem fundamentorum Theologiae moralis cum damnatione recentiorum errorum. Ac in expositione districte enucleandam existimo doctrinam fontium theologicarum. Specialiter caput exponendum iudico in quo explicetur quo modo quae ex lege naturali doctores deductivo more usque ad ultima consectaria protrahunt etiam conferri debent cum documentis Sacrae Scripturae et Traditionis Catholicae. Probabilitas, quam aiunt, extrinseca ex auctoritate doctorum debitis finibus coactari debet.

Quoad disciplinam Cleri

1. Mala cavenda existimo quae ex provectiore aetate pastorum non raro oriuntur. Episcopi residentiales 75 aetatis suae anno humiliter in manibus Summi Pontificis dimissionem deponant, simulque relationem de statu dioecesis, in qua praesertim exponant quae acta sunt praeterito quinquennio, quae agenda in futuro, simulque iudicium de propriis viribus ad ea perficienda, quae necessaria existimet. Summus Pontifex audito consilio Metropolitae et quorundam ex finitimis dioecesibus iudicium ferat. Si Episcopus in regimine dioecesis servare existimet, hic tertio quoque anno dimissionem et relationem iterare debet. Idem, servatis servandis, omnes curam animarum habentes peragere tenerentur ante proprium Pastorem.

2. Systemata, ut aiunt, beneficialia immutare oportere etiam in Domino iudico: ita ut officia ecclesiastica praesertim cum cura animarum ullo modo iure proprietatis vel possessionis detineantur. Immobilizatio patrimoniorum, titulo dotis beneficii vel officii mitigari etiam oportet. Iura patronatus vel aboleantur omnino, vel amplius arctentur.

Unitas patrimonii dioecesis statui potest, ut systema gestionis administrativae, ita ut episcopus consensu in maioribus egeat consilii administrationis et capituli.

Alia systemata gestionis non excluduntur. Officia cum cura animarum per se stabilia sint.

3. Officium chorale mitigetur, ita ut canonici, et mansionarii facilius in ministeriis pastoralibus adlaborare possint.

4. Restitutio diaconatus vel aliorum inferiorum ordinum ad experimentum deduci oportet, normas a Concilio Tridentino editas repristinando.

De disciplina populi fidelis

1. De matrimonio: Vota plurimorum doctorum considerare oportet qui autumnant, ut sacri canones non in conceptu romanistico contractus inniterentur sed potius in supernaturali dignitate sacramenti matrimonii, ita ut potius ut institutio, ut aiunt, configuraretur, quam ut contractus. Quod si fiat, prolixa et intricata doctrina et praxis de conditionibus matrimonii omnino abolerentur, et occasio non amplius esset ad litigia promovenda de nullitate matrimonii ex capite conditionum, in quibus non sine populi fidelis scandalo, tam multa molliuntur in ius et conscientiam.

2. De apostolatu laicorum nonnulla examini subiicienda sunt: Consociationes Actionis Catholicae quamvis ad apostolatum hierarchicum

complendum necessariae sunt fere, alia quaedam absque mandato hierarchico perspicere revera possunt et faciunt. Hic duplex modus agendi nitide distinguendus est. Magna cura efformandi sunt sacerdotes consiliarii seu assistentes vel directores operum apostolatus, ita ut episcopis, ut munus grave pastorale efformatio talium sacerdotum imponi possit. Curandum est, ut hi sacerdotes aliis muneribus non impediantur, et iisdem retributio oeconomica sufficiens paranda est.

3. Consilium ad coordinationem operum apostolicorum sit in unaquaque dioecesi, in quo et praesides, sive assistentes eclesiastici omnium operum sedeant et alii prudentes et docti sacerdotes. Consilium ex officio Episcopo proponere debet quae necessaria iudicet ad assequendam unitatem apostolatus.

Exemptio religiosorum ullo modo ad activitates apostolicas se protrahat.

4. Quoad reformationem liturgicam quaedam in Concilio tractari possent: usus linguarum vernacularum in sacris ritibus. Lineamenta generalia instaurationis veterum rituum. Simplificatio officii divini.

De unione omnium christianorum

Omnia quaerenda et fovenda sunt quae ad ea obtinenda conferre possint salva quidem integritate fidei et sacra institutione Ecclesiae in Petro fundatae et ab eius successoribus servatae.

Quaedam difficultates parvae quidem, sed non spernendae removeri possunt:

a) Prohibitio editionum textus Sacrae Scripturae et eius versiones limitari potest tantummodo ad editiones in quibus revera errores contineantur, ita ut non oriatur prohibitio ex acatholicitate editoris.

b) Circa impedimentum mixtae religionis canones tantisper mitigari possunt.

c) Circa communionem in divinis cum acatholicis etiam praxis mitigetur.

Fortassis cum consiliis rectoribus motus oecumenici quaedam tractari possint: exempli gratia, de modo quo ministri acatholici propagationem doctrinarum suarum in nationibus catholicis quaerunt.

Concilium Oecumenicum declarationem parare posset de illiceitate armorum, quibus certe non tantum viri bellatores sed etiam inermes omnis generis attinguntur.

Iurium definitio hominis in his quae attinent ad assequendum finem supernaturalem ex ordinatione divina etiam opportuna videretur.

Haec sunt, Eminentissime Domine, quae tecum communicare in Domino censeo, tuam benignitatem deprecans, Sacramque Tuam purpuram deosculando.

✠ IOSEPHUS LÓPEZ ORTIZ
Episcopus Tudensis-Vicensis

55

EXC.MI P. D. RAYMUNDI IGLESIAS NAVARRI
Episcopi Urgellensis (Urgel)

Urgellae, 29 augusti 1959

Em.me ac Rev.me Domine,

Eminentiae Vestrae Reverendissimae, summa cum reverentia plenoque obsequio accepi Litteras, d. d. 18 iunii proxime elapsi, per quas, magna usus in me dignatione, « animadversiones, consilia et vota » rogat, eademque, prouti opportunum videatur, petit me exponere meliori altiorique iudicio istius Congregationis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico.

Eminentiae V. Rev.mae votis obsecundans libentissime, etsi de parvitate meorum consiliorum mihi conscius, ea tamen simul cum his litteris mitto, atque pollicitationem mearum, meorumque fidelium Dioecesis huius, impensiorum orationum pro felici exitu incepti Operis a Ss.mo Patre nostro, quem Deus sospitem servet, tam peramati.

Hanc nactus occasionem, venerandos mei animi sensus, addictissimosque E. V. R. profiteor, dum Ipsius sacram Purpuram reverenter deosculor.

✠ RAYMUNDUS IGLESIAS NAVARRI
Episcopus Urgellensis

A) *In re dogmatica*

Fundamenta, e Sacrae Scripturae et Traditionis fontibus promenda, quibus innititur doctrina, tanti plena solatii, de Mediatione Universali Beatissimae Mariae Virginis, utpote Corredemptricis generis humani: eo nempe fine ut, si res opportuna censeretur, eadem definiatur.

B) *In re disciplinari*

1. Summe ostensa efficaci Exercitiorum Spiritualium praxi, aptissimaque tum clericos sanctificando tum sacris obligationibus perficiendis ipsos inducendo: quinimmo plerisque eorum iam de facto, cotannis aut saltem quoque biennio, in sacrum secessum Exercitiorum sponte confugientibus, posset, salvo iudicio meliori, can. 126 ita modificari: « omnes clerici saeculares debent *secundo* saltem quoque anno... ».

2. Urgeri, ni fallor, deberet fidelis observantia canonum qui in Titulo III, P. 1ª, Sect. 1ª « De obligationibus clericorum » continentur; praesertim vero e can. 126 adusque 144 inclusive. Idque prorsus quo maturius obveniatur quibusdam suspectis rationibus agendi quae, certis praesertim nationibus, illas sapientes Ecclesiae leges fere posthaberi iamiam videntur.

3. Eadem quoque ratione urgenda forsan esset observantia adstrictior canonum 818 et 819, ad sapientissimam normam can. 1257.

4. Atque e contra, ampliari videtur oportere iurisdictionem, quam « omnibus utriusque cleri sacerdotibus » confert can. 881, hoc scilicet sensu: quod sacerdotes omnes facultatem confessiones audiendi habentes in sua Dioecesi vel Congregatione, ipso facto eamdem habeant in qualibet Dioecesi suae *Nationis,* dum Ordinarius proprius praedictam iurisdictionem, vel licentiam, ab eisdem in sua Dioecesi non revocaverit.

5. Perurgente hodierna apostolica clericorum actuositate multiplicis generis, ex quo fit ut persaepe indulta Choro adsistendi sint a S. Sede pro aliquibus petenda, nos arbitrari audemus necesse forsan fore praefatam obligationem Chori, pro *omnibus,* limitare diebus tantum Festis ac Duplicibus 1ªᵉ classis. Ad quod quidem sic Statuta capitularia innovanda forent: ut Praebendarum Canonicorum et Beneficiatorum onera, pro plerisque saltem, essent munera: vel magisterii in Ecclesiae Scholis, vel Catechesis, vel Actionis Catholicae, aliorumve similium munerum; ut item conveniret, Ordinario Praeside, quoque mense aut saltem tertio, coetus Capituli Cathedralis ad ea apostolatus pertractanda media quae aptiora atque hodierno usui censeantur proximiora.

Haec sunt consilia quae infrascriptus humiliter submittit istius Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico adprobationi atque examini.

✠ RAYMUNDUS IGLESIAS NAVARRI
Episcopus Urgellensis

56

EXC.MI P. D. MARCELLINI OLAECHEA LOIZAGA
Archiepiscopi Valentini (Valencia)

Valentiae Aedetanorum, die 27 septembris 1959

Placet mihi admodum, Augusti Pontificis desiderio perquam libentissime obsecundanti, Eminentiae Vestrae patefacere opiniones et sententias nostras, necnon consilia et vota, circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt; quod quidem luculenter peragendum curamus, exaratis propositionibus quae subinde recensentur:

I. *Criteria quibus aptari debet totus Concilii labor.* Concilium proxime celebrandum iam dudum a pluribus « Concilium Unionis » vocitatur. Praevidere tamen fas est « unionem » non fore, immediate et proxime, Concilii exitum. Quod quidem non aeque valet ac dicere laborem Concilii efficacem nullatenus esse futurum. Potius ad Concilium spectabit ulterius ita progredi, ut sponte exsurgant ea omnia quae propitia sint ad unionem, et ut illa percipiantur et aestimentur ab illis fratribus qui a nobis sunt seiuncti.

Ut haec tandem eveniant, haec prae oculis videntur habenda:

1. Ea omnia quae in Ecclesia Catholica restauratione indigent, renovanda erunt. Sunt enim multa, quae a Deo nullatenus sunt praecepta, quaeque tamen nonnisi vi diuturnae exercitationis peraguntur, quin aliunde vera polleant efficientia. Immo, non desunt quae ut vere nocentia sunt censenda. Quod Ss.mus D. N. Ioannes Pp. XXIII Romanam Synodum convocaverit, et Iuris Canonici Codicem aut ipsam humanam Ecclesiae structuram reformandam praedixerit, satis patefacit vehemens in Romano Pontifice studium renovationis quam hic innuimus. Suppressio aut reformatio plurium huiusce generis unionem admodum secundabit, eadem quippe causa qua talium conservatio unionem illam impedit.

2. Huiusmodi renovatio atque reformatio, ut liquet, ita peragi oportebit, ut nihil eorum mutetur quae in Ecclesia minime sunt mutabilia, vel quia a Deo sunt imposita, vel quia sunt definitione sancita.

3. Immo vero, in hac renovatione et reformatione perficienda, prae oculis erunt imprimis habenda cuncta quae hodiernis hominibus ut necessaria sunt aestimanda. Opus erit ergo hodierna induere forma, si ipsa carent, dogmata et ipsam morum scientiam, necnon Liturgiam et sacros Canones, atque ipsa apostolici laboris instrumenta, immo et ecclesiasti-

cam disciplinam aut administrationem. Ita tamen, ut nullatenus mutetur quod mutari non queat.

Dehinc quaedam recensentur themata, quae in specie spectant: ad ipsam Ecclesiae structuram dogmaticam seu divinam; ad ipsius Ecclesiae structuram ecclesiasticam seu humanam; ad quosdam disciplinae aspectus; ad doctrinam; ad Liturgiam.

II. *Schema dogmaticum de Ecclesia.* Nullo quidem modo hic intelligitur Ecclesia, quatenus quid vivum ac invisibile habet, nempe: quatenus ipsi Christus est caput, quatenus animatur a Spiritu Sancto, gratia, donis, virtutibus etc. Sed potius Ecclesia hic consideratur in iis quae structuram ipsius visibilem et socialem respiciunt. Accuratius: hic est considerandum id quod, et visibile simul et divinum, Ecclesiae inest. In hoc sensu Ecclesia dicitur constituta Romano Pontifice, Episcopis, sacerdotibus et fidelibus. Cuncta huiusmodi elementa divino pollent origine. Petri Primatus ab ipso Christo fuit statutus; Episcopi habentur ut successores Apostolorum, qui et ab ipso Christo sunt electi; ipsemet Christus Sacerdotium instituit; et homines efficiuntur fideles, quatenus charactere baptismali insigniuntur, qui quidem effectus divinus divini ritus, et non tantum ecclesiastici, est dicendus.

1. Quae ad Romanum Pontificem respiciunt, in Concilio Vaticano fuerunt dogmatice structa. Ibi namque definitum est ipsum esse successorem Petri, specificis potestatibus pollere, hasque potestates certa vi et amplitudine redolere, quae interdum ad ipsam infallibilitatem usque pervenit.

2. Optanda item esset dogmatica structura quoad Episcopos, qui a Deo pariter originem ducunt. Opus igitur esset statuere qui sensus verborum sit « successio Apostolorum »; in quibus talis detur successio, in quibus vero absit; qua polleant potestate; usquequo a Romano Pontifice Episcoporum pendeat potestas, aut ipsius exercitatio, et undenam pendens minime sit. Uno verbo, proximum Concilium statuere deberet quoad Episcopos ut Vaticanum Concilium quoad Romanum Pontificem statuit. Dogmatica Episcoporum structura censetur optanda.

3. Dogmatica autem structura quoad sacerdotes minime videtur desideranda, quippe quae satis superque censetur effecta. Alia tamen, structura ecclesiastica nempe, quam subinde, in schemate subsequenti, exponimus, aestimatur statuenda.

4. De laicorum dogmatica structura. Laicus est, iure divino, essentialis pars quaedam Ecclesiae. Et videtur statuendum esse quid habeat iure divino in Ecclesia visibili. In invisibili enim rite dignoscitur quid habeat vel habere valeat, gratiam scilicet, virtutes et alia. At vero in visibili, usquequo pervenit ex divina institutione? Qua sacra fruatur facul-

tate in iis quae cultum respiciunt, vel ad docendum spectant, aut ad supernaturalia ipsius Ecclesiae pertinent? Qualis et quanta huiusmodi potestas erit aestimanda? Quo sensu haec dici potest ab ipso Baptismi et Confirmationis charactere sacramentali scaturire? Quatenus haec potestas potestati triplici Hierarchiae est subiicienda? Uno verbo, laicorum schema dogmaticum etiam censetur statuendum. Immo, et ecclesiastica ipsorum structura desideratur, ad quam tamen redibimus postea.

En brevis summa quaestionis: duo tantum ex quatuor ordinibus, quibus Ecclesia divino iure coalescit, dogmatica pollent structura: Pontificatus et Sacerdotium. Episcopatus vero, plene saltem et omnino non, tali dicendus videtur structura gaudere; quoad laicos, denique, huiusmodi structura apparet plane desideranda.

III. *Schema « ecclesiasticum » de Ecclesia.*

Huiusmodi schema adaptandum quam maxime esset, hinc dogmatibus, illinc fidelium necessitatibus. Quaecumque igitur aliae rationes historici ordinis, ut v. gr. iuris acquisiti, praescriptionis, etc. aut omnino omittendae, aut minus certe essent habendae. Hac de re sequentes propositiones fieri possent:

1. Cum dogmaticam Ecclesiae structuram Romanus Pontifex, Episcopi, Sacerdotes et fideles constituant, censetur admodum oportere ut « corpus Cardinalium » non esset, aut, si perduraret, nec momento nec pondere, quibus nunc pollet, deinceps frueretur. Ecclesiae Senatus solis Episcopis una cum Romano Pontifice esset constituendus. Cum autem haud cuncti in tali Senatu partem capere Episcopi possent, huiusmodi Senatus esse constituendus solummodo ex illis qui ab Episcopis uniuscuiusque nationis aut Patriarchatus fuissent electi, quique caeterorum gererent vices.

2. Dogma illud quod sic se habet « salus animarum suprema lex » necessario exposceret regimen Beneficiorum aut reformandum fore aut penitus omittendum. Item Presbyterorum ordinatio in servitium dioeceseos facta reformanda censetur, nam singulae dioeceses permeabiles esse deberent, ita ut perfacilis evaderet ex una in aliam sacerdotum translatio, prout fidelium spiritale bonum requireret. Paroeciarum etiam structura foret reformanda. Nec ipsa Religiosorum exemptio videretur urgenda, id si animarum bonum suaderet, etc.

3. Dignitas maxima, quam sibi postulant et status et exercitium sacerdotale, exposcit etiam ut quam maximis cautionibus moralis ordinis sacerdos circumdetur. Ita ordinatio sacerdotalis protrahenda esset; Diaconorum ministerium, et quidem absque castitatis voto, foret reponendum; atque, cum de indignis agitur, facilior evadere deberet sacerdotum reductio ad statum laicalem.

4. Opus tandem esset ut et laici repraesentati invenirentur in ipsa Ecclesiae constitutione seu structura « ecclesiastica ». Quod fieri posset per aliquod Dicasterium, cui tale munus conveniret, quodque a laicis ipsis regeretur.

IV. *Propositiones circa efformationem.* Nemo est qui dubitet quominus in nostra sacerdotali, immo et in christiana efformatione, defectus non pauci, et non parvi quidem momenti, sint reperti. Quod inter recenseri debet notabilis dogmatis absentia, et in pietate, et in moribus. Hinc oriuntur huiusmodi propositiones:

1. Methodus hucusque in apostolico labore adhibita, esset vere reformanda, ita quidem ut hodiernae psychologiae adaptaretur, quo fieret ut fidelium fides non esset tantum simplex formularum recitatio, sed quid vivum et operans.

2. Nostra in efformatione essent certe eradenda quaecumque remanent vestigia praevalentiae cuiusdam, quam sibi posset vindicare elementum romanum et hebraicum adversus evangelicum et paulinum. Quod quidem in sequentibus comperitur factis:

a) Pluris aestimatur iuridicum elementum, quam dogmaticum; et ius ipsum quam ipsa Theologia. Haec mentibus plerumque sacerdotum vere sunt indita. Suntque quae « ut praedominium romanum in Evangelium » intelligimus.

b) Pluris habetur:

— elementum externum seu disciplinae, quam internum;

— ritus, quam mysterium; seu aspectus ritualis, quam id quod ipse ritus prae se habet;

— lex, quam gratia. Hinc quod praecepti positivi nimia habeatur aestimatio;

— quantitas et numerus, quam ipsa qualitas.

Quae quidem omnia nihil aliud sunt quam id quod supra fuit a nobis vocatum praedominium iudaici elementi in elementum paulinum.

V. *Propositiones ordinis doctrinalis.* Concilii labor versari etiam deberet de rebus ordinis doctrinalis. Ex quibus quaedam sunt seligenda, quae duplicis censentur naturae: altera, generica; altera, specifica:

1. Argumenta ordinis generici:

a) Problema accommodationis Dogmatis et Moralis christianae ad doctrinas et mores alius culturae praeterquam classicae. Ad rem namque Historia Ecclesiae factum duplex, utrumque certe eloquens, adnotat: Revelatio, Hebraeo populo facta, ad mentem Hebraeorum, doctrinae classicae latinae et graecae fuit adaptata, illasque sibi digessit quin iudaicis moribus imbueret. Alterum factum signat christianam cladem, et in Islamismo devincendo, et in Sinensibus captandis. Per quatuor enim sae-

cula vim propriam ferme omnimodam Ecclesia in Asia captanda vertendam curavit, quin tamen nihil aliud assequeretur quam conversionem paucorum, qui non plus quam ter decies centena millia Sinensium connumerantur. Cuncti Sinenses forent christiani, si in eorum captatione talis methodus fuisset adhibita, quae ipsos in propria conditione servaret et custodiret, minime vero Europaeorum moribus imbueret. Haec quidem haudquaquam sunt parvi pendenda, praesertim hodie, cum populi —« coloris » ut aiunt — et exposcunt et assequuntur proprium locum inter caeteras orbis gentes.

b) Adest etiam problema socialis dimensionis Dogmatis.

2. Argumenta ordinis specifici:

a) Explanata iam fuit supra opportunitas aggrediendi opus structurae dogmaticae quoad Episcopos et quoad laicos.

b) Instat necessitas statuendi consilia, aperta ac manifesta, relate ad problemata vere urgentia, in quibus mens clara desideratur. Respicimus ergo ad problemata imputabilitatis collectivae, oboedientiae, libertatis, dignitatis personalis, et veritatis.

VI. *Propositiones de Liturgia.* Hac de re duplicis generis propositiones fieri possent: alterae, substantiales, eae scilicet quae Liturgiam respiciunt quatenus aliquid habet rememorationis, repraesentationis et in ipsa anima vivificationis mysterii religiosi; alterae vero, minoris quidem momenti, quae ad ritum spectant.

1. De Liturgia, quatenus rememoratio, et commemoratio, seu intima vivificatio est mysterii. Articuli nostrae fidei et mysteria quae in ipsis rememorantur, in duas tabulas ordinantur, prout ad divinitatem, vel ad oeconomiam Redemptionis pertinent. De facto Liturgia tota versatur circa illa mysteria quae secundum ordinem respiciunt. Illa autem quae prioris sunt ordinis, una Trinitate excepta, propria festivitate carent. Nullum enim datur festum in quo Deus ut Creator adoretur, ut Conservator, ut Gubernator, vel ut Pater, ut Verbum, ut Sanctus Spiritus. Beneficia creationis, conservationis, gubernationis, paternitatis divinae, de qua, ut S. Paulus asserit, originem ducit quaecumque alia paternitas, nonnisi obiter leviterque memorantur in Liturgia. Hoc est insuper animadvertendum, quod, cum de mysteriis prioris ordinis agitur, nos cum universo mundo coniungimur. Mundus enim universus et creatus, et conservatus, et gubernatus est a Deo Patre, Verbo et Spiritu Sancto. E contra mysteria alterius ordinis tantum hunc nostrum mundum respiciunt. Hodierno autem tempore, cum e terra iam iter aperitur in sidera et aethera, admodum opportuna esse possent illa prioris ordinis mysteria, maxime quidem cum, ut supra dictum est, sint huiusmodi mysteria immerito certe praetermissa.

2. De Liturgia quatenus ritus est:

a) Admodum oporteret ut Liturgia in hoc sensu simplicior evaderet. Hodierni enim homines nec intricata, nec prolixa, nec difficillia amant.

b) Ritus illi, quibus hodie opportunitas deest, videntur esse plane omittendi. Immo, et illi ritus, quibus tale momentum inest, ita forent mutandi, ut, quin amitterent id quod mysterii habent, quodque ritui liturgico per se inhaeret, pervii intelligentiae perfacile evaderent. Inter eos, qui essent omittendi, recensentur v. gr. quatuor ordines minores et ipsorum collatio. Nunc temporis nec ostiarii, nec lectores, nec exorcistae, nec acolythi ex officio, vi ordinationis, dantur. Exorcismi a quibusdam tantum sacerdotibus, et nonnullis cautionibus adhibitis, peraguntur. Acolythorum munus a pueris altari deservientibus perficitur. Ostiarius non est nisi aedituus. Ut quid ergo hi ordines? Ipsorum videretur obvia existentia, si eorum officia darentur. Inter eos autem ritus, qui mutationi obnoxii esse deberent, recensentur v. gr. exorcismi qui in baptismo fiunt, qui quidem aptiori ac intelligibiliori peragendi essent modo. Pro sale, saliva etc. alia essent adhibenda.

Alia quaestio de re liturgica non praetermittenda est illa quae ad linguam adhibendam spectat. Huiusmodi quaestio, usus vernaculae linguae, serio est obeunda. Hodie namque firmiora sunt argumenta quae talem suadent usum, quam illa quae possunt defendere usum Linguae Latinae. Imprimis enim plerisque clericis est de facto nunc impervia fere latinitas liturgica. Ipsaque est plane inintelligibilis cunctis fere laicis. Quod quidem efficit ut fidelium pietas a pietate ipsa Ecclesiae fere penitus seiuncta habeatur. Aliunde, illud quod solet adduci argumentum, ad unitatem nempe meliori modo custodiendam, nec firmum nec validum est habendum, cum in Ecclesia Orientali Liturgia proprias incolarum gentium adhibeat linguas. Prae oculis est habendum Ecclesiam alia possidere validiora argumenta, ad unitatem tutius custodiendam; adsunt enim argumenta ordinis dogmatici, ut v. gr. regimen; Petrus et Apostolorum successio.

Cumque de lingua adhibenda agitur, alia similis nostrae menti subvenit quaestio, illa nempe de adhibenda vernacula lingua in ecclesiasticis tradendis disciplinis. In ministerio enim exercendo clericis utendum est quacumque cognitione acquisita in studiorum cursu, et quidem ipsis adhibenda certe est vernacula lingua. Ideo facilius reddetur iter hunc in finem, si propria addiscuntur lingua ea quae caeteris erunt tradenda. Usus Latinae Linguae, aliis tamen causis non exceptis, hunc duplicem protulit effectum: seiunxit ab Ecclesia fidelem populum, cuius pietas a

pietate discrepat Ecclesiae; et impedivit ne scientia et eruditio hominis civilis communicabilis sit cum eruditione et scientia ecclesiastici viri.

Haec dum Eminentiae Vestrae Superiori iudicio humiliter expono, me ut servum profiteor.

✠ Marcellinus Olaechea Loizaga
Archiepiscopus Valentinus

57

Exc.mi P. D. IOSEPHI GARCIA Y GOLDARAZ
Archiepiscopi Vallisoletani (Valladolid)

Vallisoleti, die 21 septembris anni 1959

Eminentissime Domine,

Litteris Eminentiae Vestrae, die 18 iunii 1959, sub num. Prot. I C/59-1427 datis, libentissime respondens, sequentes animadversiones humiliter propono pro futuro Concilio, quae maxime ad disciplinam referuntur:

Quoad Capitula Canonicorum

Cum sat magna existat varietas inter diversa Capitula Canonicorum, praesertim in Hispania, quoad privilegia, dispensationes, etc., fortasse opportunum foret ut omnia iuri communi accommodarentur.

Quoad Clausuram Monialium

Clausura, quae dicitur papalis, Monialium, tollenda aut reducenda aut modificanda esset. Experientia enim teste, honestas monialium et spiritus religiosus et ipsa pietas, maiorem forte tutelam obtinent in bono regimine et disciplina multarum Congregationum Sororum, quam in stricta clausura Monialium. Saepe etiam mundus et eius spiritus facilius intrant in Monasterium per crates aculeatas quam per apertas aulas visitationis. Addendum quod stricta clausura ansam praebet anxietatibus, scrupulis aut infractionibus plus minusve larvatis.

Quoad Foederationes Monialium

Foederationes Monialium fructum afferre possunt, maxime per Novitiatum communem et maiorem facilitatem translationis ab uno in aliud Monasterium; sed originem praebere possunt et de facto praebent aliqui-

bus difficultatibus relate ad iurisdictionem Ordinariorum, quae dubia in aliquibus casibus manet. Saepe etiam Superiores harum Foederationum problemata creant ab Ordinario postea solvenda. Fortasse solutio esset in subiectione Monialium Superioribus Religiosis.

Quoad Religiosos

Insistendum, quoad Religiosos, in subiectione et dependentia ab Episcopo in apostolatu et actione externa, in recta institutione religiosa, catechetica et sociali alumnorum saecularium, in accurata et delicata conscientiae efformatione ipsorum Religiosorum quoad res iustitiae et aequitatis.

Religiosi praeterea, dum suam a Sancta Sede dependentiam exaltant, quod quidem optimum et probandum est, saepe in efformatione alumnorum ab existentia Episcoporum praescindunt, quasi non essent.

Quoad systema poenale Ecclesiae

Totum systema delictorum et poenarum, de quibus in libro V. Codicis, ad maiorem simplicitatem et claritatem esset reducendum, cum accuratiore determinatione viae gubernativae pro applicatione poenarum.

Quoad Ecclesiae aliqualem decentralisationem

Fortasse aliqua *decentralisatio* regiminis Ecclesiae foret opportuna: multum enim oneris affert pro Curiis dioecesanis et pro ipsa Curia Romana, necessitas ad hanc recurrendi pro aliquibus rebus minoris momenti.

Aliunde saepe Religiosi, in aliquibus rebus, maioribus privilegiis et facultatibus gaudent quam Episcopi, non sine aliquo dedecore istorum.

* * *

Praeter dicta, opportunum duco aliquas observationes addere, quas circa rem matrimonialem mihi tradidit Officialis huius Curiae, vir prudens et longae experientiae:

Ad canonem 1092: Omnis conditio sive de praeterito, sive de praesenti, sive de futuro, tam contra validitatem quam contra liceitatem matrimonii, pro non adiecta habeatur.

Ad can. 1974: « Consanguinei et affines de quibus in can. 1757, *praeter coniugum parentes,* habentur testes habiles... ». Parentes enim, et praesertim matres, sunt saepe saepius causa dissensionis inter coniuges, et praeterea ipse amor paternus obstat quominus facta sine aliquali partialitate referant.

Ad canonem 1128: Separatio tori, mensae et habitationis a coniugibus, licet mutuo assensu privatim facta, omnino interdicitur, et si ultra annum vel sex menses protrahatur, congruis poenis plectatur.

Ad canonem 1573, § 3: « Officiali dari possunt adiutores, quibus nomen est vice-officialium », sed si Dioecesis *magnitudo id expostulet, dari debent* ne solutio causarum nimium protrahatur.

Ad canonem 1570, § 2: Tribunal in auxilium vocatum servare tenetur terminum a Tribunali roganti, ad acta peragenda, praefixum.

Quae dum reverenter expono, Eminentiae Vestrae me profiteor obsequentissimum in Domino

✠ Iosephus Garcia y Goldaraz
Archiepiscopus Vallisoletanus

58

Exc.mi P. D. RAYMUNDI MASNOU BOIXEDA
Episcopi Vicensis (Vich)

Vici, die 31 augusti 1959

Eminentia,

Pergratas Em.mae Vestrae litteras suo tempore, quae sub N. Prot. I C/59-1445, connotantur, fido humilique animo accepi.

Benevolentiae ergo tantae confisus, animum sincere coram Deo perscrutavi ac quae de propositis sentirem breviter simpliciterque capitulis heic adnexis expressi.

Dum Deum enixe praecor ut tantus Ecclesiae eventus pro Dei gloria animarumque salute felicissimus evadat animum Eminentiae tuae Add.um ferventer profiteor atque Sacram Purpuram deosculor.

✠ Raymundus Masnou Boixeda
Episcopus Vicensis

In re doctrinali

Dogma:

1. *Doctrina Corporis mystici.* Ulterior penetratio, progressus necnon debita applicatio. Specialis instantia relate ad lineam horizontalem seu relationes humanas inter fratres. Quasi dialectica charitatis dialecticae materialismi opposita. Inde necessaria revisio et reformatio vitae catholicae. Clima collectivum seu conscientia publica charitatis. Inde similiter basis ad opportunam Codicis Canonici reformationem. Codex ergo sit maior expressio vitalitatis internae et externae Ecclesiae.

2. *Mariologia.* Ulterior progressus. Universalis Mediatio B. M. Virginis.

3. *De novissimis.* Doctrinae de Inferno ulterior progressus. Ratio: munus timoris nimis ab aliquibus sub praetextu praeminentiae amoris minuitur. Effrenata individualis et collectiva voluptatis mundi hodierni aspiratio id exigit.

4. *Expansio dogmatica.* Id est problema missionale, non solum ad caritatem et disciplinam quod attinet sed ad facilitatem coaptationis et assimilationis dogmatis revelati omnibus et singulis sic dictis culturis et mentalitatibus mundialibus hodiernis et antiquis.

5. *De Ecclesiae Unitate relate ad dissidentes.* Forte notandum: paucae concessiones, maxima charitas necnon aliqua confessio culparum si quae extarunt ex parte humana Ecclesiae Catholicae.

Moralis:

Positio et actitudo catholicorum ad *veritatis et libertatis* conceptus quod attinet, de quibus haud parum saepe abusum fuit, magis definienda et firmanda. Ratio: politica et argentum saepe saepius nec veritatem nec libertatem verentur immo et aliquando inter catholicos.

Revalorizatio theorica et practica *austeritatis christianae;* positiones catholicorum in re sexti et septimi magis definiendae et urgendae quia, occasione luxuriae praesertim nunc omnipotentis — immo et in theoria quandoque ab aliquibus e nostris nimis bene tractatae, diversis appretiationibus et conatibus — necnon occasione furtorum tantae infractionis septimi, Ecclesia detrimentum patitur, vitalitatem et vim attractionis amittit nec animos paganorum trahit quia nimis catholici multi in his acatholicis similes fiunt.

In re disciplinari et pastorali

Doctrina de episcopatu vel episcopologia. Conclusiones practicae relate ad Ecclesiam Universalem, ad episcopatum cuiuscumque nationis et ad suam dioecesim. Relate ad Congregationes romanas, Nuntios apostolicos et religiosos exemptos.

Similiter *apostologia sacerdotalis*: Oratio diaria obligatoria personalis. Reformatio breviarii in formam breviorem et selectiorem. Paupertas interna in Ecclesia, paupertas spiritus cum sufficientia et paupertas externa, id est revisio notarum quae displicet iis qui veram paupertatem sustinent quo fit ut obstacula ad conversionem vel perseverantiam apponantur.

Seminaria: Revisio in formatione candidatorum. Nonne nimis in

iuvenili aetate ad ordinem sacerdotalem accedunt? Nonne nimis faciles aetatis dispensationes? Lex forte severior hac in re est necessaria nec per episcopos nec per religiosos exceptiones sunt extorquendae. Forte esset bonum cursum Theologiae pastoralis, per duos vel tres annos, in omnibus Ecclesiae Seminariis exigere, theologico cursu expleto.

De diaconatu: Quid de ipso relate ad Ecclesiam et eius necessitates hodiernas? Nonne possibilis foret aliqua solutio — mediante diaconatu — secundum quam problema castitatis sacerdotalis et coelibatus intangibile maneret?

Apostologia laicalis: Bases et progressus theologiae ad ideam claram et definitivam A. C. Eius incorporatio in *C.I.C.* Oportet enim ut in posterum confusiones et indisciplinae amplius non oriantur. Clarior et firmior doctrina de « consecratione mundi ».

Exemptio religiosorum: Eius fundamenta theologica hic et nunc; sequelae practicae — saepe minus gratae in ordine efficientiae, unitatis et pacis — pro re disciplinari et pastorali. Nonne, saltem in externis, theoretice et *effective* minuenda?

Conceptus beneficii: Forte evolvendus? Aspectus iuridicus minuendus et pastoralis augendus? Eius relatio ad conceptum Corporis mystici et obligationum communitatis christianae.

Oeconomia materialis Ecclesiae: Suntne auferendae taxae et alia huiusmodi quae apud fideles huius temporis offendere videntur, et methodis magis hodiernis et conceptui communitatis christianae consentaneis substituendae?

De coelibatu ecclesiastico: Nimis de re loquitur, ut videtur. Si lex servanda est non permitti potest ut ab aliquibus disputetur, iuvenes et progressistae, in re doctrinali, nec verbum addere deberent aliter ac Ecclesia, et tamen sussurrant.

Parochi inamovibiles: Difficultas magna pro pastorali. Nimis fidunt titulo. Flexibilitas, saepe necessaria, desideratur. Inde provenit amara casuistica adversus bonum animarum et facilitatem episcopi. Hodie alii modi videntur faciles, ad vitandos possibiles abusus episcoporum, magis practici et exemplares quam tituli et inamovibilitas parochorum.

Vita communitaria sacerdotum: Amplior doctrina, exhortatio et normae. Hoc factum nempe: quomodo, ubi, quibuscum personis convivere debet sacerdos, magis est analisi subiiciendum.

Relationes sacerdotum et religiosorum necnon organizationum A. C. cum politica: Dantur facta lamentabilia. Doctrina magis urgenda.

Concretiones proponendae et urgendae in re paroeciali: Hic similiter sensus pastoralis iuridico et aliis praeponendus. Saepe contrarium accidit. Attamen in magnis urbibus videtur necessitas adesse rem paroecialem

alio modo tractandi, nam distantiae, commixtio obligata fidelium in quibusdam adiunctis, res quae impulsum commune exigunt, etc., organizationes quasdam, modo meliori concipiendas exaequandasque, supraparoeciales exigere videntur.

Formatio iuventutis in Collegiis, praesertim religiosorum: Videtur esse insufficiens et non satis opportuna. Multae personae religiosae, sacerdotes et religiosi, officio docendi deditae sunt. Videtur quod qui sunt sacerdotes *magis officio sacerdotali et vitae formationi* quam magisteriali in rebus humanis insistere deberent. « Consecratio mundi » exigit et dare potest ut his officiis laici fungantur, sacerdotes vero negotia animae, formationem christianam tractarent *vere et sufficienter* — quod saepe non fit —.

Facta lamentabilia religiosorum qui episcopum benevolum quaerunt: Est quid tristissimum, nimis frequens nec videtur satis iusta et practica, praxis actualis et legislatio.

Indumenta sacerdotalia: Talare non videtur auferendum, saltem hisce in regionibus. In institutis religiosis forte non tam extraordinaria indumentorum genera. Mores speciales in aliquibus nationibus qui scandalum in aliis forent forte attendendi sunt.

✠ RAYMUNDUS MASNOU BOIXEDA
Episcopus Vicensis

59

EXC.MI P. D. FRANCISCI PERALTA Y BALLABRIGA
Episcopi Victoriensis (Vitoria)

Victoriae, 30 novembris 1959

Eminentissime Domine,

Litteris acceptis, I C/59-1458, quo optaram tempore rescribere non potui, et nunc qua possum aliqua argumenta pro Concilio Oecumenico parando Eminentiae Vestrae Rev.mae sequentibus significo.

Hac nactus occasione Sacram Purpuram deosculor et ex corde me profiteor

Eminentiae Vestrae Rev.mae
addictissimus in Domino

✠ FRANCISCUS PERALTA Y BALLABRIGA
Episcopus Victoriensis

In re doctrinali

Ad errores modernos profligandos et ad illustranda in luce Divinae Revelationis problemata nostrae aetatis valde videtur opportunum colligere et sollemniter proponere in Concilio ea omnia quae Romani Pontifices recentes usque ad Pium XII (f. r.) docuerunt, praecipue illa doctrinae capita de Theologia Nova, de Philosophia Existentialista, de Morali Situationis, errores in materia oeconomico-sociali, de iuribus personae humanae, de natura Status Civilis, de relationibus inter Ecclesiam et Statum, de progressu technico, de societate coniugali et educatione filiorum, etc.

Unio in Ecclesia, sive ad extra, i. e. cum sectis acatholicis, sive ad intra, i. e. collaboratio omnium fidelium una cum Sacra Hierarchia videtur esse in votis omnium; ad hanc unionem parandam multum conferre praevidetur propositio sollemnis doctrinae de Corpore Mystico, ita ut gressus fiat ad statuenda criteria in ordine ad procurandam unionem illam desideratam cum aliis sectis acatholicis, ad firmandam efficacem collaborationem omnium fidelium, et ad stabilienda principia quibus pax et unio inter nationes regi debet.

In re disciplinari

1. Problema gravissimum in Ecclesia est inopia ministrorum in plurimis regionibus et pro necessitatibus hodiernis. Necessarium videtur ut prae oculis habeat Concilium problema de vocationibus sacerdotalibus et religiosis, de formatione alumnorum in Seminariis et in domibus religiosis, et de distributione cleri, statuendo criteria quibus regatur efformatio sacerdotum in his nostrae aetatis adiunctis.

2. Ut obtineatur necessaria distributio sacerdotum, aptari debet disciplina de adscriptione clericorum alicui dioecesi, indicando criteria practica quibus ordinentur diversa officia clericorum, ne ipsi occupentur in rebus pro quibus laicus sufficienter operam dare potest. Hoc modo numerus sacerdotum, tam necessarii qui sunt in aliis regionibus, augetur absque maiori difficultate.

2. Quaestio etiam proponi poterit de conditionibus quibus tam clerici quam Episcopi cessare deberent in officiis ratione aetatis, infirmae valetudinis...

3. Notorium est non infrequenter dari, nostris diebus, problema quorum solutio videtur excedere limites dioecesanos etiam et nationales. Inde necessitas Commissionum Episcopalium intra ambitum cuiuscum-

que Nationis et Commissionum Internationalium in ambitu supranationali. Urget ergo stabilire statutum iuridicum quo regulentur omnes istae Commissiones, determinando naturam, obiectum et media quibus suos fines assequi possint.

4. Ut obtineri possit desiderata unitas in ordine pastorali denuo revocari debet in studium privilegium exemptionis Religiosorum, determinando relationes eorum ad Episcopos in ordine pastorali et apostolatus. Hodierna divisio et separatio inter Clericos saeculares et Religiosos nihil conferre potest ad unionem fidelium.

5. Magni momenti videtur ea omnia proponere quae ad curam sacerdotum pertinent. Post egressum e Seminario magna cura impendenda est ne imminui videatur et scientia et pietas nostrorum sacerdotum. Ea quae in can. 124 et seq. statuta fuerunt, nunc magis ac magis determinari poterunt habita ratione experientiae factae ultimis temporibus ad tuendam perfectionem sacerdotalem. Nec oblivisci possumus quae ad rem oeconomicam pertinent; melior distributio bonorum materialium inter sacerdotes videtur neecssaria, ne detur occasio scandali inter fideles; et ea omnia quae ad praevisionem socialem hodie inter populos vigentem pertinent, recte applicentur sacerdotibus qui infirma valetudine vel senectute laborent.

6. Ad vitam religiosam quod attinet, liceat indicare problemata quibus implicantur Moniales, quantum ad clausuram, institutionem in noviciatis, vitam oeconomicam, etc.

7. Occasione Concilii, valde opportunum videtur quaestionem de apostolatu laicorum in Ecclesia integram evolvere et statutum iuridicum Actionis Catholicae perficere, ut obtineatur collaboratio omnium fidelium.

8. Ea quae in *C.I.C.* can. 1243-1254 circa tempora sacra, speciatim quae de abstinentia et ieiunio et de diebus festis, videntur magis hodiernis adiunctis accommodanda.

9. Novo item examini subiiciendi videntur omnes illi canones Partis Quintae et Sextae Libri III *Codicis Iuris Canonici,* qui agunt de Beneficiis et de Administratione Bonorum Temporalium, ob mutatas conditiones rerum oeconomicarum.

10. Item ea omnia quae in Libro V *Codicis Iuris Canonici* circa poenas ecclesiasticas statuuntur, non videntur mentalitati modernae nostrorum fidelium aptari posse.

In re liturgica

Progressus ultimis annis factus in instauratione Sacrae Liturgiae ad finem quamprimum perducendus videtur, tum curando novam et exoptatam editionem Missalis Romani et Breviarii Romani, tum redigendo

leges liturgicas et caeremonias simpliciori forma magis accommodata nostris temporibus, tum determinando limites usus linguae vulgaris in sacra liturgia et leges quibus regatur participatio fidelium in actionibus liturgicis.

✠ FRANCISCUS PERALTA Y BALLABRIGA
Episcopus Victoriensis

60

EXC.MI P. D. EDUARDI MARTÍNEZ GONZÁLES
Episcopi Zamorensis (Zamora)

Zamorae, 29 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litteris a Te datis sub die 18 iunii anni decurrentis, desiderium diligenter exequens Summi Pontificis Ioannis XXIII fel. regn. a me, licet infimo in Episcopatu, exquirebas sententias seu opiniones, consilia et vota de his, quae in futuro Concilio Oecumenico pertractanda existimarem.

Profecto, in re tanti momenti et in adiunctis adeo complicatis et confusis sive quoad doctrinam dogmaticam et moralem, sive quoad ecclesiasticam disciplinam, non facile opus videtur quaestiones concretas determinare et proponere. Pariter nostra difficilia tempora indigent multiplici salutari actuositate Ecclesiae, quae fere tantum hactenus adumbrata quoad aliqua, formam et organizationem adaequatam et efficaciter evolutam spectat.

Haec proinde specialem attentionem et solutionem auctoritativam requirere videntur, ut tutius in via catholicae veritatis, et abundantius in animarum fructu omnes procedere possimus. Ideo audeo nonnulla proponere, quae quidem Commissio Antepraeparatoria Concilii clariori criterio atque potiori iudicabit num prae oculis haberi mereantur. Illud demum animadvertendum iudico, res scil. dogmaticas non proponere praecise ut per canones tamquam de fide definiantur, sed ut doctrina Catholicae Ecclesiae circa eas clare proponatur nec amplius possit ignorari.

I. *In re dogmatica*

a) Praeprimis labor pro Concilio Vaticano praeparatus, in quo etiam schemata non pauca fuerunt elaborata, studio subiiciatur et necessitatibus huius temporis accurate adaptetur.

b) Doctrina declaretur conciliari auctoritate de natura divinae inspirationis Sacrae Scripturae, deque partibus quae in libris inspiratis Deo et agiographo competant, principia clare definiendo, quae catholici omnino tenere debeant. Licet enim Summi Pontifices in suis Enciclicis doctrinam fundamentalem tradiderint, non paucae adhuc etiam a catholicis hypotheses, theoriae, solutiones et interpretationes proponuntur, quae et inerrantiam difficile videntur salvare, et cum doctrina pontificia non videntur posse conciliari.

c) Firmetur pariter principium hermeneuticum fundamentale de interpretatione Sacrae Scripturae retinendi sensum quem clare et naturaliter textus exprimit, sicut fit cum de humanis scriptis agitur.

d) Doctrina de generibus litterariis, quae speciali motivo libris Veteris Testamenti, praesertim antiquioribus, debitis cum limitibus potest applicari, bene definiatur, et declaretur utrum etiam libris Novi Testamenti ,praesertim historicis v. g. evangeliis applicari liceat. Quando enim evangelia fuerunt composita, genus historicum litterarium omnino in sua ratione, charactere et fine erat determinatum. In modo autem evangelia interpretandi quorumdam etiam catholicorum vis et character historicus non videtur salvari, et mysteria quaedam fundamentalia dogmatis catholici in textibus contenta periculose laeduntur.

e) Reaffirmetur cum Tridentino et Vaticano valor dogmaticus traditionis, et intra ipsam, auctoritas doctrinalis Sanctorum Patrum etiam quoad interpretationem Sacrae Scripturae, siquidem per eos Ecclesiae cogitatio manifestatur.

f) Ut gressus praecidatur audaciae eorum qui magisterium ordinarium ecclesiae nihilo faciunt, stabiliatur vis eius et valor; et consequenter reverentia et docilitas etiam mentalis qua ab omnibus catholicis recipi et observari debet.

g) Evolvatur integer conceptus ecclesiologiae quoad internam vitalitatem, in eoque consideretur fecunditas conceptus et principii « Corporis Mystici » cum suis corollariis doctrinalibus. Compleatur doctrina et accurate determinetur de potestatibus iuris divini quae Episcopis competunt, de earum exercitio, et in his de earum relationibus cum Romano Pontifice.

h) Inducatur accuratus tractatus de Laicologia cum activa laicorum interventione in actuositate ecclesiae, sicut eius membris competit.

i) Doctrina Summorum Pontificum de relationibus Ecclesiam inter et Statum hodiernis temporibus practice saltem et indirecte discussa et veluti obliterata clare et definitive proponatur, et ea cum his coniuncta de potestate indirecta ecclesiae.

l) Definiatur dogma de aeternitate poenarum inferni.

m) Declarentur et luculentius evolvantur quaestiones quae in encyclica *Humanis Generis* et in aliis recentioribus edocentur.

II. *In re morali*

a) Doctrinam circa sacramentum matrimonii complentes, reiiciantur modernae doctrinae quae sive eius indissolubilitatem, sive eius sanctitatem, sive eius finem directe vel indirecte infitiantur.

b) Doctrina socialis Ecclesiae in re iustitiae, saltem quoad limites minimos relationum inter laborem et capitalem, inter societatem et operarios proponatur.

III. *In re liturgica*

a) Declaretur et subveniatur necessitati codicis liturgici, in quo breviter, systematice et ordinate colligantur dispositiones quae in millibus decretorum Sacrae Congregationis Rituum dispersae reperiuntur.

b) Solvatur quaestio de usu linguae vernaculae in actibus liturgicis, eius limites prudenter definiendo.

c) Experientia prae oculis habita, examini subiiciatur modificatio inducta in liturgia Tridui Sacri, prae oculis habentes finem et subordinationem liturgiae bono pastorali et fructui animarum, iuxta diversa locorum adiuncta.

IV. *In re disciplinari*

a) Studio commendetur utrum paroeciae efficaciori modo pro cura et bono animarum attendantur per parochos inamovibiles proprietate beneficii paroecialis praeditos, an potius per oeconomos sine tali iure proprietatis.

b) Pariter videatur num Capitula Cathedralia oporteat conservare prout nunc habentur, an potius aliter efformare ea et capitulares aliis laboribus incumbere debeant, obligationem choralem notabiliter restringendo.

c) De clero dioecesano et religioso. Modus et ambitus exemptionis religiosorum oportet immutatus retineri an potius modificari?

d) Ieiunium eucharisticum sacerdotum qui duas aut tres Missas celebrare tenentur mitius et facilius eis reddatur.

e) Clausura monialium examini subiiciatur et temporum earumque vitae necessitatibus magis adaptetur.

f) Lex de abstinentia et ieiunio pro fidelibus in revisionem adducatur et adiunctis praesentibus magis conformis fiat.

g) Oportet ne retinere necessitatem iurisdictionis ad validitatem matrimonii? Et in casu affirmativo accurate determinetur.

h) Gradus minoris impedimenta matrimonii, qui vocantur, oportet retinere?

i) De Actione Catholica conceptus, ambitus, finis et cum aliis apostolicis organizationibus relationes declarentur.

Haec Eminentiae Tuae indicare ausus sum, dum sensus venerationis et aestimationis ex corde pandens, me profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum servum verum
✠ EDUARDUS MARTÍNEZ GONZÁLEZ
Episcopus Zamorensis

61

EXC.MI P. D. CASIMIRI MORCILLO GONZALEZ
Archiepiscopi Caesaraugustani (Zaragoza)

Caesaraugustae, die 20 augusti 1959

Eminentissime ac Rev.me Domine,

Reverenter acceptis litteris Eminentiae Tuae Rev.mae diei 18 iunii (Prot. N. 1 C/59-1499), pergratum est mihi argumenta quaedam consilio virorum peritorum et prudentium collecta mittere ad istam Pontificiam Commissionem.

Litterae illae ad me non pervenerunt nisi die 18 iulii, quando, scilicet, plerique canonici professoresque Maioris Seminarii iam aberant Caesaraugusta vacationibus aestivis fruendi causa.

En ergo perpauca quae collegimus quaeque humiliter proponimus:

A) *Doctrinae capita*

1. Damnatio sollemnis atheismi marxistae seu communismi, necnon capitalismi.

2. Mens Ecclesiae et, in casu, declaratio circa socialismum (democracia social) philosophice innixum principiis marxistis.

3. De relationibus inter Ecclesiam et Statum principia primaria exarentur quae catholicorum dissitas opiniones approximent, saltem in thesi, etsi non in singulis casibus. (Necessarium videtur ut scandalum et inimicitiae inter catholicos vitentur).

4. Laicismi scholaris damnatio et scholae mixtae prohibitio saltem pro pueris et adolescentibus.

5. Principia quaedam christiana de re sociali et oeconomica promulgentur.

6. Evangelica et ecclesiastica doctrina de subiectione in dioecesi totius apostolatus externi auctoritati episcopi enucleetur.

7. De progressu scientifico, sive physico sive philosophico, tam morali quam sociali, cum veritatibus revelatis conciliando. (Exaretur corpus propositionum scientiae hodiernae, a Concilio Vaticano usque in hunc diem, ita ut certa ab incertis, vera a falsis, tuta a periculosis plene separentur, v. gr. quoad evolutionismum, interpretationem Sacrae Scripturae, et quaedam capita sacramentalia et systemata socialia, politica, philosophica... *Humani generis*. Instituatur ad hoc Commissio permanens quae simul ad vindicanda dogmata et veritates christianas tuendas contra hodiernum atheismum sese extendat).

8. Ulterius investigetur utrum aliqua possibilitas satis fundata appareat adumbrandi conceptus et expressiones philosophicas tum dogmatibus explicandis sufficienter aptas, tum sic dictae scientiae modernae satis acceptas.

9. Ad solvendam, magna ex parte, hodiernam biblicam crisim, tam in problemate inerrantiae quam in exegesi Sacrae Scripturae, determinetur, citra quod dictum est in encyclicis *Providentissimus Deus* et *Spiritus Paraclitus,* in quo reapse consistat actio qua Deus Sacram Scripturam inspiravit et auctor eiusdem evasit. (*Enucleatius*: Quid in casu venire debeat nomine *auctoris inspirantis,* tam iuxta realem et authenticam traditionem dogmaticam stricte sumptam quam iuxta facta hodie satis comperta historiae litterariae Sacrae Scripturae, habita prae oculis necessitate concipiendi activitatem divinam analogice, et habito pariter prae oculis modo concipiendi antiquorum orientalium).

10. Accuratius et pressius definiatur doctrina de extensione corporis Ecclesiae, de necessitate baptismi parvulorum ad eorum animas salvandas, de statu et sorte infidelium ad quos nondum pervenit Evangelium Christi.

B) *De disciplina cleri et populi christiani*

1. Urgeatur sanctitas sacerdotum ut omnibus sint exemplo. Normae quaedam pro conservanda et fovenda vita spirituali clericorum in unaquaque dioecesi: vita communis, exercitia spiritualia annua, oratio quotidiana, visitatores spirituales dioecesani, annus reformationis spiritualis in Seminario Sacerdotali post decem aut quindecim annos ab ordinatione, prohibitio spectaculorum, etc.

2. Institutio Pontificiae Commissionis stabilis et Commissionum Nationalium ab ista dependentium pro clero sive saeculari sive religioso distribuendo in universa Ecclesia atque in singulis Nationibus.

3. Exemptio religiosorum reducatur ad res mere internas. In coeteris, episcopis omnino subsint.

4. Normae quaedam de administratione oeconomica dioecesium et paroeciarum et de communicatione bonorum temporalium inter paroecias et dioecesim ut vitentur paroeciae gigantes sub cura unius aut perpaucorum sacerdotum eo quod, ut in America Meridionali saepe accidit, sacerdotes congruam sustentationem non obtinent.

5. Codicis Iuris Canonici reformatio in iis quae ad regimen dioecesium attinet ut aptae et accommodatae fiant Curiae dioecesanae negotiis et multiplici apostolatui hodiernis.

6. De paupertate et securitate sociali (seguros sociales) sacerdotum mens Ecclesiae patefiat; et, si oportet, lex feratur.

7. Prohibeantur differentiae sollemnitatis externae in administrandis sacramentis et sacramentalibus atque in aliis functionibus cultus ratione allatae pecuniae.

8 .Examini subiiciantur diversa systemata cooperationis oeconomicae fidelium in favorem Ecclesiae (paroeciarum, dioecesium, Apostolicae Sedis) ut omnis species lucri aut negotii omnino auferatur.

9. Omnis apostolatus laicorum, simul ac designatio consiliariorum (seu adsistentium ecclesiasticorum) eiusdem, subiciatur auctoritati episcopi.

C) *Actuositas multiplicis generis*

1. In studio Theologiae Moralis substituatur acuta casuistica pro rectitudine et simplicitate magis adaptata spiritui Evangelii.

2. Studium sacrae Theologiae iuxta fontes stricte sumptos et rigore scientifico ad normam Ecclesiae interpretatos fiat, permultis valde subtilibus elucubrationibus relegatis, ut non solum firmitas nostrae fidei homini hodierno imprimis critico sufficienter appareat, sed vel maxime tale studium revelationis inde iam a primo momento ad transformationem humanae societatis iuxta placita Evangelii tam expositione conceptuum quam ipsa expressione verborum dirigatur.

3. Pro negotiis et apostolatu internationalibus, in dies crescentibus, instituantur Commissiones in Curia Vaticana et in singulis Nationibus.

D) *Negotia maioris momenti*

1. Urgens et plena solutio quaeratur problemati sacerdotali Americae Latinae.

2. Ordinetur et coordinetur collaboratio dioecesium in evangelizatione gentium.

3. Methodus peculiaris et adaequata atque programma plene efficax quaerantur ut operariorum multitudines redeant ad Ecclesiam. In hoc apostolatu omnes vires Ecclesiae impendere evangelicum est.

4. Pariter fiat pro apostolatu exercendo circa viros scientiae, litteris et artibus operam navantes.

5. Scientificus progressus et artium evolutio atque mutationes fiunt et manifestantur absente Ecclesia. Efficacior foret apostolatus, si, ut olim, ab Ecclesia oriretur impulsus. Exoptanda, ergo, dedicatio virorum plene catholicorum laboribus stricte scientificis et artisticis.

6. Curia Apostolicae Sedis instruatur cardinalibus, episcopis et sacerdotibus vocatis ab omnibus catholicis coetibus servata quadam proportione.

7. Reformetur Breviarium Romanum.

E) *Pro unione christianorum*

1. Instituantur tot Pontificiae Commissiones et, ubi oporteat, tot Commissiones Nationales quot « confessiones » dissidentes (orientales atque protestantes) sunt, ut in charitate laborent et cum eis de eorum reditu ad veram Ecclesiam agant.

2. Reformatio Liturgiae Romanae suadetur ut via aperiatur ad unionem cum orientalibus. Ut exemplis utar, facile et traditioni liturgicae valde consonum esset concelebrare in solemnioribus festis, communionem facere sub utraque specie in diebus speciali significatione insignitis, etc.

His breviter expositis, et dum preces meas pro Concilio Oecumenico quotidie perfundo, sacram Purpuram deosculor et maneo Eminentiae Tuae Rev.mae.

addictissimus in Domino

✠ CASIMIRUS MORCILLO GONZALEZ
Archiepiscopus Caesaraugustanus

62

Exc.mi P. D. IOANNIS HERVÁS Y BENET
Episcopi tit. Doritani, Praelati nullius Cluniensis (Ciudad Real)

Cluniae (Ciudad Real), die 2 septembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Summo gaudio tuas litteras accepi, datas die 18 iunii a. c. (Prot. N. 1 C/59-1515), de futuro Concilio Oecumenico parando, quod quidem Deo et Ecclesiae gloriosissimum fore absque dubio speramus.

Votis Sanctae Sedis reverenter obtemperans, coram ista Commissione Pontificia, quae in re tanti momenti versatur, meam humilem sententiam pando. Sic vellem muneri satisfacere et bono totius Ecclesiae pro viribus adlaborare.

Praeter ea quae in votis Sanctae Sedis ad Concilium deferenda esse compertum est, argumenta quae studio et deliberationi Patrum subiicienda mihi videntur, haec sunt quae sequuntur:

1. De divina Episcoporum missione eorumque auctoritate.
2. De doctrina Mystici Corporis Christi.
3. De christifidelium religiosa institutione.
4. De laicorum « spiritualitate » et apostolatu.
5. De Pontificali Romano et Rituali corrigendo et instaurando, et de liturgicis decretis et rubricis in codicem redigendis.
6. De impedimentis matrimonialibus gradus minoris tollendis.
7. De capitulis canonicorum et hodiernis Dioecesis necessitatibus.

De unaquaque re, in foliis adnexis, rationes apponendas curavi, quae necessariam vel opportunam, mea quidem sententia, deliberationem conciliarem faciunt.

Quibus pro conscientia peractis, mihi restat assidua oratione ingenti labori vestro me consociare, dum Eminentiae Tuae Reverendissimae addictissimum in Domino me profiteor

✠ Ioannes Hervás y Benet
Episcopus Cluniensis

1. *De divina Episcoporum missione eorumque auctoritate*

Concilium nonnulla decernere magnopere expedit, his praesertim de causis:

e) Ut accurate quorumdam laicorum, etiam eorum qui apostolatui sedulam dant operam, opinionibus non ita veris respondeatur.

b) Ob neglectam non raro oboedientiam Ordinario a Clero dioecesano debitam.

c) Ut opportunum adhibeatur remedium Religiosorum agendi rationi; sunt enim plures qui et dictis et factis, etiam cum apostolatui erga fideles vacant, Episcopis inobsequentes se exhibent.

d) Ut Ecclesiae et orbis unitati, quae est in omnium hominum votis, sedulo prospiciatur. Haec enim unitas, ad mentem Iesu Christi, Episcoporum regimine, sub auctoritate Romani Pontificis, tamquam cardine niti debet.

e) Ut omnes inter laicos, qui hierarchico apostolatui operam navant, sint mente et opere efficaces Episcoporum cooperatores.

f) Ut, christianorum moribus instauratis, iis omnibus qui ab Ecclesiae gremio absunt, fulgeat ea catholicorum unitas, caritas et oboedientia, quam Ecclesia a Christi ore didicit.

Aliae rationes

1. Maxime *fidei spiritum* in constitutione organica Ecclesiae consideranda habere et fovere oportet, sed non raro desideratur in sacerdotibus et laicis. Episcoporum enim auctoritas humano more existimatur, perinde ac si Ecclesiae docentis Pastores divina potestate non essent instructi.

2. Magni facienda est maior in dies *Religiosorum* negligentia et inobservantia erga episcoporum munus, nam se ab episcopali vigilantia et auctoritate subducunt, et in consociationes vel confoederationes coeunt, quae aliquando videntur initae, non ad collaborationem in Ecclesiae causis efficaciorem praestandam, sed ad independentiam et exemptionem ab Episcopis roborandam.

Saepius et coram laicis omnimodam ab Episcopis libertatem proclamant et vindicant.

Nec desunt Religiosi, qui dum Religiosarum institutioni vacant — in exercitiis spiritualibus, recessibus, concionibus — operam Deo praestare putant, si episcopale munus et auctoritatem parvi faciant, et Episcopos religiosorum privilegis et traditionibus inimicos appellent, pravosque mores et in fide defectiones quorundam Episcoporum ex historia ecclesiastica commemorent et verbis extollant. Quod non semel et iterum nec uno loco vel congregatione, ex plurium Religiosarum testimonio, pro comperto habui.

Quae vituperanda Religiosorum mens et agendi ratio, mea quidem opinione, ab ipsis domibus et scholis iuniorum Religiosorum institutioni et educationi destinatis originem ducit. Magnopere optandum esset ut

qui Religiosorum institutioni vacant, ampliorem, theologicam, rectamque Ecclesiae notionem imbuendam summo studio curarent. Sic, exempli gratia, ad Ius Canonicum quod attinet, non satis est normis generalibus et legibus quae in Parte de Religiosis habentur callere, cum saepe rectae notiones de divina Episcoporum missione, magisterio et auctoritate desiderentur.

Cum magna iuvenum pars Religiosorum scholas, lycea et superioris institutionis collegia frequentaverit, apud nos et in aliis nationibus, mirum est quam pauci ex alumnis se dein sacris Pastoribus adiuvandis paratos exhibeant. Hoc sane, saltem quoad partem, educationi vertendum videtur.

Quidquid boni Religiosi in educandis iuvenibus laudabiliter peragunt, libenter admittimus; infitiari tamen nemo potest imperfectam esse educationem, si alumni, postquam aulam deseruerint, suos Pastores ignorant et dioecesis paroeciaeque sese immemores ostendant. Huiusmodi iuvenes, institutionis tempore elapso, absque tutela pastorali in mundi voraginem erumpent.

Libenti animo exemptionem, quae ad religiosam disciplinam et perfectionem requiratur, concedendam fatemur, atque instituta religiosa valde Ecclesiam illustrare ultro admittimus. Nihilominus, nisi relationes Religiosos inter et pastoralem Hierarchiam recte institutae fuerint, magnum inde Ecclesia detrimentum capiet. Episcopi saepe tamquam religiosae sectandae perfectionis obex habentur, perinde ac si religiosi, qui cum Episcopis nihil haberent commune, non ad eandem pertinerent Ecclesiam.

Religiosae vero Episcopis obsequenter parere, eosque revereri ex animo solent.

Conclusio

His praesertim de causis, necessarium duximus ut *Concilium divinam Episcoporum missionem eorumque auctoritatem exponat, extollat atque definiat,* erroremque omnem atque reprobandam agendi rationem suis decretis penitus deiiciat (Denz. 1500, 1506, ss.). Sic fiet ut auctoritas Episcoporum in Ecclesia « asseratur, roboretur et vindicetur », ad mentem Concilii Vaticani et iuxta dicta Sancti Gregorii Magni quae in decretis eiusdem Concilii memorantur (Denz. 1828). Sic Leo XIII (Denz. 1962) et alii Summi Pontifices, inter quos nostris temporibus eminet Pius XII, in multis et memorandis documentis de hac doctrina egregie locutus (*Bis saeculari, Mystici Corporis,* etc.).

2. *De doctrina mystici Corporis Christi*

Oportet hanc doctrinam explanari a Concilio:

a) Propter eius nobilitatem et antiquitatem. In honore enim habita est iam a nascente Ecclesia, Divini Magistri verbis et Sancti Pauli scriptis edocta.

b) Quia hodiernis hominum adiunctis valde convenit.

c) Propter eius admirabilem foecunditatem asceticam et apostolicam.

Optimi ex huius doctrinae explanatione fructus colligentur:

Christiani mores restaurabuntur,
pietas et zelus incrementum capient,
acatholici et infideles validiori tractu ad Ecclesiae unitatem allicientur.

« Communismo » aditus aptissime praecludetur.

Magisterium ecclesiasticum nostris temporibus hanc doctrinam extollit et commendat.

Sic Pius XI, in epistola *Ex officiosis litteris* (10 nov. 1933), ad Em.mum Cardinalem Patriarcham Lisbonensem, praesago intuitu augurabatur magnum apostolatui laicorum incrementum fore maturam considerationem doctrinae Mystici Corporis Christi.

Pius XII, sanctae memoriae, novo fulgore hanc doctrinam illuminavit et eiusdem specialem nostris temporibus opportunitatem sapientissime declaravit Litteris Encyclicis *Mystici Corporis* (29 iun. 1943).

Quam quidem doctrinam declarat non tamquam thesaurum absconditum habendam esse, sed tamquam a Deo datam ad spirituale proventum pie meditantibus. Ab ipsa enim uberrimos fructus perfectionis et sanctitatis his agitatis temporibus fiducialiter sperat. Hanc demum considerationem nec ingratam nec inutilem illis fore annuntiat, qui a verae Catholicae Ecclesiae absunt.

Alia opportunitatis indicia Litteris Pastoralibus accurate collegimus, sub titulo « Los Cursillos de Cristiandad, instrumento de renovación cristiana », praesertim paginis 153 ad 175.

Cum res sit vere notatu digna, iuvat mentem clarissimi Pontificis Pii XII investigare et eius magisterii testimonia, Litteris *Mystici Corporis* posteriora, excerpere, quibus actualitatem, ut ita dicam, et foecunditatem huius doctrinae proclamavit.

En verba Pii XII hisce ultimis temporibus:

Cum olim « Ecclesiae vita, quae aspectabilis est, in veteres Europae

regiones vigorem suum praecipue exsereret, unde... in eas adfluebat oras, quae terrarum orbis peripheria nuncupari poterant; nunc contra prae se fert quodammodo mutuam permutationem vitae viriumque inter omnia membra Corporis Mystici Christi » (Litt. Enc. *Fidei donum, A.A.S.*, 1957, vol. XXXXIX, p. 235; cf. Nuntium Radiophonicum Nativ. 1954, *A.A.S.*, XXXVIII, 1946, p. 20).

Progrediente tempore, Summus Pontifex testimonia hac de re alacrius et enucleatius proferebat, de receptis notitiis gavisus, quibus certior factus erat fructuum uberrimorum, quos Ecclesia carpebat ob evulgatam Mystici Corporis doctrinam.

« Al presente, la missione di Roma, come centro spirituale e morale del mondo, non solo continua inalterata, ma vi è motivo di credere che apparirà con evidenza sempre maggiore. Infatti il mondo va prendendo ogni giorno più coscienza della sua unità. Gli uomini non sono più, come un tempo, gli uni agli altri estranei, nè si contentano della relazione, che nasce dall'esser simili o identici, come non sono soddisfatti dei rapporti derivanti dalla comune finalità; non basta, cioè, loro di essere e di considerarsi semplicemente vicini e associati; ma godono chiamarsi « famiglia umana » e sono *attenti e meravigliati, ogni qualvolta si rivela e si spiega loro la bellezza sublime del Corpo mistico di Cristo.* Quando si dice agli uomini che essi sono membra di un corpo solo — membra libere, perchè coscienti, e tuttavia unite dallo Spirito Santo —, si suscita lo stupore prima, e poi il prorompere della gioia in un commosso consenso. Questo significa che il parlare dell'umanità, come di una moltitudine di creature destinate a divenire la Chiesa, non è così difficile, come forse potrebbe ad alcuni sembrare » (Pius XII, *Exhortatio ad Parochos Urbis et Concionatores sacri temporis quadragesimalis,* 18 febr. 1958, *A.A.S.*, vol. L, 1958, pp. 163-164).

Iisdem fere diebus, in Allocutione ad ferroviarios italicos habita, haec eadem argumenta, quibus mens et cor redundabat, Summus Pontifex iteravit:

« Gli uomini non debbono considerarsi come esseri indifferenti gli uni verso gli altri: ma come membri quasi di un'unica grande famiglia, anzi membra dell'unico mistico Corpo di Cristo. Membra che hanno bensì una loro individualità — sono infatti vere persone coscienti, libere, responsabili —, ma altresì una vita commune, una vita, che rende partecipi tutti delle gioie, dei dolori, delle ansie di ognuno » (*A.A.S.*, vol. L, 1958, pp. 172-173).

Iuvenibus vero Sodalitatis Italicae ab Actione Catholica:

« Segni evidenti di risveglio si notano pure nella vita sociale: nessun'altra epoca fra quelle che l'umanità ha vissuto dopo la venuta di

Cristo, ci appare determinante come questa vostra, o giovani, nella evoluzione umana. Per la prima volta gli uomini prendono coscienza, non solo della loro crescente interdipendenza, ma anche della loro *stupenda unità.* Ciò significa che l'umanità diverrà sempre più pronta a *sentirsi il Corpo mistico di Cristo.* Dunque la necessità della soluzione cristiana per i tanti problemi, che tengono in ansia il mondo, sarà ed apparirà sempre più evidente agli occhi degli uomini onesti » (*A.A.S.,* vol. L, 1958, p. 215).

Mense aprili eiusdem anni, novo fulgore rem illustrat:

« Che dire, poi, della *coscienza di unità della famiglia umana* in consolante progresso nelle menti e nelle concrete attuazioni? Chi se non Cristo può raccogliere e fondere in un solo palpito di fraternità uomini così diversi per stirpe, per lingua, per costumi, quali siete tutti voi, che Ci ascoltate, mentre vi parliamo in suo nome e per sua autorità? Egli è veramente Colui, che, debellate le tenebre di morte, risplende come astro sereno sopra l'intiera umanità » (Nuntius Radiophonicus die Paschatis Resurrectionis D. N. I. C., 6 apr. 1958, *A.A.S.,* vol. L, 1958, p. 263).

Iis denique quae interfuerunt Conventui IV nationali ex Foederatione Italica « Congregationum Marialium » puellarum, Romae habito:

« Ma vi è qualche cosa, oggi, che per la sua importanza dovrebbe impegnarvi senza risparmio di energie e di tempo. *La Chiesa ha infatti una sua particolare missione in questa tormentata epoca della storia umana.* Se è vero infatti che ogni verità ha il suo momento, questa può dirsi che sia l'*ora della Chiesa considerata come Corpo mistico di Cristo.* Se dunque dovete studiare le Congregazioni Mariane nel quadro della missione della Chiesa, sforzatevi di approfondire, quanto è possibile, questa stupenda verità enunciata e trattata con luminosa chiarezza dall'Apostolo S. Paolo.

« D'altra parte, il nostro secolo sta assistendo a un sempre maggiore sviluppo organico dell'idea di una umanità, le cui singole parti dovranno, per quanto è possibile prevedere, passare dal concetto di alleanza a quello di comunità — nel suo genuino senso — viva ed operante. Non vi è movimento politico o sociale che non metta in qualche modo alla base di ogni sua struttura questa concezione, per così dire, « communitaria » dello Stato e del mondo. L'individuo, dal canto suo, si sente, ogni giorno più parte vitale di una realtà unica e prende coscienza dei suoi doveri verso tutto l'organismo sociale. E siccome questa nozione sta diffondendosi nel mondo, Noi abbiamo più volte mostrato e vogliamo ripeterlo anche a voi, dilette figlie, come gli uomini al presente tendono ad ascoltare, con rinnovato interesse, la dottrina che considera l'umanità quasi

come un corpo solo e invita gli uomini ad essere un cuore solo e un'anima sola.

« Missione della Chiesa è oggi di provare che solo la dottrina di Cristo si presenta agli uomini come atta a salvare e rianimare un mondo, che si trova sotto l'incubo della perpetua irrequietezza e dell'artificioso frastuono » (26 apr. 1958, *A.A.S.*, vol. L, 1958, pp. 321-322).

Relata clarissimi Pontificis verba, quae vehementem in Ecclesia Spiritus Sancti motum, fideles compellentem ad huius doctrinae attentam et perutilem considerationem, luculenter demonstrant; tamquam Pastor et Episcopus huius Dioecesis mihi commendatae, felici experientia ductus approbo, eisque, rei evidentia coactus, toto ex corde assentior.

Quapropter, in documento pastorali supra relato, mentem et experientiam propriam longe lateque aperui, agens de doctrina Gratiae et Corporis Mystici et de methodo eam evulgandi et in praxim deducendi.

Conclusio

Liceat pro conclusione laudata Pii XII verba iterum meminisse: « Se è vero infatti che ogni verità ha il suo momento, questa può dirsi che sia l'ora della Chiesa considerata come Corpo mistico di Cristo ».

Quae cum ita sint, opportunissime, mea quidem sententia, in doctrinae Corporis Mystici explanatione seu definitione Concilium Oecumenicum versabitur,

ad mores societatis christianae restaurandos,
ad sanctitatem proficientium fovendam,
ad Ecclesiam contra inimicorum insidias muniendam,
ad errantes in ovile Boni Pastoris compellendos,
ad Regnum Christi firmandum, et inter schismaticos et infideles promovendum.

3. *De christifidelium religiosa institutione*

1. Quod laudabiliter a Summis Pontificibus cautum est de fidelium institutione religiosa, optimum esset cura et studio Patrum Concilii, ad unum corpus redigere ita ut hodiernae religionis ignorantiae, etiam eorum qui ecclesiam frequentant et aliquam pietatem colunt, opportunum remedium adhibeatur.

2. Magna catholicorum pars doctrinam catholicam, Sacram Scripturam, Traditionis testimonia eorumque vim, Ecclesiae docentis magisterium et auctoritatem vel ignorant vel non satis honorant.

Dolendum sane quod et ipsi Sacerdotes non pauci Sacram Scripturam nonnisi ex Missali et Officio Divino hauriunt et de documentis Magiste-

rii Ecclesiastici parum curant. Quanto magis christifideles, qui tales Sacerdotes habent magistros, ab his doctrinae christianae fontibus longe absunt! Sacrae Scripturae libros nec Sacerdotes nec fideles prae manibus habere videntur. Sic fit ut mores etiam eorum qui Religionis praecepta adimplent, evangelicam doctrinam vix redoleant.

3. Media, hucusque adhibita, ad hanc ignorantiam depellendam, insufficientia videntur. Documenta Magisterii ecclesiastici ad notitiam populi christiani non satis et efficaciter perveniunt.

4. Hac de re Concilium, nostro quidem iudicio, agere deberet, undique colligens illa probata media quae optima perhibeantur. Magni enim interest ut Sacram Scripturam, vocem Traditionis ecclesiasticae et normas Magisterii fideles cognoscant et in summo honore habeant. Investigare oportet quaenam sit aptissima methodus evangelizandi Verbum Dei, ut saltem fideles qui ecclesiam frequentant, doctrinam revelatam studio, amore et veneratione prosequantur. Haec dum notamus, Ecclesiae documenta ad rem spectantia prae oculis habemus (*Denz.* 1429, 1567; 1430 ss.; 1604 ss.; 1630 ss.; 1607 ss.; canon 1391).

Remedia adhibenda

Nullum mihi dubium est quin, divino afflante Spiritu, ex Concilii deliberationibus plura efficacioraque remedia sint proditura. Haec tamen mihi consideratione digna videntur.

a) *In Seminariis.* Candidati ad Sacerdotium Sacram Scripturam, SS. Patrum Opera et documenta pontificia multo saepius manibus versent. Dolendum sane est quod sacerdotes perplures, ad edocendum populum, concionatorum thesauros seu libros « sermonarios » quos vocant, prae fontibus Revelationis consulant. Sed habitus accedendi ad Fontes et iisdem recte utendi in Seminariis est adquirendus. Ad hoc Theologiae textus non sufficiunt ut concionatores futuri Scripturam et Traditionem Ecclesiasticam summo studio ac veneratione prosequantur, unde uberiorem doctrinae copiam, professore moderante, possent haurire.

b) Ubique fere gentium *Sacrae Scripturae editiones,* opportunis notis et commentariis instructae, ex SS. Patribus et Magisterio ecclesiastico desumptae, desiderantur, quae parochis et concionatoribus usui esse possint, quin et fidelibus ut privatim domique cum familia sacra volumina fructuose legantur.

Non defuerunt quidem hinc illinc conamina laude digna. Opus tamen est ut tota Ecclesia rem efficaciter doctrina et auctoritate peragat.

c) Fidelium institutio et *participatio ad actiones liturgicas* optime confert ad ignorantiam populi depellendam. Hunc tamen scopum si recte

volumus attingere, prius de sacerdotibus et paedagogis, apte et accurate in re liturgica instituendis, curandum est.

d) Conciones diebus dominicis et festis de praecepto habendae.

Cur christifideles, qui singulis dominicis et festis sacro assistunt per totam vitam, catholicae doctrinae summam nunquam audiunt? Quomodo iustificabitur hoc dolendum factum, quod multi ecclesiam frequentant et tamen in summa ignorantia permaneant? Quod nihil vel parum de Scriptura curent, nihil de Magisterio Ecclesiae, nihil demum ad pietatem fovendam et excolendam de his fontibus hauriant? Sic explicatur quod multi pietatem videntur colere, sed pauci proficiunt; multi ad sacramenta accedunt, sed pauci vim capiunt. Oportet evangelizare pauperibus et thesauros doctrinae mentibus praebere.

Quod, tamen, efficaciter numquam fiet nisi sacerdotes obligatione afficiantur institutionem habendi ad populum, quoties in qualibet ecclesia vel oratorio, diebus dominicis et festis, sub praecepto, sacrum celebretur — etiam in oratoriis Religiosorum exemptorum, dummodo fideles adstent —, iuxta praedicationis elenchum seu programma pro totius Dioecesis usu confecto.

Optandum est ut canon 1345 non suasorius, sed praeceptivus reddatur.

Magni momenti est ut praedicationis *elenchus et unicus* pro Dioecesi *et necessario* ab omnibus servandus conficiatur.

Ne fideles ab attentione et reverentia Sancto Sacrificio debita prohibeantur, necesse est *Missae celebratione Sacerdotem cessare,* post Evangelium dum institutio habetur, etsi concionator sit a celebrante diversus.

Praedicationis curricula etiam per aliquot annos protrahi possunt, quibus durantibus, doctrina catholica methodo et ordine explicetur, vel Sacra Scriptura fidelibus et legatur et commentariis illustretur, ut SS. Patrum mos erat. Institutionis ordo, pro Sacra Scriptura, desumi potest sive ex locis Evangelii quae singulis dominicis habentur, sive Evangelia ab initio ad finem perlustrando, iuxta elenchum accurate confectum.

Sacerdotes demum libris aliisque adiumentis, ad hoc munus rite obeundum necessariis, instrui debebunt.

Conclusio

Ut paucis verbis rem dicamus: *Ignorantia religiosa* ingentem nimis populi multitudinem afficit. Sacri Libri, Sanctorum Patrum opera et documenta pontificia, si paucos excipiamus, ignorantur vel non satis considerantur.

Hodiernus institutionis et concionis sacrae modus ignorantiae depellendae impar est.

Hoc disciplinae caput sedulo et maturo studio a Concilio Oecumenico si consideretur, spes affulget lamentabilis rerum divinarum ignorantiae, Concilii decretis, adiuvante Spiritus Sancti gratia, tandem profligandae.

4. *De laicorum « spiritualitate » et apostolatu*

Nova desideratur recensio, ampliatio atque perfectior promulgatio Partis Tertiae, in Libro II, Codicis Iuris Canonici, quae agit *de laicis*. In his districte et enucleate elucere debet:

a) Invitatio laicorum ad perfectionem et apostolatum.

b) Actio apostolica et hierarchica laicorum.

c) Necessaria coordinatio omnis apostolatus laicorum, ut ii, sub Hierarchia iuris divini moderante, scienter collaborent.

d) Quae sit Actio Catholica et quae catholicorum actio.

5. *De Liturgia Pontificali et de Rituali Romano. De liturgicis Decretis in Codicem redigendis.*

A) *De liturgia pontificali*

Inter praestantiores sacras Episcopi functiones, nonnullae recensentur quae hodie vix celebrari possunt, tum propter caeremoniarum complexitatem, hodiernae Cleri inopiae difficulter componendam, tum propter nimium temporis spatium requisitum.

His accedit quod plurimi fideles, multiplici activitate irretiti, ab his functionibus abhorrent seu consulto absunt. Si formulae liturgicae breviores approbarentur, et Episcopi cum Clero hos ritus multo frequentius peragerent, et populus fidelis magnum pietatis nutrimentum inde caperet.

En functiones Pontificalis Romani, quae nisi notabiliter abbrevientur, in desuetudinem vel populi oblivionem abire possunt:

1) Ritus Consecrationis Ecclesiae.

2) Ritus Consecrationis altaris fixi et portatilis.

3) Ritus benedictionis oleorum in « Missa Chrismatis ».

B) *De Rituali Romano*

Ritualis Romani novum examen instituendum censeo, ad primam partem praesertim quod attinet, quae agit de Sacramentis rite conficiendis et administrandis.

1. Baptismus. Necessarium existimo ut facultas concedatur vernaculae linguae adhibendae in caeremoniis complementariis, quae ad illustrationem pietatis magis conferunt.

2. Extrema Unctio. Preces et ritus huius sacramenti opportunum multis videtur abbreviare.

3. Liturgia funeralis. Plures rubricae exsequiarum in magnis urbibus et paroeciis adimpleri nequeunt. Ubique vero simpliciores caeremoniae desiderantur.

4. Absolutiones pro defunctis, in Episcoporum Visitatione Pontificali peragendae, iuxta Pontificale Romanum, opportune ad unum tantum responsorium unamque absolutionem reducendae videntur.

In liturgia sacramentali, paedagogiam pastoralem quae in Novo Ordine Hebdomadae Sanctae elucet, prae oculis habendam existimo. Sacerdotum etenim inopia, fidelium studium liturgicis actibus non mere passive adstandi, et hodierna atque industriosa hominum activitas, simpliciores caeremonias postulant.

C) *Legum liturgicarum compilatio*

Cum sint perplures atque non ita simplices leges et rubricae vigentes de cultu divino exercendo, in angustiis versantur sacerdotes plurimi, qui eas, dum necessitas urget, exquirere volunt, ita ut solum rei liturgicae studiosi, non sine labore, iis callere valeant.

Hinc opportunum censeo statuta atque decreta ad cultum divinum spectantia, de personis rebusque sacris, de cultu et de sacramentis, in Codicem liturgicum-caeremonialem redigenda curare.

6. *De impedimentis matrimonialibus gradus minoris tollendis*

Inter ea quae ad ecclesiasticam disciplinam spectant, suggerente venerabili Curia Dioecesana, proponendam duxi *derogationem seu mitigationem* hodiernae disciplinae circa impedimenta matrimonialia gradus minoris, de quibus in canone 1042 *Codicis Iuris Canonici.*

Rationes:

a) *Facile dispensantur,* nullo vitio obreptionis vel subreptionis obstante (can. 1054).

b) Recursus ad Nuntios Apostolicos est frequentissimus, sed mere officialis.

c) Persuasum est plerisque fidelibus quod haec impedimenta tantum vigent eo ut Curiae Episcopales proventum faciant. Illi enim fideles qui de matrimonio contrahendo agunt, haec impedimenta generatim parvi pendunt, et ipsi doctiores et pii his impedimentis non detinentur, certo scientes facillime dispensationem consecuturos esse.

d) His addendum est quod reapse frequenter matrimonia nulla contrahantur, eo quod fideles vel impedimenta ignorent vel parocho investiganti ex industria occultent, ne mora aliisve molestiis afficiantur.

7. *De Capitulis Canonicorum*

Leges hucusque vigentes de Capitulis Canonicorum in trutinam revocare desiderandum est, ad diversa apostolatus, magisterii, regiminis munera attendendo, quibus Canonicorum alii dant operam, alii vero, mutatis iuris adiunctis, operam darent.

Non raro valde abest ut Capitula Canonicorum, de facto, ea praestantia fulgeant, quam a Iure Canonico acceperunt et veneranda consuetudo illustravit. Iuribus enim et privilegiis nimis adhaerentes, persaepe ceteris clericis aliisque ecclesiasticis institutibus, neque efficacia neque exemplo neque auctoritate anteire solent.

Aliquando, ad pastoralia munia obeunda, Episcopis non adiutorio sed impedimento sunt.

Rem oportet sedulo perpendere et Episcopi auctoritatem in Cathedralem Ecclesiam adamussim determinare. In Ecclesia nempe Cathedrali plura obstacula Episcopo officiunt, quam in ceteris Dioecesis ecclesiis ad cultum promovendum, verbum Dei christifidelibus praedicandum, etc. Cum iure Ecclesia Cathedralis sit omnium ecclesiarum mater, magistra et exemplar, reapse non ita elucet nostris temporibus propter iura acquisita Capitularium quae servari oportet.

In hac implicata quaestione, scopus ad quem tendendum esset, sic se habet: ut Capitula Canonicorum intimiori nexu vitae dioecesanae connectantur, non tamquam reliquiae temporum praeteritorum, sed ut sacerdotum praestantissimus coetus, Episcopi validum instrumentum, hisce temporibus accommodatum, in quibus inter clerum et populum fidelem unitatis et caritatis sensus, doctrina Mystici Corporis Christi roboratus et accensus, novo vigore efflorescit.

✠ IOANNES HERVÁS Y BENET
Praelatus nullius Cluniensis

63

EXC.MI P. D. HILDEBRANDI ANTONIUTTI

Archiepiscopi tit. Synnadensis in Phrygia, Nuntii Ap. in Hispania

Prot. N. 1267/59 Matriti, die 25 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Desideriis ab Eminentia Tua Reverendissima expositis in folio I C/59-1686 diei 13 mensis iulii huius anni devotissime obsecundans, has quae sequuntur opiniones humili animo proferre audeo Pontificiae Commissioni antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico:

1. Ad unionem, quae est in votis Spiritus Sancti gratia inter omnes Christianos facilius consequendam, frequentiores reuniones necnon dissertationes celebrandae essent, servatis servandis, inter Catholicos, « Ortodoxos » et Protestantes ita ut catholica doctrina eisdem exponi et explicari possit, speciali modo illis qui sine suimet culpa extra veram degunt Ecclesiam.

2. Catholicitas Ecclesiae definitior esse deberet quoad personas et quoad bona:

a) rationali dispositione personarum quae sancto Dei servitio sunt addictae, ad communibus necessitatibus ubique terrarum providendum, iuxta Sanctae Sedis indicationes Episcopis faciendas;

b) ampliori participatione nationum in S. Cardinalium Collegio per proportionalem elevationem Episcoporum ad tantum honorem ut Ecclesia largius repraesentetur in suo venerando Senatu et praesertim in electione Summi Pontificis, omnium fidelium pastoris;

c) aequa temporalium bonorum distributione ut extrema quorundam inopia aliorum largitate opportune sublevetur per centralem administrationem Ecclesiae.

3. Privilegia et favores quibusdam nationum rectoribus et civilibus potestatibus ob praeteritorum temporum exigentias vel necessitates concessa per gradus auferenda essent ut Ecclesiae integra et secura servetur libertas, praesertim in episcoporum electione.

4. Uniformitas in episcopis eligendis et proclamandis in omnibus nationibus determinanda esset. Dioeceses enim eiusdem Catholicae Ecclesiae ubicumque eisdem iuribus frui deberent sicuti easdem habent morales obligationes.

5. Nationalismus, pestis teterrima, cuiusvis generis condemnandus

esset, quia cito vel sero ad apostasiam vel schisma perducit, sicuti dolorosi historiae eventus, proh dolor! comprobant.

6. Opus missionum methodis practicis, efficientibus et apostolicis coordinandum esset, illud liberando a politicis interponendi vel interveniendi cupiditatibus exterarum potestatum, ne scandala renoventur quae distinctis in locis, praeteritis temporibus, fidei propagationem impedierunt vel innumeris obstaculis debilitaverunt.

7. Populus christianus melius educandus in omnibus nationibus ut Ecclesiae necessitatibus debite provideat et ita optata independentia a civilibus potestatibus ubicumque obtineatur in oeconomica situatione. Experientia docet christianum populum bene edoctum de Ecclesiae necessitatibus, eisdem generose providere.

8. Inter clerum saecularem et distinctos Ordines vel Congregationes Religiosas meliores relationes statuendae essent ac providendum ut Religiosorum privilegia et exemptiones gradatim minuantur ne rectum Ecclesiae gubernium impediatur. Religiosi autem monendi essent ut Ecclesiae magis quam suis inserviant Congregationibus. Instituta vero saecularia promovenda.

9. Clero quaelibet participatio in politicis factionibus prohibenda esset, itemque fidelium adhaesio vel collaboratio quovis titulo cum institutionibus illorum qui Ecclesiae inimici videntur et sunt, prudenter sed firmiter reprobanda. Insuper Episcopi et sacerdotes necnon religiosi prohibendi essent quominus officia civilia suscipiant quae nullam habent coniunctionem directam cum animarum ministerio et Ecclesiae institutionibus.

10. Sacerdotes cleri saecularis, capitulis vel paroeciis aut operibus catholicis addicti, communem vitam degere deberent, in civitatibus vel locis ubi commorantur, ad ecclesiasticam disciplinam firmandam atque spiritum Evangelii recte servandum in bonum animarum et in aedificationem fidelium. Huiusmodi communitas vitae remedium insuper afferret oeconomicis cleri difficultatibus.

11. Ordinariorum dioecesium iubilationi determinata aetate providendum esset, et eorumdem officium ad nutum Sanctae Sedis tantummodo prorogandum si eiusdem Sanctae Sedis iudicio ipsi Ordinarii qualitatibus necessariis mentis et corporis praediti inveniantur ad sacrum ministerium efficaciter exercendum. Congrua congruis referendo idem de parochis dicatur a proprio Episcopo dirigendis.

12. Dioecesium nimis extensa territoria opportune dividenda essent, debite aspirationibus et desideriis christiani populi favendo iuxta locorum circumstantias, ad bonum animarum sollerter providendum.

13. Paroeciae multiplicandae essent, praesertim in urbibus, singulis

parochis, auxiliantibus cooperatoribus, quinque millia, vel ad maximum decem millia fidelium reservando ita ut possit vita christiana in urbibus salvari quarum inhabitantes directam Ecclesiae auctoritatem et vigilantiam nunc temporis effugiunt. Ubi autem clerus saecularis deficit, paroeciae religiosis concredantur.

14. Ad Ecclesiam instituendam et efformandam non sufficiunt fideles, templa, dotationes, opera adsistentialia: sunt necessarii pastores. Opus vocationum ideo opportune ubicumque augendum esset; et ad bonos animarum pastores efformandos oportet ut Seminaria vere scholae sint virtutum et scientiarum, habeantque uniformes methodos tum in directione tum in formatione alumnorum. Non sufficit enim unitas doctrinae, necessaria est unitas et uniformitas in veritatis diffusione. Quapropter congressus et reuniones superiorum seminariorum in singulis nationibus celebrandi essent ad eandem unitatis, laboris et studiorum methodum ubicumque consequendam et instaurandam.

15. Ubi clerus insufficiens est ad necessitatibus religiosis debite providendum, auxiliares seligi deberent praesertim inter Catholicae Actionis membra ut sicuti in apostolicis temporibus efficaces fiant cooperatores ordinis sacerdotalis.

16. Ad communia sacri ministerii opera recte ordinanda Conferentiae Episcopales Ordinariorum frequenter celebrandae essent, earumque decisiones per Secretariatum Episcopatus, in singulis nationibus debite erigendum, opportune diffundendae perque speciales Commissiones ad effectum reducendae. Item dicatur de Conferentiis Episcoporum in singulis provinciis ecclesiasticis celebrandis, congrua congruis referendo.

17. Vestes ecclesiasticae Praelatorum, sacerdotum, religiosorum et religiosarum, praesentium temporum mutatis necessitatibus adaptandae essent. Cardinalium autem, Episcoporum, Canonicorum et dignitatum vestium copia et opulentia ad sobriam formam reducendae, quarum decor praesertim oeconomicis conditionibus proportionandus esset. Insuper uniformitas in praelatorum vestimentis et in liturgicis ornatibus affirmandus. Numerus tandem illorum qui pontificiis distinguuntur honorificentiis reducendus esset, ne assueta vilescant: et honores Sanctae Sedis illis denegandi qui vitae integritate minime clarescunt vel saeculo indulgent.

18. Instructio religiosa, sive in Ecclesiis sive in scholis, modernis methodis tradenda esset, necessitatibus praesentium temporum accommodatis, et uniformis cathechismi textus opportune pro universa Ecclesia redigendus.

19. Matrimonia quae civilia vocantur consideranda essent tamquam impedimenta ad matrimonium coram Ecclesia ab uno coniuge cum di-

stincta parte celebrandum altero coniuge vivente; et dispensatio a tali impedimento danda non esset nisi gravissimis de causis si proles iam suscepta fuerit, et semper cauto ut bono prolis iam susceptae apprime provideatur.

20. Sacra liturgia moderanda esset quadam uniformitate in ritibus, vestibus et canticis, et in actibus externi cultus lingua vernacula permittenda. Item Cantus partium Missae (Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, Benedictus, Agnus Dei) necnon Vesperarum Psalmorum in lingua vernacula ubicumque permittendus ut omnis populus cantet et ea quae cantat intelligat. Breviarium autem reformandum.

21. Ars sacra moderanda est iuxta Ecclesiae traditiones. Convenit ut aedificia sacri cultus modernis necessitatibus aptentur; attamen profanae novitates condemnandae sunt atque praescribendum est ut in templis permittantur tantummodo illae Sanctorum effigies quae devotionem pariunt et pietatem. Quapropter specialis commissio in singulis dioecesibus erigenda esset quae bonis artibus religiosis praesideat.

22. Prohibendae essent aliquae peculiares devotiones hisce temporibus diffusae quae magis superstitionibus favent quam rectam pietatem sustineant. Super omnia autem sacer cultus in eucharistica adoratione fundatus et in Beatae Virginis Mariae veneratione suffultus vehementer inculcandus.

23. Apostolatus exercendus modernis inventibus indiget speciali centro in singulis nationibus quod opportune componere vigilare et dirigere valeat catholicae diffusionis activitates in omnibus dioecesibus.

24. Explicatio doctrinae catholicae sedulo in ecclesiis et extra ecclesias, opportune et importune, clara simplicitate tradatur ut omnes fideles capere possint verbum Dei et in viam salutis dirigantur.

Sacram Purpuram deosculatus, omni quo par est obsequio maneo

Eminentiae Tuae Reverendissimae
humil.mus dev.mus ob.mus servus

✠ Hildebrandus Antoniutti
Archiepiscopus tit. Synnadensis in Phrygia
Nuntius Apostolicus in Hispania

64

Exc.mi P. D. ANGELI GASPARIS TURRADO MORENO
Episcopi tit. Assiensis

2 de setiembre de 1959

Eminentísimo Señor: Paz y bien.

Ante todo quero manifestar a V. E. R. mi gratitud por haberse acordato de mi humilde persona, indicándome que diera mi parecer acerca de algunos asuntos concernientes al futuro Concilio Ecuménico.

Con mucho gusto le adjunto las sugerencias, que me han parecido más oportunas, las que, tratadas en el Concilio y debidamente aprobadas, puedan ser incluídas en la nueva codificación del Derecho Canónico.

Se encomienda en las oraciones de V. E. R. y besa S. S. P. su afmo. hno. en Cristo.

✠ Fr. Angel Gaspar Turrado Moreno, O.F.M. Cap.
Obispo titular de Asso

De clericis

Can. 126. Omnes Sacerdotes saeculares *singulis annis* per saltem quinque dies spiritualibus exercitiis... vacare oportet.

Can. 135. In Officio divino Matutinum ad unum nocturnum reducatur cum tribus lectionibus: 1) De sacra Scriptura; 2) De Festo; 3) Homilia.

Can. 136. Omnino ubi possibile sit, ecclesiastici vestem talarem deferant. Est enim vestis talaris optima protectio externa morum sacerdotalium.

Caelibatum ecclesiasticum, perpulchrum ornamentum Sanctae Matris Ecclesiae, ne tangatur nisi in melius, absolute conservetur et magna cum solertia tueatur.

Num in nova Iuris codificatione oporteat aequiorem sacerdotum distributionem facere, qui in aliquibus locis superabundant, in aliis vero nimis deficiunt?

Utrum opportunum sit in Ecclesia diaconatum virorum saecularium instituere? Duplex responsio: Si diaconi consecrandi seu ordinandi (uti tales) caelibatum observent, affirmandum videtur. Si vero caelibatum minime observare ex praescripto Codicis debeat, tunc, cum cautela non nimia procedendum est, ratione scandali fidelium non paucorum, et quia for-

tasse aliquo modo ianua periculosa erga caelibatum Presbyterorum aperiatur.

Can. 136. Utrum sit conveniens quod pia Mater Ecclesia cogitet relinquere Sacerdotes seu Pastores Acatholicos, qui tempore conversionis vinculo matrimoniali sunt ligati, sed Sacerdotes Catholici esse volunt, in eodem statu permanere? Itemque Sacerdotes Catholicos qui cum muliere definitive fugam arripuerunt (quod dolendum est) ad ipsorum animas salvandas, licet in secreto, sed lege generali fiat, ad statum laicalem cum omnibus dispensationibus, etiam caelibatus, reducere?

De Religiosis

Can. 500. Religiosi tunc Sanctae Ecclesiae erunt utiliores cum magis magisque vitam peragant religiosam. Quare, cum cautela procedatur in Iure, ne sub praetextu melius serviendi fidelium animabus, sub absoluta potestate Ordinarii loci, vita religiosa communis destruatur.

Sacerdotibus religiosis qui in suo Ordine vel Congregatione, valde incommode vitam agunt, eritne conveniens ipsis ampliorem ab Ordinariis locorum aperire ianuam, ut ad statum sacerdotalem saecularium transire valeant? Praeterea, Superioribus maiorem facilitatem sive potestatem expeditiorem ad dimittendos religiosos in genere, qui in proprio Instituto permanere non debent, concedere opportunum erit?

Circa dictam Actionem Catholicam, quae certe in nova Iuris codificatione includi debet, tamquam modus conspicuus ut laici in apostolatu hierarchico adlaborent, valde conveniens videtur Religiosos Sacerdotes etiam in directione intervenire, nam in unitate Sacerdotum saecularium et religiosorum efficacior erit labor.

De Baptismo

Can. 755. In adultorum baptismatis administratione, ex generali lege, ritus sacri brevientur.

De Eucharistia

Desideratur:

1. Ut omnes sacerdotes in feria V. Maioris hebdomadae sacrum litare queant. Aut tot Missae celebrentur quot necessariae sint ut fideles Divum Sacramentum suscipere valeant.

2. Ut Sancta Missa quotidie celebrari possit, sive mane sive vespere, cum commoditas et fidelium pietas postulet. Itemque, ut sacra communio, servato ieiunio eucharistico, quacumque hora distribuatur.

3. Ut Ordinarii loci etiam in feriis binationem permittere possint.

De Magisterio Ecclesiae

Cann. 1332 et 1344. Data difficultate fideles congregandi extra Missam diebus dominicis et festis, detur parocho facultas pro sua prudentia et conscientia homiliam vel catechesim adultorum exponendi.

De processibus

Liber IV de Processibus, ad formam breviorem et expeditiorem reducendus est in nova Iuris codificatione, et quidem in singulis processibus, minime exclusis causis beatificationis et canonizationis.

De delictis et poenis

Liber V, id est, poenae ecclesiasticae, valde minui debent atque multum simplificari omnino oportet. Praesertim vero excommunicatio procurantium abortum tollatur.

✠ FR. ANGELUS GASPAR TURRADO MORENO, O.F.M. Cap.
Episcopus tit. Assiensis

65

EXC.MI P. D. DOROTHEI FERNÁNDEZ Y FERNÁNDEZ

Episcopi tit. Castabalensis, Auxiliaris Santanderiensis

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Petitioni tuae obtemperans, pro meo posse, humanissimis Eminentiae Vestrae verbis respondebo meum iudicium pandens circa res in futuro Concilio pertractandas. Quod, ut ordine procedam, distincta sequens doctrinae capita, faciam.

I

De unione Ecclesiarum: multorum sane est opinio, longe adhuc distare a sua maturitate illa quam fas est dicere humana praeparatio praevia, quae investigatione historica, iuridica et dogmatica nititur.

Deest etiam, ex confessione multorum, praeparatio psychologica prout ex manifestationibus eorum qui in « Motione Oecumenica » videntur columnae esse. His deficientibus, unio stabilis difficilis erit obtentu.

Immo, timor apud quosdam irrepsit ne Concilium novis dogmaticis definitionibus et doctrinalibus quaestionibus viam ad optatam unionem magis praecluderet.

Forte utilius foret ad hunc scopum iuvandum ut aliqua proferretur amplissima fidei formula ea omnia continens doctrinae dogmata quae ab Ecclesia Catholica fidelibus simul cum suis Pastoribus amplectuntur, unde omnium oculi qui extra Ecclesiam sunt, unitate et fecunditate eius percellerentur.

Utile duco, inter ea quae viam unionis sternere valent, genuinam aliquam declarationem proferre, in qua e limine, quae sint certe iuris divini ab his quae mere ecclesiastica sunt dicenda, secernantur. Concilii esset declarare Ecclesiam, unionis amore et coniunctionis omnium Christi fidelium, proclivem esse ad ea quae reditui ad unitatem faverent concedenda ex his quae ecclesiastici iuris censentur. Talis declaratio pro fundamento staret, quo ulteriores de re theologica et philosophica investigationes niterentur.

II

De methodo theologica: determinari posset accuratius methodus in studio sacrae theologiae adhibenda. De facto non omnes eodem modo Encyclicam « Humani Generis » intelligunt: dum pro aliquibus est doctrinalis prorsus, habetur pro aliis tanquam mere disciplinaris. Quid in theologica investigatione unicuique tribuendum sit, operae praetium est determinare: nempe, fontibus revelationis et rationi, unde patefieret quantum vigeat discrimen inter theologiam et alias ipsi cognatas scientias.

Nec prorsus indignum puto Concilio ea perimere quae tantum temporis ac laboris terere cogunt, scilicet differentias inter diversas catholicorum scholas, quae dum res magis acutas et alicuius scholae proprias quam utiles tractant ac disputant, hoc cum incommodo veri provectus theologici faciunt. Hinc, tanquam intolerabilis sarcina abicienda multa quae saeculis elapsis, et etiam nostris, fere aequo modo ac vera et revelata doctrina, mentes omnium implent. Cedant haec loco verae doctrinae theologicae, quae in Sacra Scriptura, Patribus et Ecclesiae Magisterio nititur.

III

De Fontibus Revelationis: plura sunt incerta in tractatione de Sacrae Scripturae sensibus. Ex hac diversitate opinandi magna incommoda profluunt pro dogmaticis, qui aliquando nesciunt quo gradu traditionalis doctrina sensu Scripturae fulcitur. Nova quotidie inferunt auribus quidam

Sacrae Scripturae studiosi, quorum conatus delere velle videntur maceriam quae a protestantibus nos seiungit. Quorumdam librorum Sacrae Scripturae determinatio valoris historici desideratur.

Nec limes est apponendus scientificae investigationi, sed utiliter esset determinandum quid doctrinaliter verum sit in quibusdam pericopis et quid ad involucrum literarium pertineat.

Pleniore ac clariore definitione indigerent quae inspirationem Sacrorum librorum spectant: natura inspirationis divinae et eiusdem extensio intra diversa genera literaria uniuscuiusque libri sacri. Melius ita posset dignosci quae sunt Dei auctoris principalis et quae sunt homini auctori tribuenda. Nec silentio premendum criterium a maioribus traditum iuxta quod Ecclesiae est iudicare de vero sensu Sacrae Scripturae.

IV

De Ecclesia Christi: Aliqua de Ecclesia acta sunt in Concilio Vaticano, quod plura paraverat, et apte hodie etiam tractarentur.

a) Doctrina posset statui de incorporatione laicorum in Ecclesiam et de eorum specifica missione in Corpore Mystico. Opus esset aliqua declaratione circa « regale sacerdotium » laicorum et eorum participationem in Liturgia. Ita fundamentum apponeretur ad « theologiam laicatus ». Hinc statuendum quo sensu laici participes evadere valeant, sub Episcoporum auctoritate, facultate docendi, sanctificandi et regendi.

b) Pro rei momento agendum esset de relationibus inter Ecclesiam et Statum civilem: de tolerantia religiosa, de religione officiali catholica, de interventione auctoritatis civilis in eligendis Episcopis et de subsidiis pecuniariis a Statu Ecclesiae tributis. Haec omnia in ore omnium versantur et aliter ab aliis existimantur, pro unicuique lubet.

Quamvis non desint in hac re expositiones doctrinales aliquae, habentur tamen tanquam nimis particulares, pro specialibus rerum, temporum et locorum adiunctis prolatae. Magnam quietem, solatium et fulcrum afferret documentum conciliarem statuens doctrinam qua hierarchia et laici, qui corde et animo Ecclesiae parent, ut sunt praesertim Actio Catholica, Instituta saecularia, sed et omnes catholici, manuducerentur.

Auctoritative esset statuendum utrum sit necesse admittere « potestatem indirectam » Ecclesiae supra Statum civilem, an, ut pluribus arridet, agnoscere sufficiat obligationem erga Deum qua tam Ecclesia quam Status tenentur servare divinitus statutum ordinem.

c) In luce deberet poni sensus effati « extra Ecclesiam nulla salus », quo exprimitur necessitas ingrediendi in Ecclesiam ad supernaturalem

salutem obtinendam. His cohaeret quaestio quinam sint dicendi membra Ecclesiae et quo forsan sensu qui bona fide extra Ecclesiam versantur, membra vocari queant.

V

De creatione: cum ea quae in Vaticano Concilio nonnulla reperiantur quae ad finem non sunt perducta, utiliter hodie possent ad actuales Ecclesiae necessitates aptari; ea valent, imprimis, de rebus contentis in schemate de Constitutione dogmatica de Fide Catholica, ubi de creatione, redemptione, monogenismo, spiritualitate animae humanae, elevatione hominis ad statum supernaturalem, de peccato originale et personali, de eorumque sanctione erat sermo.

VI

Disciplina sacerdotalis: exoptanda in iis qui ad dignitatem sacerdotalem sunt evehendi praeparatio culturalis quae nostris temporibus sit consona et exigentiis hodiernae societatis respondeat. Hoc desideratur maxime in scientiis profanis et in oeconomico-socialibus, quae moralem proxime attingunt.

In multorum votis est ut candidati ad sacerdotium non illo augeantur nisi in aetate provectiori. Praeparatione intellectuali et morali in Seminario finita, subdiaconatum et diaconatum per aliquod tempus exercerent in saeculo sub vigilanti cura pastorum animarum, unde ipsi candidati certiores evaderent de soliditate propriae vocationis et possent melius cognoscere utrum apti vel impares inveniantur ut munia et onera indeclinabilia suis humeris ferre valeant.

In praxi pastorali quidam retributionis modi essent temperandi ita ut quaevis species professionis crematisticae et utilitariae ab ea prorsus auferretur. Multa sunt quae pecunia fiunt. Optanda, quatenus possibile sit, simplicitas in executione et tramitatione plurium rerum et negotiorum, quorum complexitas ad hoc videtur imposita ut titulus inveniatur unde taxae solvantur.

VII

De Iure canonico: nova authentica Codicis Iuris Canonici editio desideratur in qua locum habeant proprium ea omnia quae in comperto est nunc habere vim obligandi, et qua reiicerentur e contra quae iam obliterata sunt et in desuetudinem abierunt. Quorumdam canonum nova redactio, iuxta interpretationem ab omnibus hodie admissam, clariora redderet plura et faciliora captu.

In aliquibus quaestionibus olim inter canonistas agitatis, novum Ius Canonicum Orientale a Pio XII confectum non obscura indicia praebuit in favorem alicuius sententiae, quo fit ut in posterum res non sit amplius discussioni subiecta. Nonne oporteret quosdam Iuris Canonici nostri canones ita in formam redigere non ambiguitatibus obnoxiam?

Crisi subicere liceret quae de capitulis canonicorum in cathedralibus hodie habentur. A pluribus tanquam res anacronica et nacta potius ad pondus quam ad levamen in vita Ecclesiae habetur. Quae afferuntur rationes eius esse non tanti sunt ponderis ut aliis aptioribus mediis et efficacia maiori praeditis non possint superari.

Oporteret forte ut omnibus sacerdotibus liceret, iure communi, missam vespere celebrare. Ita anxietates tollerentur quae passim exsurgunt in vita pastorali cum necessitas non adeo patet celebrandi et aliqua convenientia pro fidelibus est in promptu.

Idem fere dicas de communione vespertina extra missam. Plures hodie communione privantur quibus, ratione laboris, hora matutina est minus apta ad sacram synaxim, qui tamen, expleto diei labore, possent accedere.

Minoris gradus impedimenta melius delerentur, siquidem in causa sunt cur hodie multa matrimonia nulla evadant ob eorum ignorantiam.

Tamquam nimis laboriosum posset reformari ius processuum et poenarum et locum cedere processui administrativo in quo causae breviores evaderent nec efficacitas minueretur plerumque, siquidem vix unquam poenae, etiam gravissimae, per processum iudiciarium applicantur.

Quae de taxis statuuntur in Codice Iuris Canonici magnas creant difficultates, nam Concilia provincialia raro habentur, et novae mutationes, iuxta temporum vicissitudines, quotidie fere deberent fieri. Inde accidit ut taxae, quae a pluribus abhinc annis sunt statutae, adhuc in vigore permaneant. Alia est, insuper, conditio diversarum dioeceseon quae sub una provincia ecclesiastica veniunt, dum enim forma vitae et prosperitas oeconomica floret in una, alia est, etsi proxima, in conditione valde deteriori. Unde exoptandum ut taxae pro unaquaque dioecesi non Concilio provinciali sed proprio cuiuscumque dioeceseos Episcopo subiacerent.

Immo etiam, forsitan tempus advenerit, saltem alicubi, ut hae res immutentur. Satis plura de hac re videntur minus temporibus consona. Inter ea invenio differentias quae occasione administrationis quorumdam sacrorum ut nuptiae, funera, baptismata, omnium oculos percellunt. Dum pecunia potentes ostensionem faciunt suae praevalentiae oeconomicae, rixae et murmura oriuntur e regione eorum qui minus validi habentur, et causa est qua Ecclesia impugnetur.

Lex abstinentiae et ieiunii quadragesimalis difficile integra servatur. Ad hodiernas necessitates sese accommodare deberet.

Item dicas de abstinentia a labore diebus festivis de praecepto. Maneat in vigore lex pro diebus dominicis tantum.

VIII

Circa cultum liturgicum: plures adhuc serpent abusus qui viam ad vitam liturgicam praecludunt et obnubilant. Sacrificium Missae ita debet offerri ut prae omnibus devotionibus fulgere valeat, ut non ipsum sit aliquid quod quasi « per accidens » fit in templo, sed vere centrum vitae christianae totius, sicut fons est omnium gratiarum a sacrificio redemptivo Christi dimanantium.

Non abs re erit determinatio maioris libertatis linguae et ritus in administratione praecipue sacramentorum ratione habita idiosyncrasiae et traditionis uniuscuiusque regionis.

IX

De religiosis: sunt qui nimis proprio Instituto, Ordini vel Congregationi adhaereant, posthabitis quae sunt Ecclesiae.

Siquidem Episcopi est in sua dioecesi unitatem et efficaciam conferre actioni pastorali, illius esset, etiam retenta exeptione religiosorum, eorum activitatem coadunare, dirigere et scopum statuere.

In eorum vita, morum et traditionibus adsunt quaedam iam obsoleta, de quibus maius incommodum quam profectus pro efficacia laboris exsurgit et quae animos oculosque nostrorum concivium percellunt.

X

Quoad religiosas: dolendum est quam saepe absque sufficienti cura de earum spirituali progressu oblivioni traduntur. Non est eis praesto qui de earum confessionibus et directione spirituali sedulo et competenter curet.

In earum formatione ascetica frequenter invenitur magna vacuitas et absentia substantiae dogmaticae et liturgicae.

« Multiplicatio entium sine necessitate » a pluribus appellatur existentia tot Institutorum religiosarum, quorum si vestem et nomen demas nihil in uno invenies quod non reperias in alio. Idem est enim finis apostolicus et vitae genus.

Haec sunt, Eminentissime Domine, quae pro argumentis Concilii parandis mihi occurrunt dicenda.

Eminentiae Vestrae devotissimum sese profitetur.

✠ DOROTHEUS FERNÁNDEZ Y FERNÁNDEZ
Episcopus tit. Castabalensis

66

EXC.MI P. D. AEMILII BENAVENT ESCUÍN

Episcopi tit. Cercinitani, Auxiliaris Malacitani

Malacae, die 22 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Libentissimo quidem animo litteras accepi, quibus Eminentia Tua Reverendissima dignatus est meam exquirere sententiam circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Liceat mihi imprimis grates Eminentiae Tuae referre.

Rem Deo quotidianis precibus commendavi, eique tota mente incubui.

Pro meo captu quae sequuntur cum fructu in Concilio Oecumenico tractarentur:

I. *De Doctrina*

In Theologia Morali elaboratio tractatus *De Iustitia sociali* enixe desideratur, eadem et principiorum et conclusionum pro praxi praecisione qua exaratus extat tractatus de Iustitia commutativa; inde ut opinor, optimum remedium sequeretur lugendi scandali a Pio XI, Litteris Enc. *Quadragesimo anno* denuntiati, cum asserit: « Dolendum sane est, fuisse, immo etiam nunc esse, qui cum catholicos se profiteantur, sublimis illius iustitiae et caritatis legis, fere immemores sunt, quodque gravius, ob lucri cupiditatem operarios vexare non verentur ».

Item e medio penitus tolleretur, quod gravissimum teneo, talium catholicorum nempe conscientias quietari posse a consiliariis circa materiam ignorantibus vel errantibus qui non curant prout decet de profectu fidelium in adimpletione obligationum quae ex iustitia sociali oriuntur.

Labor, abs dubio, ingens et arduus; forsam ipsum ante Concilium creanda specialis Commissio in qua viri valde periti tam in Theologia quam in utroque Iure, necnon in re oeconomica et sociali, fidelissimi insuper perlucidae circa materiam doctrinae Romanorum Pontificum, nec ignari status rerum oeconomico-socialium pro praesenti, studio tam magnae tamque difficilis quaestionis incumberent.

II. *De Clericis*

Impensius fovendus clericorum spiritus missionarius, eorumque consequenter sive vitam sive ministerium apostolicum disponere.

Ex hoc velut universali principio sequentes conclusiones facile deducuntur.

1) Vita communis clericorum paroeciae adscriptorum praecipienda, itemque eorum qui peculiari labori apostolico dicantur, puta actioni missionariae inter ruricolas, actioni sociali, magisterio, investigationi scientificae, etc.

2) Oeconomia dioeceseos, si de personis sermo sit, non spernendis difficultatibus obruitur ex praesenti distributione fructum beneficiorum; non enim raro fructus inaequaliter distribuuntur quin talis disparitas labori impenso a beneficiariis respondeat.

Magni momenti foret summam bonorum communem in quavis dioecesi constituere quibus et congruae sustentationi omnium clericorum consuli ipsiusque media necessaria pro ministerio commendato rite exequendo porrigi facile posset.

3) Urget oboedientiam erga S. Sedem et erga Episcopos impensius colere ita ut quaecumque vel pro universa Ecclesia vel pro singulis dioecesibus a Suprema Auctoritate vel ab Episcopis proposita fuerint velut media, sive haec imperata sint ut necessaria sive commendata ut aptiora, pro bono animarum et Evangelii diffusione omnes devoto animo suscipiant et in praxim celeri magnanimitate deducere contendant.

4) Religiosorum exemptio reducenda quantum opus fuerit ut et ipsi reapse cooperatores Episcoporum evadant.

5) S. Sedes exigat ab Episcopis cuiusque dioeceseos numerum praefinitum sacerdotum pro rata parte quibus facilius et aptius infidelium missionibus consuli valeat necnon regionibus, abs dubio catholicis, sed quae modo vocationum sacerdotalium lugenda inopia laborant.

6) Quinimmo ipsis Episcopis Sedes Apostolica velit significare qua proportione, in sua quisque dioecesi, sacerdotes dicare debeant ministerio apostolico exercendo apud illos qui maxime deficiuntur sive oeconomice, sive socialiter, sive morali agendi ratione, sive ignorantia religiosa, ad hoc ut denuo ad pristinam integritatem praxis christianae restituantur.

Caelibatus ecclesiastici nunquam satis laudandi fructus sive spirituales sive apostolici, eiusque disciplina firma fidelitate servanda.

Sacerdotes vero lapsos, quorum recuperationis humana spes desit, forte ad statum laicalem, ab omnibus prorsus obligationibus ac votis solutos, reducere expediret.

Dispensatio vero ita facienda ut dum beneficium lapsis tribuatur ne periculum evadat pro sacerdotibus qui ad tempus spiritu infirmantur quique fortasse talem solutionis viam tentarent.

Humiliter ac sincere profiteor me rationem agendi qua talia bona consequantur simul ac mala vitentur non assequi, attamen fidenter spero Curiam Romanam, maxime usu doctam, optimam, quam non capio, solutionem invenire posse.

III. *De Episcopis*

Perutiliter, ut mea fert opinio, cuiusque nationis Episcopi annuos conventus celebrarent in quibus et problemata communia colloquerentur et mutuo, quisque propriis auxiliis, pro eorum solutione conspirarent.

Simili modo ac frequentia Episcopi quarumdam regionum quae gaudent peculiari indole et communibus conditionibus convenire deberent.

In utroque, proculdubio, casu, praevio consensu et subsequenti sanctione unius supremae auctoritatis Sedis Apostolicae.

Pergratum foret Episcopis, sacerdotibus necnon et fidelibus quidquid provideretur ut paramentum praelatitium simplicius evaderet; v. gr. pro Episcopis sufficeret ordinario solummodo cruce pectorali et annulo insigniti incedere, pallium vero magnum in solemnitatibus simplici veste chorali supplere.

Aedes episcopalis, vehicula, etc., spiritu evangelico moderentur et non nisi ministerii vel necessitatis causa adhibeantur.

IV. *De Capitulis Cathedralibus*

Capitula Cathedralia constituantur reapse tanquam veri senatus sacerdotibus qui, moribus, prudentia et institutione praestantes, aliquoties per annum Episcopis sive informationem sive consilium pro dioeceseos regimine praebere possint.

Membra tam venerabilis senatus Sanctae Sedis vel Episcoporum, pro casu, designatione instituantur, dum contentio inter oppositores pro beneficio obtinendo prorsus abolenda existimatur.

Cultus in Ecclesiis Cathedralibus qui, in praesenti, plerumque longe distat ab aequa perfectione, sacerdotibus in cantu et praxi Liturgiae pastoralis rite instructis cum fructu commendaretur; praelaudati clerici beneficio inamissibili non gauderent sed ad nutum Episcopi Ecclesiae Cathedrali adscriberentur onere imposito in exemplum extollendi cultum liturgicum in universa dioecesi, dum in Ecclesia Cathedrali sedulo instruere curarent fideles qui cultus, sive ordinarii, sive solemnioris, sive tandem ac praecipue Pontificalis, participes fierent.

V. *De Clericorum Institutione*

Ad sacrum praesbyteratum ne accedant nisi attingentes trigesimum aetatis annum.

Cursus proinde seminaristicus sequenti vel simili modo protrahatur.

Ratio studiorum in Seminario Minori, quantum fieri valeat, eadem sit, ac in Lycaeo Civili; linguarum vero classicarum disciplina, vel maxime latinae, sedulo colatur.

In triennio philosophico, praeter disciplinas traditionales, alumni Magisterii civilis titulum, aliudve simile, pro eorum aptitudine, assequi deberent.

Sacrae Theologiae cursus quinque annis constare expedit, deinde vero per integrum annum scholarem studio et praxi praedicationis homileticae et disciplinae Pastoralis alumni vacent.

His omnibus expletis, antequam levitae ad Sacros Ordines accedant, convenienter convivere deberent cum sacerdotibus quibus spatio duorum vel trium annorum in praxi paroeciali ministrarent.

Inde alumni, provectiores, melius instructi ac praxis pastoralis non ignari, sacerdotes instituerentur cum solidiore spe felicis successus in ministerio animarum dum forte magna ex parte vitarentur neosacerdotum spiritus defectiones quas nimia iuventus simul et inexperientia secum fert.

Magistri Philosophiae Scholasticae et Sacrae Theologiae principiorum ac veritatum immutabilium systema cohaerens alumnis tradere curent, dum quaestiones abstrusas, quae acriter inter varias scholas disputantur, vel ex integro negligant vel ad summum breviter et per transennam enucleare conentur.

Maximi interest si alumni Theologiae assuescant usui directo fontium et auctorum maioris notae; v. gr. Novi in primis Testamenti, operum selectorum, vel saltem fragmentorum, SS. Patrum, Summae Theologicae S. Thomae necnon ipsius Commentariorum quorumdam Sacrae Scripturae Librorum, documentorum denique Romanorum Pontificum.

In Sacrae Scripturae expositione urget magistros rationem tractandi sequi iuxta placita et normas iteratas Romanorum Pontificum, vel maxime Pii XII, felicis recordationis, in Litteris Encyclicis *Divino afflante Spiritu,* qui omnes uno ore praescribunt, unum nempe praecipuum prae oculis habendum, exponere Sacrorum Librorum sensum theologicum.

Quod ut consequatur, si opus fuerit, vel aliae disciplinae methodologicae praebeantur, vel ratio docendi aliquomodo mutetur, vel paradigmata disciplinarum in Universitatibus vel Superioribus Institutis ordinentur, hoc unum prae oculis habitum, alumnos ita instituere ut

dum solidae investigationis capaces reddantur prudenti etiam idoneitate in Seminariis et Sacram Theologiam et Scripturam Sacram cum fructu exponere valeant.

VI. *De Liturgia*

Sacramentorum administratio et Ritualis Romani Benedictiones lingua vernacula cuiusque ditionis impertiri expedirent.

Iam vero in Missae Sacrificio solummodo prima pars, scilicet catechumenorum, et ultima ab antiphona « Communio » lingua vernacula recitari deberent.

VII. *De Apostolatu Laicorum*

In praesenti rerum conditione, prout iterato Romani Pontifices docuere, maximi momenti simul ac necessarium est Sacram Hierarchiam pro operibus apostolatus laicos cooperatores adhibere.

Ideoque fidelium, sive mens rite et adaequate instruenda pro munere ipsis commendando, sive vita spiritualis sedulo colenda, imprimisque eorum fovendus amor erga Sanctam Ecclesiam ita ut et tantae Matris et proximorum profectui se animi magnitudine et firmitate, prout opus sit, devovere valeant.

Praedictis fidelibus, tam in expositione homiletica Verbi Dei, quam in exercitiis vel secessibus spiritualibus, ac in brevioribus curriculis quae pro eorum ampliore instructione ordinantur, argumenta praebere necesse est primitus et directe desumpta ex Sanctis Evangeliis, ex Divino Paulo, ex operibus S. Augustini, S. Thomae Aquinatis, et scriptorum spiritualium primae notae, puta S. Ioannis a Cruce, Sanctae Theresiae a Iesu, etc.

Laici vero qui praestant ingenio et institutione monendi ut velint, pro ipsorum variis adiunctis, talem vitae rationem sequi quae maxime profutura diffusioni Evangelii existimetur; v. gr. si magisterio, si periodismo, si cinematographo, si radiodiffusioni, si televisioni, si actioni sociali vel politicae se dicent.

Quod ut ad exitum perveniat maxime creare proderet Scholas vel Instituta specialia in quibus laici praelaudati congruam institutionem technicam assequerentur.

Tandem sedulo hortandi catholici qui opibus gaudent ut operam dent institutionibus (vide exempli causa *Editorialis Catholica* Matriti in Hispania), quae Sacrae Hierarchiae, pro ipsius influxu apostolico in societate necnon pro diffusione Evangelii, aptissima media praebere contendant.

Supervacaneum existimo pro praesenti laudibus efferre maxima beneficia inde orienda, si periodicae publicationes, stationes radiophonicae

vel televisionis, cinematographa, etc., fideliter veritati catholicae deservirent.

Ideo catholici divites iterum iterumque monendi de gravi qua tenentur obligatione cooperandi cum Ecclesia caritate magnanima, ac sedulo erudiendi circa mirificos fructus talium Institutionum, sive nationales sint sive internationales, cum ope earum Ecclesia in promptu habet instrumenta diffusionis hodierna.

Hi denique catholici certo sciant se tandem aliquando verba Christi audituros quibus Dominus industriam servi, qui quinque talenta acceperat, laudavit.

Quae praecedunt, ad Eminentiam Tuam mittere mihi iucundissimum est; eaque benevolenti animo accipere faveas.

Dum instanter Deum Virginemque Matrem pro felici successu proxime futuri Concilii adprecor grata hac opportunitate arrepta, mihi maxime cordi est Sacram Tuam Purpuram uti humillimus servus deosculari.

Eminentiae Tuae Reverendissimae addict.mus dev.mus, in Domino,

✠ Aemilius Benavent Escuín
Episcopus tit. Cercinitanus

67

Exc.mi P. D. MICHAËLIS NÓVOA FUENTE
Episcopi tit. Chytriensis, Auxiliaris Compostellani

Compostellae, die 25 augusti 1959

Em.me ac Rev.me Domine,

Infrascriptus, Michaël Nóvoa Fuente, Episcopus Titularis Chytriensis, Auxiliaris et Vicarius Generalis Em.mi ac Rev.mi D. D. Ferdinandi Card. Quiroga Palacios, Archiepiscopi Compostellani, in Hispania, rescribens, maxima con reverentia et obsequio, ven. Litt. Eminentiae Vestrae, quibus desiderat opiniones et sententias cognoscere in ordine ad futurum Concilium Oecumenicum quod paratur, communicare audet, reverenter et coram Deo, sua consilia et vota, si quid utilitatis afferre poterit pro memorati Concilii argumentis adparandis.

1. Atheismi, Communismi et Positivismi moralis damnatio.

2. Catholicae doctrinae de matrimonii finibus definitio. Damnatio foecundationis artificialis.

3. Doctrinam circa errorem communem clarius declarare.

4. Supprimere ius praesentandi ad beneficia ecclesiastica, quod privatis competit.

5. Supprimere, vel saltem ad breviorem formulam reducere, Iusiurandum Antimodernisticum (Motu Proprio *Sacrorum Antistitum,* 1 septembris 1910).

6. Reducere recitationem Divini Officii in favorem eorum qui ministeriis apostolatus operam navant.

7. Magis magisque inter sacerdotes spiritum sacerdotalem fovere et urgere, spiritualibus exercitiis singulis annis, consuetudine vitae communis, in quantum fieri possit, aliisque mediis, etiam extraordinariis.

8. Usum habitus clericalis pro viribus urgere, et religiosis viris prohibere usum habitus cleri saecularis, absque licentia Ordinarii loci in singulis casibus et de consensu Superioris Regularis.

9. Selectionem et institutionem candidatorum ad Seminaria, maxima sollicitudine ac diligentia curare, prout specialia temporum adiuncta suadent.

10. Ad formulas breviores reducere multa quae in libris liturgicis continentur.

11. In Iure poenali, reducere censuras latae sententiae.

12. Ordinariis loci facultatem concedere dispensandi ab impedimentis gradus minoris.

13. Supprimere impedimentum criminis « inter eos qui, perdurante legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt, si fidem sibi mutuo dederunt de matrimonio ineundo » (can. 1075 § 1).

14. In nova quae paretur *Codicis Iuris Canonici* editione, colligantur omnia quae iure iam vigent circa Instituta Saecularia, Actionem Catholicam, opera apostolatus, etc. In genere, totam legislationem canonicam circa fidelium Associationes denuo perficere et ordinare.

Ad osculum Sacrae Purpurae, Eminentiae Vestrae Reverendissimae

humilis et devotissimus servus

✠ MICHAËL NÓVOA FUENTE
Episcopus tit. Chytriensis

68

EXC.MI P. D. MATTHAEI MÚGICA Y URRESTARAZU
Episcopi tit. Cinnaei

Zarauz, 22 iulii 1959

Em.me ac Rev.me Domine,

Recepi litteras Vestrae Em.mae Rev.mae signatas — Prot. N. 1 C/59-2352 — relativas ad proximum Concilium Oecumenicum ab Augusto et Supremo Pontifice, nobis dilectissimo, Papa Ioanne XXIII et qua par est reverentia ac devotione breviter liceat mihi aliquas significare observationes.

Dixi breviter, nam, si Deus dignatur conservare vitam meam usque ad 21 diem septembris immediati, numerabo 89 annos vitae meae; insuper laboro absoluta caecitate et nihil possum legere, nihil possum scribere.

Itaque facio gressum ad rem de qua agitur.

Ecclesia Catholica Apostolica Romana. Cum diaphanum et certissimum sit nobis extra hanc Ecclesiam non posse per se dari salutem, quamvis, scimus Deum piissimum et misericordem esse et futurum esse semper erga eos qui bona fide in falsis religionibus et sectis honestam vitam agant, meo humili iudicio, credo opportunissimum fore innuere quomodo possibile sit et fiat ut Episcopi, Pastores, etc. ecclesiarum dissidentium in erroribus perseverent et perseverare faciant in erroribus laicos suae falsae « Ecclesiae » post tot saecula verae Ecclesiae Apostolicae Romanae semper semperque triumphantis et superantis crudelissimas persecutiones.

Similiter opinor magni momenti esse obtinere formales retractationes de illis qui, cum baptizati essent in vera Ecclesia Catholica, postea aberrantes a via recta, in lucem ediderunt scripta et libros contra veram Ecclesiam, et multoties ausi sunt etiam errores haereticos spargere contra sacratissima dogmata nostrae Religionis. In Hispania decesserunt a vita Ortega Gasset, qui dicebat et profitebatur « philosophus », et Dr. Unamuno, Rector Universitatis civilis Salmaticae, primus in suis scriptis et libris edidit in lucem doctrinas heterodoxas quadam cum discretione; alter saturavit opera aliqua sua multis affirmationibus haereticis; et unus et alter in suprema hora mortis, neque antea, cum essent correpti gravi infirmitate, nullam retractationem dederunt pro reparando scandalo in

tota Hispania diffuso et cognito. Hac de causa multi iuvenes dantes operam studiis hodie in Universitatibus civilibus Hispaniae legunt, defendunt supradictos philosophum et rectorem: magna est confusio praesertim apud iuvenes qui peragunt studia in dictis Universitatibus civilibus; oportet itaque urgere in Concilio Oecumenico necessitatem reparationis in illis et simillibus casibus.

De disciplinae observantia in Seminariis et Domibus Religiosis

Certum est Episcopos et Superiores Religiosos praescribere regulas prudentes et sapientes ad servandam disciplinam in Seminariis et in Domibus religiosis. Dum nos fuimus alumni in Seminario, nobis saepe repetebant et Rectores et Directores spirituales — qui spernit modica, paulatim decidet — et si non semper, fuimus fideles in praxi et in disciplina servanda, tamen, in ore nostro non resonabat murmur adversus et contra illud sapientissimum consilium: iuventus actualis haud raro cogitat et verbis significat quasdam regulas de disciplina in praedictis domibus esse minutias quae componi et compati non possunt cum iuribus hominis cum libertate et dignitate personae; itaque non erit extra locum Concilii Oecumenici aliquid innuere et praescribere de hac re.

Plebs quoque christiana compulsa hoc ictu subversionis, congregata sive in locis operi vel labori dicatis, sive in tabernis, etc, audet loqui minus reverenter de clericis, de religiosis et de hierarchia sacra in genere.

Dantur etiam aliae multae et graves quaestiones sociales, id est, — quaestio social — (quae ut cancer grassatur et serpit), usus linguae vernaculae ad instructionem religiosam in regionibus quae utuntur hac lingua, sed de his rebus certe loquentur Patres in Concilio Oecumenico et praesertim harum solutio et definitiva sententia soli Romano Pontifici reservatur.

Quoad me attinet, humili prece rogabo Deum et Iesum Christum D. N. ut Christi Vicarius, Ioannes Papa XXIII lucretur exitum triumphalem in proximo Concilio.

Subscribo his litteris in oppido, vulgo, Zarauz dicto (provincia de Guipúzcoa, in Hispania), animadvertens non signare sigillo quia ex die qua renuntiatus sum episcopus titularis in Cinna, non utor sigillo.

Deosculando devote sacram purpuram Vestrae Em.mae Reverendissimae, placet mihi repetere Vestrum humilem servum

✠ MATTHAEI MÚGICA Y URRESTARAZU
Episcopus tit. Cinnaeus

69

EXC.MI P. D. MATTHIAE SOLÀ Y FARREL

Episcopi tit. Colophoniensis

Barcinone, 31 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Acceptis debito obsequio Litteras Eminentiae Vestrae sub numero Prot. 1 C/59-2368 datis, in quibus meum expostulat votum circa res et argumenta quae tractari poterunt in futuro Concilio Oecumenico, pergratum mihi est significare forsan Ecclesiae animarumque bono profuturum esset definire quasdam quaestiones respicientes ad

— Breviarii et Missalis reformationes;

— linguae vernaculae usum in liturgia Missae;

— novam ordinationem collationis et exercitii Diaconatus necnon ordinum minorum, praesertim Lectoratus et Acolithatus;

— quarumdam formarum cultus revisionem, pro territoriis missionum, attenta singulorum populorum peculiari cultura;

— rationem pastoralem agendi quoad sacramentorum administrationem, praesertim in locis vulgo dictis « dechristianizatis » necnon in territoriis missionum;

— adaptationem Seminariorum et institutionem pastoralem clericorum, attentis hodiernis adiunctis;

— revisionem structurae paroecialis, praesertim ruri et in magnis civitatibus;

— indolem theologico-iuridicam apostolatus laicorum;

— cooperationem inter clerum regularem et saecularem;

— sacerdotum saecularium consociationes varios ob fines;

— iustitiae administrationem, praesertim quoad causas ad matrimonium spectantes.

Interim in sacrae Purpurae osculo summae existimationis praemisso testimonio sum ac persisto addictissimus humillimus servus verus,

✠ MATTHIAS SOLÀ Y FARREL
Episcopus tit. Colophoniensis

70

Exc.mi P. D. LAUREANI CASTÁN LACOMA

Episcopi tit. Dalisandeni in Isauria, Auxiliaris Tarraconensis

Tarracone, die 25 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Honor mihi est mittere Eminentiae Vestrae Reverendissime, ut melius iis quae petuntur in litteris diei 18 iunii praesentis anni 1959 (Prot. N. I C/59-2650) satisfaciam, nonnullas animadversiones et propositiones circa proximum Concilium Oecumenicum, ex quibus aliae spectant ipsum Concilium, aliae quaedam doctrinae capita, aliae rem disciplinarem, aliae, tandem, actionem apostolicam.

Deprecor Eminentiam Vestram ut in illis videre dignetur tantum vehemens desiderium quo afficior conferendi meum quamvis exiguum laborem pro felice exitu huius magni operis quod aggressus est Ioannes Papa XXIII, quem Deus diu sospitem servet.

Interim fausta quaeque adprecor Eminentiae Vestrae Reverendissimae cuius sacram purpuram humillime deosculor.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimus in Domino

✠ Laureanus Castán Lacoma
Episcopus tit. Dalisandenus in Isauria
Aux. Tarraconensis

I. *Circa ipsum Concilium*

1. Lingua latina tantum sit « officialis » in proximo Concilio, tam ratione traditionis (ita enim a Conc. Lateranensi I semper factum est) quam ratione universalitatis, vi cuius nulla natio erit neque privilegiata neque neglecta, et nullus nationalismus seipsum considerare poterit vulneratum. Attamen, si inter Patres, maxime orientales, aut « observatores » sunt qui lingua latina commode uti non valent, sit pro ipsis servitium traductionis seu versionis simultaneae. Acta publicentur, si id expedire videatur ne Orientales Ecclesiae quaerimoniae pretextum habeant, tum in texto officiali latino tum in versione officiali graeca aut slavonica.

2. In Concilio quaestiones dogmaticae et disciplinares tractentur simul, id est, aut alternis sessionibus aut ita ut in unaquaque sessione sit pars doctrinalis primum et postea pars disciplinaris.

3. Tum ratione temporis transacti ab ultima sessione Concilii Vaticani (fere saeculum), tum propter plures Summos Pontifices qui ab illo tempore exstiterunt, proximum Concilium consideretur novum Concilium, non prosecutio Vaticanae Synodi.

4. Quantum fieri possit, rerum tractandarum ordo ac ipsorum decretorum schemata praeparentur ante ipsum Concilium, prae oculis habitis iis omnibus votis, animadversionibus, desideriis, propositionibus quae ab Episcopis ac futuris Patribus propositae fuerint. Ita fiet ut maiore celeritate et minoris temporis absentia Patrum a suis sedibus totum Concilii negotium expediri valeat.

II. *Circa doctrinam et dogmata*

1. Nihil obstantibus iis quae supra dicta sunt, numero 3, materies decretorum doctrinalium complectere debet duplicem illam partem quam habuit Vaticana Synodus, scilicet, aliam contra errores hodiernos, aliam circa Ecclesiam. In prima condemnari debent recentiores errores qui periculum pro christifidelium orthodoxia constituere possunt; in altera proponi debent ea doctrinae capita circa Ecclesiam quae nunc adhuc desiderantur.

2. In prima parte, scilicet, in illa quae hodiernos errores spectat:

Condemnetur existentialismus materialista et atheus.

Damnetur spiritismus cum theosophismo, propter maximam diffusionem et periculum inde ortum in America Meridionali.

Iterum condemnetur communismus propter eius atheismum, materialismum dialecticum, doctrinam de pugna classium, negationem iuris proprietatis ac immanem conculcationem iurium fundamentalium personae humanae, quapropter iterum atque iterum intrinsece perversus declaretur.

Ne, autem, modo tantum negativo contra communismum procedatur, exponatur positive doctrina catholica circa quaestionem socialem (quod fiet prima vice in aliquo Concilio Oecumenico), et peccata praecipua quae in hac re patrari possunt, sive contra iustitiam commutativam sive contra iustitiam socialem, exponantur ac damnentur ut moralistae ac confessarii in hac complexa materia doctrinam firmam in qua fundentur habeant.

Anathematizentur et formaliter reprobentur nonnullae sectae ultimis temporibus a protestantismo ortae, velut « Testes Jehova », « Adventi-

stae ultimae diei » etc. propter ipsarum maximam malitiam, absurditatem, perversitatem, reticitis tamen, forsan, eorum nominibus.

Rursus hortentur catholici, sicut in Encyclica « Humani generis » factum est, ut reiciant et vitent novitates in re doctrinali, et dentur normae concretae ad hoc ut iste agendi modus nullo modo noceat legitimae investigandi libertati.

3. In altera parte, id est, de Ecclesia, exponatur recta doctrina de intima ac supernaturali constitutione Ecclesiae, de eius mysterio, vi cuius est corpus Christi mysticum, ideoque longe transcendit omnes alias humanas societates.

Proponatur pariter genuina doctrina circa laicos in Ecclesia, tum in parte positiva, vi cuius laici sunt vere membra Ecclesiae cum omnibus iuribus et officiis quae inde sequuntur, tum in parte negativa ut vitentur quaedam deviationes « laicismi » vel « saecularismi » exagerati qui hodie in Ecclesia serpent.

Ut melius « positio », ut dicunt, laicorum in Ecclesia iuxta verbum Dei revelatum intelligatur, proponatur recta doctrina circa sacerdotium fidelium ut hi suam magnam dignitatem agnoscant et terminos huius realitatis excedere non praesumant.

Iterum proponatur recta doctrina catholica circa relationes inter Ecclesiam et Statum contra theorias nonnullorum auctorum qui, modo magis vel minus velato, doctrinam Pii Papae IX in « Syllabo » ac Leonis XIII in suis encyclicis antiquatam et reiciendam asserunt.

Clare proponantur principia circa Ecclesiae unitatem, iuxta Christi doctrinam; ardentibus verbis exponatur quo modo cum Christus tum Ecclesia Catholica cupiant ut omnes qui ab unitate recesserunt ad unitatem redeant; omnes ecclesiae separatae iterum atque iterum ad unionem invitentur et clare a Concilio indicetur quid, ad hanc unionem fovendam, liceat quid vero nefas sit.

III. *Circa disciplinam cleri et populi christiani*

A) *Clerus saecularis. a*) Seminaria.

1.Inserantur in novo Codice Iuris Canonici praecipuae normae circa Seminaria ultimis temporibus datae a Romanis Pontificibus et Dicasteriis romanis, et urgeatur vehementer plena et exclusiva dedicatio Seminario ex parte eorum sacerdotum qui in his institutionibus Rectoris ac Moderatoris spiritus munere funguntur.

2. Vehementius exigatur ac urgeatur studium ac praxis linguae latinae in Seminariis et Universitatibus Ecclesiasticis (et in ephemeridibus

clericalibus) ut sit vere magis in dies, de iure et de facto, vinculum unionis inter omnes clericos omnium nationum terrae.

3. Maximo nisu ac omnibus mediis possibilibus vitetur ut Universitates Ecclesiasticae, pro clericis qui in illis studio vacant, sint occasio dissipationis ac fomentum amoris proprii, vi cuius multi « quaerunt quae sua sunt, non quae Iesu Christi » (*Philip*, 2, 21), quod, proh dolor, nonnumquam contingit; e contra, maxima cura habeatur ut sint causa maioris fervoris et plenae dedicationis servitio Ecclesiae, ut tales clerici exemplum sint et stimulus pro caeteris in propriis dioecesibus. Haec ut assequi valeant: 1) exigatur in Collegiis in quibus Universitatum alumni commorantur altior gradus vitae spiritualis et observetur stricta, quamvis rerum adiunctis accomodata, disciplina; 2) simul cum studio quaestionum speculativarum coniungatur studium Theologiae spiritualis ac diversarum disciplinarum quae ad rem pastoralem pertinent.

4. Aliqua opportunitas detur ut Seminariorum alumni qui Universitates adire nequeunt, saltem ii qui clariore intellectu sunt praediti, licentiam in Sacra Theologia obtinere valeant in proprio Seminario. Multi ex his, propter difficultates oeconomicas in Seminario permanere coguntur, quamvis superent aut saltem adaequent illos qui in Universitates mittuntur aut sponte eunt; unde fit ut hi quamdam « capitis diminutionem » coram populo et ipsa lege Ecclesiae patiantur. Estne hoc aequum ac conveniens pro Ecclesiae utilitate?

Conditiones quibus remedium his rerum adiunctis praeberi posset sunt forsan hae: 1) hi alumni qui ad examen « ad licentiam » admitti possunt sint tantum illi qui elevatum gradum medium qualificationum in proprio Seminario singulis annis obtinuerint; 2) adsit numerus sufficiens « doctorum » inter Professores cursus Theologici Seminariorum; 3) fiat examen ad licentiam, expletu cursu theologico, coram tribunali in quo adsint aliqui doctores Magistri in aliqua Universitate et alii doctores ex magistris Seminarii in quo alumni studia peregerunt.

5. Addatur Codici Iuris Canonici, saltem tamquam desideratum aut modo hortatorio, institutio Post-Seminarii in unaquaque dioecesi, et indicentur delineamenta generalia huius novi Instituti ecclesiastici.

b) Sacerdotes.

6. Aperiatur via canonica, debitis cum cautelis et conditionibus, pro consociationibus sacerdotalibus, maxime pro his quae sacerdotalem perfectionem ac spiritualem vitam fovere satagunt.

7. Officia illa circa pietatem quae sacerdotibus in canone 125 imponuntur « in obliquo » (« Curent locorum Ordinarii ut clerici ... ») imponantur « in recto », ut melius ab ipsis exigi valeant.

8. Adiiciatur in novo Codice obligatio pro sacerdotibus peragendi

spiritualem secessum singulis mensibus, saltem cum clausula huic simili: « si absque gravi incommodo fieri potest », aut « modo et loco ab Episcopo designato », etc.

9. Obligationi confitendi peccata frequenter (can. 125 § 1) adiungatur saltem exhortatio habendi « directorem spiritualem » aut « moderatorem spiritus » pro sacerdotibus. Hucusque nihil hac de re in Ecclesiae legibus dictum est.

10. Instituatur in unaquaque dioecesi officium moderatoris spiritus sacerdotum, cui committatur directio recessuum spiritualium in locis et temporibus ab Episcopo designatis et praxis directionis spiritualis eorum sacerdotum qui id sponte ab illo petant.

11. Rursus affirmetur et vehementer laudetur, ut os obstruatur eorum qui hodiernis temporibus de sacerdotum coniugio saepe loquuntur, lex de ecclesiastico caelibatu pro his qui maiores ordines suscepere, quippe quae respondeat optime tum munditiei et puritati quam exigit sacerdotium, tum apostolicae libertati quam praecones Evangelii habere debent.

12. Ut melius vitentur scandala quae ex defectu spiritus sacerdotalis aut ex inobservantia castitatis aliquando populo christiano dantur, facilior sit sacerdotum reductio ad statum laicalem, cum onere servandi castitatem. Idem fieri liceat in illis casibus in quibus liquido constat sacerdotem omnino amisisse spiritum ecclesiasticum. Hoc consideretur non tamquam poena delinquenti inflicta, sed tamquam remedium pro Ecclesia.

13. Foveatur magis in clero praxis vitae communis, precipue inter sacerdotes iuniores et eos qui aliquo modo pertinent ad Post-Seminarium. Dum in Seminario sunt, alumni praeparentur et excitentur ad hanc vitam communem. Sacerdotes iuniores ab Episcopo ad hanc vitam communem possint obligari per aliquot annos.

14. Maxime haec vita communis inter parochum ac eius vicarios commendetur ac faveatur. Tamquam principium statuatur illum parochum qui molestias ex vita communi cum vicariis forsan ortas suscipere renuit dignum non esse ut ei vicarius detur.

15. Erigantur in capite dioeceseos et in magnis urbibus domus pro suscipiendis sacerdotibus peregrinis aut itinerantibus et eos qui Praesulem visitandi aut negotia ecclesiastica in Curia expediendi gratia episcopalem urbem petunt. Quo facto, prohibeatur quominus sacerdotes apud communes itinerantium domos hospitentur.

16. Exercitia spiritualia sacerdotes peragere debeant singulis annis aut saltem singulis bienniis. Id exigit vita spiritualis sacerdotum et exemplum nonnullorum laicorum piorum qui ita agunt.

B) *Circa religiosos.*

17. Limitentur exemptiones Ordinum et Congregationum religiosorum ad vitam spiritualem et internam disciplinam intra domus eorumdem ac oratoria privata ipsorum. Quaecumque autem, spectant oratoria ac Ecclesias quae a fidelibus frequentantur, necnon ad apostolatum externum, subiiciantur vigilantiae ac visitationi Episcopi, cui committitur cura totius populi fidelis.

18. Ad hoc ut maior sit unio ac intimior cooperatio inter clerum saecularem et regularem, et inde maior efficacia actionis apostolicae obtineatur, tamquam norma generalis habeatur omnes religiosos quorum Ecclesiae patent fidelibus teneri gerere in ipsis curam animarum si Episcopo id necessarium aut valde utile visum fuerit.

19. Saltem pro Congregationibus feminarum sanctimonialium aut religiosarum quae in posterum fundentur imponatur habitus communis in quo simplicitas cum gravitate consocientur. Distinctivum pro unaquaque Congregatione sit signum aliquod parvum (numisma, emblema, etc.) quod communi habitui superaddatur.

C) *Circa Instituta Saecularia.*

20. Addantur novo Codici Iuris Canonici tota Ecclesiae legislatio circa Instituta Saecularia, prae oculis habitis his omnibus quae experientia ultimorum annorum suadeant. Dicatur utrum et quibus conditionibus sacerdotes saeculares dioecesani talia Instituta ingredi valeant, et in hac hypothesi, quaenam esse debeant inter talium Institutorum Superiores et Episcopum relationes.

D) *Circa laicos.*

21. Inserantur in novo Codice Iuris Canonici quaecumque spectant Actionem Catholicam et modo firmo stabiliantur leges fundamentales ipsius, ut vitari valeant confusiones et instabilitas quae oriuntur ex crebris mutationibus in structura Actionis Catholicae.

22. Multae sunt Consociationes quae « actio catholica » vocari desiderant, paucae vero, quae vere directioni sacrae Hierarchiae immediate subiici patiantur. Determinetur, ergo, a Concilio quaenam concretae conditiones submissionis et dependentiae a Hierarchia requirantur in genere ut quaelibet consociatio apostolica laicorum « actio catholica » merito appellari valeat.

23. Modo claro statuatur, ita ut nullus remaneat locus confusioni aut ignorantiae, omnes omnino consociationes laicorum quae apostolatum externum exercent, in his quae ad hanc externam actionem apostolicam spectant, penitus subiectas esse Ordinariis locorum et iis competere normas pro ipsarum actione et coordinatione dare.

24. Modo claro et sollemni commendetur christifidelibus, maxime mulieribus, modestia christiana in habitu et in moribus. Simul declaretur haec non esse contra legitimas acquisitiones modernae civilizationis, sed contra materialismum et modernum paganismum qui hanc civilizationem invadere conatur.

25. Ut magis haec modestia christiana foveatur in feminis, exigatur ab ipsis usus veli in capite prout Paulus docuit (*I Cor.* 11, 5) et Ecclesia praecipit (can. 1262), et non permittatur usus contrarius.

E) *Circa Sacramenta.*

26. Reducatur numerus reservationum censurarum et restringatur reservatio peccatorum in confessione.

27. Aetas pro ordinatione presbyterorum sit 25 annorum, et non dispensetur infra 24 annos. Pro ordinatione admittatur tamquam titulus primarius « Servitium dioecesis », « missionis » aut « ecclesiae ». Neque praesens status Ecclesiae, neque legislatio canonica circa Seminaria, neque spiritus maximae partis eorum qui ad sacros ordines accedunt, permittunt ordinationem ad titulum beneficii aut patrimonii. Cur hi tituli praeferri debent titulo « servitii dioecesis, ecclesiae aut missionis »?

28. Videatur utrum expediat tollere impedimenta cognationis spiritualis et legalis.

F) *Circa beneficia.*

29. Perficiatur ac spiritualizetur magis legislatio circa beneficia ecclesiastica, auferendo vestigia quae adhuc remanent ex iure germanico. Prout res nunc iacet, beneficia potius videntur instituta ad commodum privatorum quam ad utilitatem Ecclesiae. Maxima inaequalitas existens inter diversos beneficiarios est nonnumquam exasperans. In quibusdam civitatibus sunt paroeciae quarum fructus sunt maximi, et in eadem dioecesi sunt aliae paroeciae rurales sitae in montibus in quibus parochi vix decenter vivere valent. Immo, in iisdem civitatibus sunt aliquando, simul cum paroeciis opulentibus, aliae sitae in partibus suburbanis in quibus fructus pro parocho exigui sunt dum e contra indigentia multorum paroecianorum cui parochus subvenire debet, maxima est. Idem dicatur in aliquibus locis de canonicatibus. Nonne doctrina socialis Ecclesiae in his casibus applicari decet ad maiorem charitatem inter clericos fovendam et ad uberiorem fructum in apostolatu exercendo?

30. Auferatur omnino ius patronatus, saltem quoad ius praesentandi sacerdotes pro beneficio obtinendo, a laicis. Hoc ut obtineatur fiat primo invitatio ad renuntiationem iis laicis patronis de quibus suspicio adsit possidere tale ius; si renuntiare renuant exigatur ab ipsis documentalis et stricta probatio de existentia talis iuris patronatus; si autem pro-

batio non sit plena declaretur inexistentia talis iurispatronatus; si autem sit plena offeratur patronis aliqua compensatio, etiam oeconomica ex bonis beneficii, et, sicut fit in casibus expropiationis propter bonum publicum, declaretur extinctum ius patronatus in singulis casibus.

31. Revisioni subiiciatur lex canonica de inamovibilitate parochorum et de concursu maxime generali pro paroeciarum provisione. Praesens disciplina estne illa quae magis convenit pro bono animarum ac dioeceseos regimine et gubernatione?

G) *Circa Episcopos et Dioeceses.*

32. Clare indicetur in Concilio aut in novo Codice Episcopos ius habere servandi Sacram Eucharistiam in propriis sacellis. Quod conceditur domui religosae tribus sororibus constanti, negabitur Episcopo qui, aliunde caret ea libertate quam habent saeculares pro visitandis ecclesiis?

33. Actualis praxis de conferentiis Episcoporum suffraganeorum cum Metropolita, ac de Conferentiis metropolitarum uniuscuiusque nationis fiat lex canonica modo sollemni condita.

34. Lex pariter feratur de organizatione Episcoporum in singulis nationibus, in qua statuatur quinam sit primas ut alios convocet et praesit, indicentur « Episcopales commissiones » pro diversis negotiis, munera et iura Episcopi Secretarii Episcopatus exponantur ac relationes horum coetuum cum Nuntio ac Sede Apostolica clare explicentur. Per hanc organizationem oportet ut hierarchia ecclesiastica quae sub respectu nationali infirmior est quam auctoritas civilis — remoto tamen quolibet periculo nationalismi aut regalismi — novum acquirat roborem ac firmitatem.

35. Canones de synodis dioecesanibus celebrandis urgeantur ut in praxi deducantur, et indicetur harum synodorum munus esse non tantum leges ferre sed etiam totam vitam religiosam dioecesis stimulare, actionem pastoralem promovere et sacerdotum sanctitatem fovere.

36. Senatus Episcoporum, nempe, capitula Cathedralia eorumque organizatio ac functiones diligenti examini subiiciantur. Sicut nunc sunt, cum tot dispensationibus et exiguo fructu in splendore cultus divini, digni sunt ut pergant existendo sine profunda ipsorum transformatione?

37. Sicut nunc adest « officialis » qui Episcopum adiuvat in re iudiciali et « Vicarius Generalis » qui Praesulem iuvat in dioecesis administratione, fas sit Episcopis designare aliquem sacerdotem Delegatum cum potestate ordinaria simili illi quam habent Vicarii Generales pro Actione Catholica et apostolatu tam saecularium quam sacerdotum stimulando, promovendo, fovendo.

38. Liceat diocesibus — salva et integra manente auctoritate Sanctae Sedis circa ea omnia quae missiones apud infideles spectant (can. 1350

§ 2) — partem activam habere in his missionibus. Hoc multiplici modo fieri potest, sive conferendo alicui dioecesi tutelam oeconomicam et spiritualem alicuius territorii, sive committendo clero eiusdem dioecesis regimen et curam alicuius missionis. Ne molestae « interferentiae » adsint inter Episcopum et S. Cong. de Prop. Fide, relationes inter Episcopum et S. Congregationem sint eaedem quae sunt inter Congregationem aut Provinciam religiosam cui Missio committitur et praedictum Dicasterium. Episcopus tutelam missionis suscipit ac numerum sufficiens sacerdotum offert, ex quibus S. Congregatio aliquem eligit ut sit Vicarius aut Praefectus apostolicus, et omnes hi sacerdotes directe pendent a Sacra Congregatione.

IV. *Actio apostolica*

1. Praecipiatur ut clerus uniuscuiusque civitatis aut vicariatus foranei constituat « unitatem » seu « communitatem » laboris pastoralis in communi; ut hic finis obtineatur habeantur periodice sacerdotales conventus in quibus actio communis studio subiiciatur. In his conventibus fas sit quaedam statuere quae, Episcopo approbante, vim obligandi omnes parochos habeant.

2. Concedantur parochis, missionariis, moderatoribus Exercitiorum spiritualium eae facultates quae per privilegium habent quaedam Congregationes Religiosae, aut per rescriptum sacerdotibus conceduntur, et spectant bonum spirituale fidelium, exempli causa, Rosaria B. M. V. benedicere, etc. Nunc videtur concedi magis ad honorem talis sacerdotis aut Ordinis quam ad bonum populi christiani, ac speciem induunt cuiusdam monopolii. Saltem Ordinario loci concedatur facultas conferendi parochis etc. has potestates.

3. Circa Pastoralem, quam dicunt, Liturgicam, et usum linguae vernaculae in actibus liturgicis, dentur normae firmae ac stabiles quibus finis imponatur tot disputationibus ac diversis usibus qui nunc sunt.

4. Promulgetur, pro administratione sacramentorum, Rituale bilingue pro tota ecclesia, indicando scilicet in editione latina quaenam lingua vulgari in toto orbe terrarum dici possint, ut ex una parte respondeatur exigentiis pastoralibus curae animarum et ex alia parte servetur ubique necessaria unitas.

5. Iubeatur ut fiant catechismi unici pro singulis linguis ubique terrarum, quibus liceat in unaquaque natione addere appendicem si id Episcopis visum fuerit.

6. In unaquaque natione, inter coeteras Episcopales Commissiones, adsit una pro re pastorali fovenda.

7. Pro catechismo aut praedicatione catechetica adultorum fiat in unaquaque natione themarium seu elenchus schematum quem omnes parochi sequi teneantur, salva auctoritate Episcoporum indicandi pro aliquibus diebus thema speciale. Haec themata ita conficiantur ut quattuor annis tota catholica doctrina absolvatur et quinto anno denuo explicari incipiat. In his thematibus servetur maxima relatio possibilis inter thema propositum et textum liturgicum uniuscuiusque dominicae aut festi.

8. Instituantur in omnibus paroeciis Opera Missionalia Pontificia et maxime foveatur spiritus missionalis ut omnes sponte et firmiter maximo operi missionali auxilium validum praebeant.

9. Ea quae a nonnullis proposita sunt circa diaconatum quem dicunt « laicalem », qui potius « stabilis » dici deberet, diligenti examini subiiciantur. Si ita Concilio visum fuerit, experimentum fiat in aliquo loco; secus omnino sileant controversiae inutiles circa hanc rem.

10. Maxime foveatur praxis et apostolatus « caritatis », tum in praedicatione et relationibus humanis, tum etiam in christiana bonorum materialium communicatione, ut revera proximi dilectio sit verum christianismi veri signum.

11. Inter officia pastorum animarum, maxime parochorum, includatur saltem per modum consilii et exhortationis onus visitandi singulas paroecianorum domus, singulis annis aut singulis bienniis.

Omnes omnino sacerdotes, maxime vero pastores animarum, claram habeant conscientiam de obligatione quam habent non tantum curam gerendi de illis animabus quae remanent fideles in ovili, sed etiam de ipsis quae in sua paroecia negligunt praxim vitae christianae, aut pertinent ad sectam christianam extra Ecclesiam catholicam aut nondum baptismum susceperunt. Maxime vero curam habeant de iis qui inopia affliguntur aut de operariis qui ab Ecclesiae frequentia recesserunt, tum propter asperrimas vitae difficultates, tum propter laborem inimicorum Ecclesiae.

V. *Nonnulla vota quae rem internationalem spectant*

1. A Concilio maxime reprobentur bella internationalia sine iusta causa et sine debitis conditionibus suscepta, et anathemate ac recordatione severi iudicii Dei terreantur illi qui in christianis nationibus rei publicae praesunt si populum sibi commissum sine causa in bellum praecipitant. Maxime vero reprobetur bellum atomicum, periculum vitae et mortis pro universo humano generi.

2. Curent episcopi, in singulis nationibus, debita prudentia et consiliis collatis cum Sede Apostolica, ut Ecclesia debitam independentiam in re oeconomica a Statu habeat, salvis tamen Concordatibus manentibus.

3. Maxime pro spirituali assistentia christifidelium migrantium ab una in aliam nationem ac eorum qui navibus inserviunt Episcopi vires coniungant cum Episcopis aliarum nationum ut res finem ad optatum perduci valeant.

✠ LAUREANUS CASTÁN LACOMA
Episcopus tit. Dalisandenus in Isauria
Auxiliaris Tarraconensis

71

EXC.MI P. D. EUGENII BEITIA ALDAZABAL
Episcopi tit. Tamiathitani, Coadiutoris c. s. Pacensis

Die 26 augusti 1959

Eminentissime princeps,

Libentissime deferens humanissimae Eminentiae Tuae petitioni pro colligendis sententiis et consiliis de rebus opportune tractandis in futuro Concilio Oecumenico, liceat mihi praeprimis gratum pandere animum Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae ob consultationem peractam, quae maximo mihi est honori.

Quod autem attinet ad « res et argumenta » quae in futuro Concilio tractari poterunt, haec inter alia audeam proponere:

1. Vestigiis inhaerens Sanctissimi Pii Papae XII in Encyclica « Humani generis » n. 23, cuperem in proximo Concilio essentialia Philosophiae Christianae capita enucleari, quae pro intelligentia Theologiae Revelatae necessaria aestimentur.

2. Ut fulgens corona totius doctrinae mariologicae iam definitae, forsitan oporteret ut Concilium de « mediatione universali » B. M. V. et de eius definitione ageret.

3. Ephemerides gallica *Esprit* (octobr. 1949) publici iuris fecit elucubrationem relate ad quaestionem de relationibus Ecclesiam inter et Statum sub titulo « Christianisme et Laicité ». Inter alia ibidem affirmatur « laicitatem Status » esse « iuridicam expressionem libertatis in actu fidei ». Repercussiones huius quaestionis in ferendis legibus fundamentalibus Status moderni sunt plurimae et obviae. Opportunum foret ut vera doctrina, hac in re tenenda, auctoritate Concilii pateret.

4. Attentis allocutionibus pontificiis tam Pii XII, quam Ioannis XXIII fel. reg. quaestio de Actione Catholica est aperta et actualis quam maxime. Rogo reverenter ut haec doctrina et consequens disciplina pressius a Concilio determinetur.

5. Servato linguae latinae usu in essentialibus, tamquam signo unitatis Ecclesiae optarem ut privilegia iam concessa aliquibus nationibus inter quas Hispania invenitur v. gr. in Manuali Toletano, usus linguae vernaculae augeatur tamquam universalis et regulata disciplina.

Faveat Eminentia Vestra impensos animi sensus mei accipere, addictissimi in Domino servi, sacram purpuram deosculantis

✠ EUGENIUS BEITIA ALDAZABAL
Episcopus tit. Tamiathitanus

72

EXC.MI P. D. RAPHAELIS GONZÁLES MORALEJO
Episcopi tit. Dardanii, Auxiliaris Valentini

Valentiae, die 1 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Me admodum iuvat responsum dare litteris diei 18 mensis iunii proxime elapsi, quibus Eminentia Tua, utpote Praeses istius Pontificiae Commissionis, a me rogare dignatur ut quaestiones recenserem ac propositiones quae, apud meam sententiam, prae oculis sint habendae in laboris programmate, pro futuro Concilio conficiendo.

Fas tamen sit mihi Eminentiae Tuae nunc patefacere huiusmodi litteras ad me non pervenisse nisi mense augusto iam decurrente, cum otio extra Dioecesim vacaverim, quamobrem ipsis responsum dare hucusque minime valui, nam res tanta haud immaturam postulabat meditationem et aliorum consilium.

Mihi pergratum nunc est ad Eminentiam Tuam transmittere opiniones illas ac sententias, quas, sancta utens libertate, censeo in futuro Concilio tractari oportere. Ut vero huiuscemodi propositiones facilius manibus habeantur et tractentur, opportunum iudicavi eas in foliis separatis et ordinate transcribendas.

Dumque Deum ferventer adprecor ut conservet ac vivificet Summum Pontificem Ioannem XXIII feliciter regnantem, sibique et Patribus futuri Concilii Sancti Spiritus lumen enixe deposco, Eminentiae Tuae Reverendissimae devotissimum me profiteor in Domino, Sacram Eminentiae Tuae Purpuram deosculans

✠ RAPHAËL GONZÁLES MORALEJO
Episcopus tit. Dardanius
Auxiliaris Valentinus

Praenotanda

Concilium, ad mentem Summi Pontificis Ioannis XXIII, iter ad unionem christianorum adipiscendam aptare debet. Hinc praedicit revisionem ac reformationem eorum omnium quae, intra Catholicam ipsam Ecclesiam, eiusdem vitalitatem possint adaugere, ipsam ad nostri temporis adiuncta aptiorem reddere, ac ita ulterius progredi in optatam unionem.

Concilium, fideliter custodiens ac servans quidquid in Ecclesia — vel iure divino, vel infallibili Supremae Auctoritatis sanctione — nullatenus est mutabile, nonnullas quaestiones de re dogmatica, morali, liturgica ac pastorali, necnon de S. Scriptura ac Iure Canonico, tractandas suscipere debet, ut quaedam clariora reddantur, quaedam autem hodiernis necessitatibus adaptentur.

Argumenta de re dogmatica

a) Est quidem maximi momenti ut ulterius explanetur theologica doctrina de Ecclesia, non tantum quatenus haec est Corpus Christi Mysticum, a Spiritu Sancto animatum, et Gratia, donisque et virtutibus supernaturalibus ornatum, sed potius quatenus est visibilis societas, divino pollens origine.

Hoc in sensu Ecclesia, a Christo instituta, componitur, iuxta Dei beneplacitum, Romano Pontifice, Episcopis, sacerdotibus et laicis.

Doctrina quoad Romanum Pontificem statuta, definitionis ritu, in Concilio Vaticano fuit. Romanus Episcopus Successor Petri est, polletque definitis potestatibus quae infallibilitate coronantur. Nec aliunde theologica doctrina de Sacerdotio desideranda videtur.

At vero statuenda censetur, magna ex parte, dogmatica doctrina quoad Episcopos et quoad laicos.

Quoad Episcopos oportet ut Concilium accurate statuat et vim et amplitudinem illius conditionis qua dicuntur et sunt « Successores Apostolorum »; quibus polleant potestatibus, ut tales Successores; quo sub respectu a Romano Pontifice pendeant; quae officia iure proprio exerceant, sub illius Auctoritate suprema; ac denique devinciantur vinculis Episcopi inter se.

Quoad laicos, qui quidem Ecclesiae pars sunt essentialis, urgenter statuenda censentur fundamentalia delineamenta Theologiae de Laicis, scilicet: qui sit nunc ipsorum in Ecclesia situs et locus, et qui proinde esse debeat ipsorum in eius vita et activitate interventus; quaenam potestates ex Baptismi et Confirmationis charactere stricte enascantur; quo Hierarchiae subdi debeant pacto; quinam sit Actionis Catholicae locus

proprius, quinam autem reliquis laicorum confraternitatibus ac sodalitiis assignandus.

b) Ut via firma dialogo panderetur, non videretur peropportuna exaratio novi cuiusdam dogmatici symboli, in quo summatim recenserentur illa omnia quae ut non mutabilia in dogmate Ecclesia reputat, ac ita patefieret reliqua diversis singulorum opinionibus relinqui?

c) Fundamenta doctrinalia Oecumenismi, et quidem ut ex Ecclesiae doctrina non mutabili eruuntur.

d) Ut evangelicus Ecclesiae labor ad « culturas » diversas diversosque mores gentium quarumcumque, pro quibus peragitur, adaptetur, oportet admodum ut Concilium quaedam statuat principia, quibus reguletur necessaria adaptatio, quibusque efficaciter fulciatur reverentia maxima et honor, erga positiva elementa, quae in tali « cultura » ac moribus reperiatur, habendus.

e) Hac nostra aetate, quae eminenter « socialis » advocatur, opus est abs dubio ut sociale argumentum cuiusque christiani dogmatis, ipsiusque sociale momentum, luculenter signentur.

Argumenta de Sacra Scriptura

Ut in dogmatica, etiam in hac re oportet ut enucleatius examinetur ac statuatur quid sit minime mutabile, quid vero relinqui possit in liberam eorum opinionem, qui huiusmodi studiis vacant.

Desiderantur autem firma et fixa principia ad interpretationem et aestimationem cuiusque Libri et loci Sacrae Scripturae. Nec posthabendum censetur damnum quod imprudens poterit inferre desiderium eorum qui, nimis leviter agentes, de cunctis dubitare audent, quo fit ut passim in mentibus perturbationem gignere soleant.

Sacra Scriptura perfecte innotescere debet, servata proportione, et sacerdotibus, et fidelibus christianis. Quod tamen media exposcit vere efficacia, quorum defectus indubitanter efficit ut nobis sint heterodoxi hac in re superiores.

Argumenta de re morali

Quin parvipendantur moralia praecepta quae ad individuum stricte spectant, reputamus in Concilio prae coeteris signandum fore sociale argumentum legis moralis.

Adsunt problemata quae urgenter accuratiori dispositione indigent, ut v. gr. illa quae respiciunt collectivam imputabilitatem; oboedientiam, tam intra quam extra Ecclesiam; libertatem; personae humanae dignitatem; veritatem ac sinceritatem.

Tractatus de Iustitia et Iure est omnino necessario examinandus et accuratius perspiciendus, rite perpensis recentiorum Summorum Pontificum doctrinis, ac vere consideratis aliarum scientiarum progressibus, quas inter non omittenda Oeconomia, Sociologia, Medicina, Psychologia, etc. Nec aliunde necessitas adaptationis practicae ad problemata technici ordinis, huiusque nostrae aetatis propria, videtur praetermittenda.

Instat arduum quoddam problema, quod re quidem vera ut admodum grave est habendum, quodque urgenter est in Concilio tractandum: illud nempe quod ad ius proprietatis in genere refertur, ac in specie ad ius proprietatis quoad media producendi vi praedita. Congeries ingens huiusmodi mediorum in paucorum manibus — ut sincere credimus — si immensa aliunde conspicitur eorum qui necessaria ad vitam vix assequi valent, non tantum patefacit vim graviter iustitiae inferri — commutativae atque sociali —, sed et explicat, magna quidem ex parte, discessionem ab Ecclesia ingentis opificum multitudinis, immo et detegit cur Marxismus opifices seducat, et plures ex viris qui intellectuales appellantur convincat.

Censemus item necessario examinandum fore problema de usu matrimonii, non quidem in seipso sed quatenus intime coniunctum est cum alio illo problemate de iusta laboris remuneratione. Ipsa societatis existentia pendet ex utriusque observantia legis a Deo impositae et in ipsa hominis natura insculptae, quarum altera speciei conservationem regulat, altera vero de individuorum sustentatione providet. Has inter vinculum quoddam firmissimum mutuo adest. Altera absque altera non servatur. Si autem Ecclesia firmiter exigit strictam rectitudinem moralem in usu matrimonii — quod quidem necessarium est, sed in pluribus problema grave conscientiae gignit, aut eos recusare cogit unam ex paucissimis quibus frui possunt delectationibus legitime optandis —, et aliunde non strictam moralem rectitudinem in labore remunerando assequitur, ne quidem inter catholicos, non tantum occasio datur proxima committendi ea peccata quae sub generali « birth control » intelliguntur nomine, sed et alia causa patefit ex pluribus ob quas haud minima opificum pars ab Ecclesia secesserit.

Aliud problema prae oculis attente etiam habendum illud est quod respicit moralitatem in collectivis actibus, tum sacerdotum, tum religiosorum, et praesertim religiosarum, quando, quibusdam laboribus operam dantes, in ipsis concurrunt cum laicis. Quod quidem evenit in Institutis, quibus docere scopus est, vel quibus in nosocomiis servitium praestare competit; immo, etiam in aliis Institutis cuius generis cumque, quae servitium aliquod praebent aut laborem, qui quodammodo mercede repen-

ditur. Moralis eorum conscientiis qui in huiuscemodi laboribus partem capere solent, redolet, nimis heu frequenter, laxitudine quadam, — aliunde animis arctius affixa — quae verum scandalum gignit etiam inter gentes quas non quidem timor afficit pius.

Argumenta de re liturgica

Cyclus Ecclesiae liturgicus defectu quodam redolet, qui quidem iam nunc innotescit, quique vero futuro tempore, plus minusve proximo, evidenter cunctis patebit.

Fidei mysteria in duas sunt tabulas dispositi, quorum altera ea quae ad divinitatem pertinent complectitur, altera vero illa quae nonnisi Redemptionis oeconomiam respiciunt. Liturgia autem fere tota versatur circa posterioris tabulae mysteria. Illa autem quae prioris sunt ordinis propria festivitate carent, una tantum, Trinitate, excepta. Nec ut Creator, aut Conservator, aut Gubernator, adoratur usquam Deus. Ne quidem colitur ut Pater, aut Verbum, aut Sanctus Spiritus. Beneficia Creationis, Conservationis, Gubernationis, aut Paternitatis divinae, ex qua omnis derivatur paternitas, nonnisi indirecte in Liturgia rememorantur.

Nihilominus haec sunt illa mysteria quibus homines arctius devincimur cum universo mundo, qui quidem et creatus, et conservatus, et gubernatus est a Deo, Patre, Verbo et Sancto Spiritu; dum e contra mysteria illa posterioris ordinis nonnisi hunc quem nos colimus respiciunt mundum. Iam vero nunc temporis, cum e terra iter in sidera et aethera ab hominibus aperitur, cumque propior est dies quo novi sunt mundi detegendi, — etiamque fortasse alia sunt entia ratione praedita invenienda —, admodum necessaria reputanda videtur rememoratio illorum mysteriorum quae intimius nos cum reliqua creatione coniungere valent.

Praeterea hodierna postulare videntur tempora caerimonias fore imminuendas et in simpliciorem formam redigendas, ut v. gr. altarium consecratio, templorum dicatio, etc.

Illae vero caerimoniae quae ad ordinationem spectant seorsim sunt considerandae. Reputamus namque in Concilio statuendum omnino esse, an et quo modo perdurare debeant minores ordines, et ipsemet subdiaconatus, an solummodo conservanda prima clericalis tonsura, diaconatus ac presbyteratus. In quolibet tamen casu, ordinationis ritus quam plurimis caerimoniis exui debet, quae nimis praeteritos usus ac mores vere respiciunt, quaeque significatione et utilitate per se carent, immo, et interdum inopportunae ac inadaequatae adiunctis praesentibus sunt censendae.

Idem dicendum est de caerimoniis aliis, ut v. gr. Episcoporum consecratio aut Baptismi administratio.

Perquam necessarium reputamus ut in Concilio agatur de liturgico usu vernaculae simul et latinae linguae, ac interdum de exclusivo vernaculae linguae usu. Pastoralis ordinis non desunt rationes et argumenta, quae cuilibet patent, et huiusmodi usum instanter exposcunt.

Argumenta de re canonica ac disciplinari

a) Concilium, principiis illis quae ad Ecclesiae doctrinam respiciunt diligenter perspectis, magis magisque examinare debet iuridicam ipsius structuram.

In Ecclesia, quae Romano Pontifice, Episcopis, sacerdotibus et laicis coalescit, oportet admodum statuere, qui locus signandus sit et finis: Cardinalibus, relate ad totam Ecclesiam; Nuntiis ac Apostolicis Delegatis, relate ad cuiusque nationis Episcopos; Patriarchis et Archiepiscopis, relate ad sui Patriarchatus vel Archidioecesis Episcopos.

Ut interna Ecclesiae unitas firmius fulciatur, magis hodie necessarium videtur ut facilior eveniat in dies communicatio inter Summum Pontificem et Episcopos. Praeterea haec ipsamet unitas exposcere videtur opportunam quamdam repraesentationem, in cunctis Hierarchiae gradibus, qua fieri possit ut, aliquo saltem modo, Clerus in Episcoporum electione partem capiat, et Episcopi in Archiepiscopis eligendis, et Archiepiscopi in Patriarcharum aut Primatuum electione, necnon in ipso Romano Pontifice eligendo. Quaecumque sint, necessarium videtur ut una eademque statuatur forma, in quantum fieri possit, quoad electionem ac designationem Episcoporum in universa Ecclesia.

Eiusdem rationes naturae suadent, ut normae definitae statuantur, quibus regulentur functiones Coetus Episcoporum singularum nationum, Conferentiae Metropolitarum, Commissionum Episcopalium, et Conventus Episcoporum ipsius archiepiscopatus vel Patriarchatus.

b) Olim Cathedrale Capitulum ut verus Episcopi Senatus habebatur. Nunc autem huiusmodi officio vere caret. Peropportunum igitur fortasse erit ut Episcopus instruatur ac ornetur collegiis, quos ipse consulendos habeat in diversis dioecesis problematibus rite solvendis. Definiantur utique facultates eorum, ac statuatur usquequo tandem obiici valeant Episcopi definitionibus, ac etiam quae ac quanta debeat esse auctoritatis episcopalis amplitudo in talibus viris designandis ac removendis.

Erit etiam statuendum utrum Cathedrale Capitulum debeat perdurare, necne, et, in casu affirmativo, quae esse debeat ipsius potestas et exercitium.

c) Dogmaticum illud principium, quod sic se habet « salus animarum suprema lex », hodie urgenter exposcit ut Beneficiorum regimen vel funditus mutetur, vel penitus eruatur. Erunt etiam omnino tollendi omnes ecclesiastici patronatus qui a laicis exercentur.

d) Problema inter alia gravissimum, quod nunc Ecclesiam vere urget, sive intra singulas nationes, sive etiam in universo mundo, est illud quod attinet ad aequioris Cleri distributionis necessitatem. Recta huiusce problematis solutio opportunam expostulat reformationem, qua facilior evadat sacerdotum translatio in ea loca ubi minus abundent ac ideo magis desiderentur, ex illis vero locis ubi multi habeantur ac ideo sint minus necessarii.

Ad rem fortasse oportebit incardinationis principium reformare? aut satis erit si cuilibet sacerdote facultas tribuatur dioecesim eligendi, statutis conditionibus servandis?

e) Dignitas sacerdotalis status ac exercitii tanti ministerii postulat ut quam maximis cautionibus moralis ordinis sacerdos circumdetur. Videtur ad rem admodum oportere ut ulterius presbyteratus ordinatio differatur, utque in ipsa perpetua castitas devoveatur, quod quidem locum daret ampliori in ministerio exercendo experientiae. Nec inopportuna ad rem videtur restauratio ordinis Diaconatus cum voto tantum temporali castitatis, ita quidem ut ad ipsum possent etiam accedere, definitivo modo, viri uxorati.

Peropportunum fortasse etiam erit ut facilior reddatur reductio in laicalem statum, cum de sacerdotibus illis agitur qui, ob nimiam animorum infirmitatem, relaxati inveniantur.

f) Doctrina illa, iuxta quam omnis apostolicus labor intra Dioecesim est subiiciendus potestati Episcoporum, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, in theoretico ordine vere patet. At vero multum abest ut eadem doctrina adaequatis legibus rite communita inveniatur. Quae et quanta debeat esse Religiosorum utriusque sexus dependentia in hac re? Usquequo servandus erit, et quo sub respectu, ius exemptionis?

Quod ad Religiosas attinet, creatio Foederationum intra unam eamdemque religiosam familiam, licet haud paucas nec parvas utilitates secumferat et commoda, praesertim pro meliori regimine virginumque efformatione, nihilominus gravius reddit problema supra expositum; subtrahit enim magis magisque e potestate Episcopi ipsarum apostolicum laborem. Opportunum igitur admodum erit ut huiusmodi problema penitus perspiciatur et examinetur.

g) E loco quem laici tenent in Ecclesia eruitur ut necessaria ipso-

rum repraesentatio in iuridica Ecclesiae structura, quo tandem fiat ut, aliquo saltem modo, ipsi laici quid agendum proprio iure habeant, et in ordine paroeciali — potissimum in electione Parochi — et in ipsis Romanis Dicasteriis.

h) Ieiunii et abstinentiae lex iam dudum examen postulat novum, novasque, quibus reguletur normas. Nec omittendum quaedam in re privilegia, ut Bulla Sanctae Cruciatae, hisce temporibus incongrua apparere.

i) Dominicale praeceptum de auditione Missae ac cessatione a labore, attente ac diligenter videtur examinandum. Haud desunt qui cogitent, nec quidem absque solidiori fundamento, minime opportunum fore ut praeceptum huiusmodi, quoad Missae auditionem, perduret. Abstinentia autem a labore, ad nostram mentem opportuno rei studio fulcitam, omnino conservanda erit, immo et solidius stabilienda, adaptatione ad hodiernae vitae conditiones attente perspecta riteque peracta. Quaecumque sint, classica ac vetus illa distinctio inter servilia opera ac liberalia penitus cessare debet.

j) Iam iam advenire credenda est occasio, ut brevis exaretur summa, perfecte quidem composita riteque et integre ordinata, principiorum Iuris Publici Ecclesiastici, diligenter perspecto atque attente perpenso quocumque problemate, hodierno tempore ex praxi educto, cum orbis universus adhuc in nationes divisus est, sed citius progreditur in unitatem quoad relationes diversas inter dissitas gentes.

Argumenta de re pastorali

Diutina Ecclesiae experientia luculenter ostendit peroptimam esse quamdam in dioecesi dimensionem, quae adaequatur conditionibus et facultatibus Episcoporum quibus est regenda. In quantum fieri possit, fines cuiusque dioeceseos circumscribendi sunt hisce conditionibus, ita ut ex divisione illarum, quae nimis ampliores sint, aliae novae oriantur. Hoc vero haud facile semper erit, et nonnumquam impossibile fiet. Attamen omnino necessarium est reputandum, ut in singulis dioecesibus, praesertim in amplioribus, ipsarum regimen efficaciter provideatur, ita quidem ut pastoralibus subveniatur necessitatibus, et Episcopus aptioribus ornetur instrumentis, et alia praevideantur quae forte evenient, ut physicum impedimentum, sive ob fortuitum casum, sive ob aetatem provectam, sive ob infirmitatem, etc.

Eiusdem rationes naturae suadent ut Curiae Episcopales, in administratione et organizatione rite ordinanda et componenda, quocumque progressu technico utantur; ut, intra singulas nationes, ac nonnumquam

in tota Ecclesia, folia typis impressa atque administrandi ratio, omnino eodem modo habeantur; ut desiderata communicatio inter diversos auctoritatis gradus, sive sursum sive deorsum, ac inter ipsa membra eiusdem ordinis, convenienter instituatur, ita ut efficax solutio rebus cunctis, pro cuiusque momento et urgentia, apte praebeatur.

Similia sunt dicenda de administratione ordinanda in Paroeciis, quo in labore optandus re vera esset diaconorum usus, vel laicorum qui statutis pollerent conditionibus.

Instituendae omnino erunt quaedam normae, amplissimae quidem, ut fieri posset divisio ac multiplicatio paroeciarum, iuxta necessitates pastoralis ordinis. Iterum erunt examinandae normae illae, nunc vigentes, de parochorum provisione, ac praesertim principium illud vi cuius parochi amoveri nequeunt.

Ipsamet experientia, necnon et ipsa hominum huius temporis socialis conscientia, quae sensibilior abs dubio est, satis superque innuunt ut pro disciplina vigenti alia opportunior methodus instituatur quoad exactiones ac tributa colligenda, ita ut modus inveniatur quoad rem qui temporis huiusce conditionibus magis consonet ac minus obsit necessariae unitati ac simplicitati in servitiis praestandis.

Normae definitae desiderantur etiam, ut Clerici plane recedant a quacumque administratione, vel directe vel indirecte gerenda, in negotiis vel quibuslibet institutionibus temporalis ordinis. Itemque opportunum valde reputatur examen novum disciplinae Clericorum, quoad vitae modum, quoad habitum, quoad eorum praesentiam in spectaculis et publicis ludibus, etc.

Propositio finalis

Unitas christianorum, quae admodum optatur, exposcit re vera et modo quidem praevio perfectiorem inter catholicos unitatem. Haec tamen unitas nonnisi nimis confracta conspicitur, vel admodum saltem imminuta, heu nimis crebro, ob discrimina quaedam quae catholicos ipsos inter sese seiungunt, quaeque ex diversa stirpe, lingua, natione, vel politicarum rerum ideis, in singulis proveniunt. Exempla ad rem adduci possent quam plurima, quibus luculenter patefieret Novum Christi Mandatum minime a catholicis satis superque observari, unde oritur grave quoddam scandalum in iis qui catholici non sunt, et damnum quod reliquorum christianorum unitati refragatur.

Ut liquet, huiusmodi problemati conveniens praeberetur solutio, si unusquisque in se caritatem radicandam curaret. Patet vero etiam alia adesse externa et collectiva media, quibus facilior evadere potest mutua intelligentia et concordia, uno verbo, inter catholicos vera unitas. In Con-

cilio sunt quaerenda et invenienda huiusmodi media, et cunctis Concilii Patribus adlaborandum est ut istorum mediorum observantia fructuosissimus omnium Concilii labor eveniat.

Laus Deo Virginique Matri

✠ RAPHAËL GONZÁLES MORALEJO
Episcopus tit. Dardanius
Auxiliaris Valentinus

73

EXC.MI P. D. FRANCISCI GÓMEZ DE SANTIAGO
Episcopi tit. Dausareni

Valladolid, die 25 augusti 1959

I. *Quaedam doctrinae capita*

1. *Ius publicum ecclesiasticum.* Iuvabit fortasse, auctoritate Concilii, Summam Iuris Publici Ecclesiastici pro fidelium institutione concinne exarare, theses saltem complectentem, quae hodie prae caeteris ab acatholicis, immo, non raro a fidelibus et a clericis impugnantur.

Exempli causa, tres commemoro: *a*) Sic dicta « thesis » catholica: estne hodie, locus « statui catholico »? *b*) Quid de « tolerantia » (non praecise ut *factum,* quod passim hodiernis temporibus imponitur), de « theologia », ut sic dicam, tolerantiae (de esa actitud de tolerantia), quae intime cohaeret cum fide theologica. *c*) Relationes, seu habitudo inter Ecclesiam et Statum Civilem (profecto optabilis non est « separatio »: quamvis de facto, in nonnullis nationibus, v. gr. in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, fructus pariat).

2. Iuvat forte denuo in mentem revocare: « Iura Ecclesiae et Status » circa educationem (« Monopolium docens » iterum reiiciatur); et matrimonium (pestiferum divortium sollemniter anathematizetur).

3. Expediret, Concilii auctoritate, « Enchiridion » sive « Synthesim christianam » conficere in quo primo praecipua doctrinae capita ab Ecclesia proposita post Tridentinum Concilium colligantur, et postea « confrontatio » fiat cum systematibus erroneis nostri temporis (materialismus omnis generis, laicismus, historicismus, existentialismus...), incorporatibus nostrae « Synthesis christianae » particulis veritatibus, quae in praefatis systematibus erroneis contineantur; tamquam Appendix, expediret novum « Syllabum » sive catalogum errorum omnis generis huius

temporis edere, praeter alios, eos praecise, qui in Litteris *Humani Generis* Summi Pontificis Pii XII configuntur (ut tam Clerici quam christifideles faciliter prae oculis semper habeant genuinum Ecclesiae sensum).

4. Theologia sic dicta fidelium, « laicorum ». Nimirum: qua ratione participent sacerdotium Christi; quas canonicas missiones eisdem Sacra Hierarchia committere possit, etc.

5. Iura « personae » humanae, independentia a Statu, eique praecedentia (iuvabit praeclaram, de hoc argumento, Pii XII doctrinam). Dignitas « humani laboris » (pro opificum iuvamine et solatio).

6. *Doctrina moralis*: *a*) Errores praecipui nostri temporis palam prodantur, v. gr. sic dicta « moral de situacion »... *b*) Circa *bellum*. Bellum inferre, praesertim inter nationes praepotentes, estne hodie iustum? quibus adiunctis? Quae hodierna *arma* iure naturali prohibentur (bellum chymicum, bacteriologicum, glane ignifera atomica...

7. *De Sacra Scriptura.* Interest in epitonem redigere, pro Cleri et christifidelium institutione, ea quae hodie tenenda sunt, ut vere historica, v. gr. in Genesi, de mundi creatione, de constitutione corporis protoparentum, etc.

8. Liceat mihi votum promere de definitione dogmatica Universalis Mediationis Beatissimae Virginis Mariae.

Factum

II. *Disciplina cleri et populi christiani*

Conspectus Ecclesiae in hac parte, proh dolor, est vere lugendus. Advenisse videntur tempora a Christo Domino pronuntiata: quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum » (*Mt.* 24, 12). Languescit fides (immo, in non paucis, quasi extincta est); desideratur caritas (veri christifidelis signum); mores populi in dies paganizantur...; populus, sic dicta « massa », iugi intoxicationis subest ex parte cinematographi, Radii, TV, ephemeridum... Nonnulli, etiam clerici contagio infecti sunt recentioris modernismi et « americanismi »... Evanuit apud plurimos notio peccati (Pius XII). Plerique christifideles habitualiter in peccato lethali vivunt... Luce clarior est invasio materialismi et neopaganismi.

Remedium

Nova effusio Spiritus Sancti in Ecclesia, quae, ope Concilii Oecumenici, veram ac radicalem *reformationem* mentibus inspiret.

Reformatio quidem, prae omnibus, in Clero (non exceptis nobismetipsis, Episcopis) et in Ordinibus Religiosis.

1. Accuratius seligantur candidati ad Sacerdotium.

2. *Seminaria.* Praeter alia plurima: *a*) maior exigentia in materia castitatis...; *b*) sunt qui propugnent, absolutis philosophiae scholasticae studiis, cursum praeparatorium alumnorum, priusquam Sacrae Theologiae curricula incipiant; *c*) aperiantur Seminaria Regionalia ad amplianda studia et eos aspirantes recipiendo, qui in proprio Seminario, ob excessum candidatorum admitti non valuerint; *d*) vehementer affigatur alumnorum animis spiritus Encyclicae *Fidei donum,* ita ut plurimos suo tempore, sponte sese offerant ad missiones inter infideles.

3. Magni interest *elevatio Cleri secularis sive dioecesani* ita ut eorum obligationes propinquae sint iis quae Clero Regulari sunt communia, et « apostolicam vivendi formam » aemulentur. Hinc, praeter coelibatum et votum castitatis, exigatur: *a*) non quidem mera promissio obedientiae Episcopo, sed votum; *b*) votum quoque, vel saltem verus spiritus paupertatis; *c*) vita *communis,* saltem in civitatibus vel oppidis ubi plures sunt sacerdotes. Immo, forte expediret et vitam communem praescribere parochis, qui in finitimis oppidulis in solitudine vivunt (dummodo mediis aptis ad animarum curam sint instructi, v. gr. telephonio, automobili vel motocycleta...); *d*) « Omnis species lucri a divinis ministeriis arceatur ».

Non desunt qui hoc votum exprimant: « Sit universus Clerus Dioecesanus quasi peculiare Institutum Saeculare »...

4. Maneat immutata lex habitus ecclesiastici (can. 136).

5. Quo sacerdotes « resuscitent gratiam » quae ipsis data est per sacram ordinationem, et arceatur periculum teporis, nonnulli propugnant ut eisdem imponatur obligatio peragendi integrum mensem exercitiorum spiritualium, semel absoluto quinto anno ab ordinatione.

6. Hodie pro fidelibus exitiale exemplum est luxus et sic dictus « confort » sacerdotum...

7. Videtur valde conveniens hanc veluti legem vel principium instituere: « Hodiedum cuncta officia et beneficia ecclesiastica, praesertim paroecialia, sunt amovibilia ».

8. Praestaret hodie, inter officia parochi, annumerare institutionem Actionis Catholicae, ut fideles apostolatum exerceant.

9. Intuitu maioris efficientiae in « praedicatione » verbi divini, interest denuo urgere normas saepius a Sede Apostolica datas hac de re. Abundant enim, *a*) qui seipsos, non Christum et hunc crucifixum, praedicant; *b*) qui propter retributionem praedicant: (estne opportunum has taxas prohibere, vel saltem praescribere ut pauperibus erogentur?...; *c*) qui haud parati praedicant; *d*) parochi, praesertim, qui nimis temporis insumunt, ita ut fideles tedio afficiant; *e*) qui « allusiones » personales usurpant.

10. Clerici religiose servent leges iustitiae « socialis » erga servitio templi mancipatos.

11. Urgens necessitas est fovere sinceram *fraternitatem inter sacerdotes;* ad cuius assecutionem (praeter stimulos ordinis supernaturalis) conferret: *a*) in functionibus liturgicis solemnioribus (v. gr. in Missa Pontificali...) accessum habeant non modo capitulares, sed reliqui sacerdotes; *b*) sit obligatoria omnibus sacerdotibus intensior participatio in apostolatu (cura animarum) v. gr. divini verbi praedicatio, catechistica institutio, sacramentorum dispensatio, praesertim poenitentiae; *c*) penitus eradicentur vel saltem moderationem accipiant inaequalitas oeconomica et distributio taxarum in indice assignata inter clericos eiusdem paroeciae.

Expedit modificare et computationem meritorum et proemiorum distributionem in concursu ad paroecias; nullatenus, tamquam « proemium » pro labore pastorali designentur praecise paroeciae quae pinguoribus gaudent emolumentis!... Ad disparitatem oeconomicam funditus eradicandum refert: ex. gr. « fundum commune » in quavis Dioecesi constituere, ita ut omnes sacerdotes percipiant saltem illam quantitatem minimam clericorum assignatam tamquam « congruam » pro honesta sustentatione.

12. In magnis praesertim civitatibus valde interest novas paroecias sine mora creare, ita ut, — si fieri posset — numerum 5.000 paroecianorum non excederent.

13. Solvendum sine mora, amplissimo et fraterno spiritu catholico, grave illud problema ingentis diversitatis dioecesium... Expediretne declarare, ut verum officium pastorale Episcoporum, conferre aequa proportione, et sacerdotes et pecuniam dioecesibus indigentibus, immo et terris Missionum inter infideles.

Desiderabilis est intimior consuetudo et mutua intelligentia dioeceseon inter se, earum praesertim, quae finitimae sunt et similia habent problemata.

14. Ad efficaciam apostolatus et fidelium aedificationem magni refert cordialis unio et fraterna compenetratio inter utrumque clerum, dioecesanum et regularem.

15. *Religiosi.* In exercitio externo apostolatus habeant semper prae oculis eorum strictam dependentiam ab Ordinario loci. Radicitus vitentur excessus qui, in Collegiis puerorum et adolescentium laicorum (quae ab Institutis Religiosis moderantur), pecuniae causa, tot querelas et murmurationes suscitant ex parte patruumfamilias (saltem in Hispania).

16. *Capitulum Cathedrale.* Opportuna esset nova structura in his quae ad liturgiae splendorem attinent, assistentiam choralem et activi-

tates ministerii pastoralis; novae scilicet normae, quae moderentur etiam vitam apostolicam capitularium ad animarum servitium. (Opus esset etiam Episcopo peculiarem in his tribuere facultatem, ut posset praefatas normas efficaciter urgere...).

Non desunt qui propugnent paroeciae peculiaris creationem in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, quae vitam spiritualem foveret fidelium, qui haec templa frequentant.

Nonnulli canonici, iubilationem quod attinet, hoc votum exprimunt: « pro his qui, ante canonicatum, laudabiliter animarum curam gesserunt, computentur, partialiter saltem, illa servitia extra Cathedralem; hinc 50 anni sufficiant ».

17. *Diaconatus.* Expeditne ut fiat coniugatis, qui id mereantur, facultas hunc ordinem exercendi (sine onere breviarium recitandi).

18. Salva lege coelibatus clericalis (ad normam Iuris Canonici), optabile esset perpendere an Mater Ecclesia subsidium aliquod spirituale tribuere valeat, immo et possibilitatem rehabilitationis, in propria conscientia et coram Ecclesia, iis qui misere attentarunt contra disciplinam canonicam.

Christifideles quod spectat

1. Urget quam maxime omni opere curare religiosam fidelium *institutionem*: individuam, familiarem et in scholis cuiuscumque ordinis.

2. *Caritas et iustitia socialis* sunt, hodie praesertim, fundamentales ad arcendum scandalum saeculi xx (apostasiam opificum) et periculum communismi.

Supposita igitur adimpletione officiorum iustitiae socialis enitendum magnopere est opportune et importune in labore affigendi penitus animis fidelium hunc conceptum: « caritas est genuinum signum sive distinctivum *Novae Legis* »... Hinc, omni cura peccata contra caritatem (omissione quoque) oppugnanda, v. gr. murmuratio.

Ad haec interest vel maxime inculcare *obedientiam* supernaturalem, tamquam Deo, legitimae potestati. Hoc quidem ad obsistendum efficaciter spiritui hodierno « insubordinationis » et rebellionis, nec non « superaestimationis » propriae libertatis.

3. *Actio Catholica* sit ampla et « flexibilis ». Declarentur eiusdem gradus. Imponatur tamquam obligatorius omnibus christifidelibus gradus infimus, sentiant omnes conceptum « christiani » implicare de se apostolatum (dilemma est: « vel apostolus vel apostata »...).

4. *Sanctificatio dierum festorum,* sub triplici aspectu: audiendi sacrum abstinendi a labore, oblectamenta licita... Viget quam maxime peccatum contra hoc praeceptum.

Opportet authentice declarare quae opera sint prohibita diebus festis. Terminologia medioevalis « operum servilium et liberalium » non videtur amplius retinenda circa hoc Decalogi praeceptum. Hodie, quando tantopere contenditur in « dignificatione » laboris opificum, interest ut precise Ecclesiae filii, hac in re, non considerentur deterioris conditionis.

Nota. — Hoc addam: in Indice taxarum (vulgo Aranceles) paroeciarum desiderabile erit nimiam differentiam oeconomicam sive « classes » expungere, ne divisio inter divites et pauperes codificetur: omnes enim in Ecclesia, sunt aequales.

5. *Matrimonium.* Iterum extollantur eius dignitas et sanctitas, unitas, indissolubilitas... Sollemniter anathematizetur non modo divortium vinculare, sed anticonceptionismus et onamismus coniugalis, inseminatio artificialis, aliaeque hodiernae aberrationes...

« Formatio », ut dicitur, praematrimonialis nupturentium valde commendetur. Nonnulli propugnant suppressionem impedimenti tertii gradus consanguinitatis pro matrimonio.

6. *Publica immoralitas.* Pestiferum « cancer » domorum lenocinii, inhonestus feminarum vestiendi mos, qui tam multorum peccatorum est fons et origo (S.C.C., 1 ianuarii 1930, et 15 augusti 1954).

7. Iuvat « deonthologiam » diversorum officiorum (professioni) edocere. Opportunum esset edere, iussu et auctoritate Sancti Concilii, aptum libellum sive « catechismum » hac de re.

8. Laudibus efferantur sacra *virginitas,* vita contemplativa (ita ut religiosi laborent ad victum consequendum), virtutes supernaturales « passivas » (humilitas, poenitentia, sui abnegatio, austeritas vitae, patientia...) quae hodie mundus despicit vel irridet.

9. *Turistae.* Eorum visitatio (ingressus) in templa sit semper absque detrimento divini cultus et venerationis loco sacro debitae.

10. *Oratoria privata.* De facto (exceptis Praelatis haec privilegia quasi reservantur divitibus. Congruitne haec praxis « mentalitati » hodiernae fidelium?...

11. « *Anticlericalismus* ». Qui etiam inter fideles pietatem profitentes serpit, solemniter reiiciatur immo et anathemate damnetur.

III. *Liturgia*

1. Rituum simplificatio, attenta semper eorum natura theologica atque liturgica et efficientia pastorali (non praecise « archeologia » et historia, quamvis et haec praetermittenda non sint), praesertim in Ordinibus maioribus, Consecratione Episcoporum, consecratione Ecclesiae et Altarium, in baptismate adultorum, etc.

2. *Lingua vernacula* admittatur, — saltem in mensura iam nonnullis ecclesiis concessa, — obligatione imposita versionem « officialem » usurpandi. Profecto lingua latina maneret pro nonnullis ritibus, et praesertim pro Missae sacrificio.

Populus enim, sive plebs christiana, plurimos ritus et orationes (qui pro fidelibus plene excultis sunt pretiosi), non capit, defectu sufficientis institutionis religiosae. Constat profecto quo gaudio recentiores « reformationes » Liturgiae acceperit, eo praecise quia maior participatio et intelligentia rituum populo elargita est.

Sine usu linguae vernaculae arduum sane et salebrosum erit assequi ut plebs intense « vivat Liturgiam » et recurrendum erit ad liturgiae « succedanea » sive « paraliturgias »... Utique usus linguae vernaculae difficultatem omnem non solvit; videtur tamen gressus primus quem alia prosequentur.

IV. *Actuositas qua hodie Ecclesia tenetur* (*sive negotia maioris momenti quae Ecclesia obire debet*)

1. *Lex abstinentiae et ieiunii,* qualis in *Codice Iuris Canonici* statuitur ad trutinam revocanda est ne peccata formalia multiplicentur. In praxi haec lex abstinentiae et ieiunii quasi nulla, exceptis fortasse in Domibus Religiosis.

2. Efficaciora media adinveniantur ut maxima fidelium pars, si fieri potest, sollicitudinem *sentiant* pro magnis illis Matris Ecclesiae problematibus, eaque tamquam propria solvenda curent. Haec inter alia: *a*) Missiones inter infideles...; *b*) Migratio; *c*) « Ecclesia silentii »; *d*) Actio catholica. Vocationes ecclesiasticae; *e*) Unio Ecclesiarum dissidentium. Oportet novum indere spiritum consuetudini nostrorum fidelium cum fratribus dissidentibus: « dilatentur spatia caritatis »...

Ad explanandam unitatis viam, forte conferret: *a*) patriarcharum dignitatem veteri splendori restituere, v. gr. eos in linea Patruum Cardinalium constituendos; *b*) conservare ritus, legitimas consuetudines, hierarchiam, etc. fratrum dissidentium. Explicatio « formularum catholicarum in quaestionibus doctrinalibus maioris dissensionis; *c*) splendidis radiis exhibere intimam Ecclesiae Catholicae naturam, notas distinctivas, regimen, vitalitatem... ut fratribus dissidentibus nitide appareat vera facies Ecclesiae « unius, sanctae, quam ipsi invenire satagunt ».

3. Fortasse expediret subsidia oeconomica obligatoria Sanctae Sedi (Curiae Romanae) suppeditare diversa agendi ratione (procedimiento). Taxae, v. gr. pro dispensationibus ordinariis anxam praebent anticlericalibus murmurandi, quasi dispensationes elargirentur praecise propter

pecuniam, ex. gr. in causis matrimonialibus et gratiis obtinendis a Sancta Sede Apostolica.

4. Interest magnopere omni ope curare ut splendeat Ecclesiae aspectus supernaturalis (Mysticum Christi Corpus). Adnitendum igitur est ut in omnibus Ecclesiae et membris et institutionibus (vulgo estamentos) spiritus supernaturalis fulgeat, praesertim fides et caritas (lex constitutionalis Ecclesia).

5. *Praelum, Effemerides...* (Giornali, riviste...) In Hispania, v. gr. sunt permulti signi catholici (cum censura ecclesiastica: plus quam 800...; plurimae tamen pauca exemplaria edunt). Valde expediret unionem (« fusione ») complurium assequi (loco tot exiguarum capellarum, quanto melius templum cathedralitium erigere! ...). Hoc profecto, sine Sedis Apostolicae interventione, forte impossibile evadit.

6. Cinema et Televisio signi catholici desiderantur. Urget societatem internationalem catholicam instituere, cui omnes collaborationem sinceram et abnegationem plenam praestent...

✠ Fr. FRANCISCUS GÓMEZ DE SANTIAGO O. P.
Episcopus tit. Dausarenus

74

EXC.MI P. D. ANTONII ONA DE ECHAVE

Episcopi tit. Dystiensis, Auxiliaris Lucensis in Hispania

Lucus Augusti, 29 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Antonius Ona de Echave, Episcopus Titularis Dystiensis ac Auxiliaris Exc.mi ac Rev.mi Episcopi Lucensis in Hispania, iuxta litteras, omni veneratione dignas, a Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico datas sub prot. I C/59-2668, humiliter circa res quae in futuro Concilio tractari poterint — et suppositis codificatione qua Decreta post Codicem suo loco includantur ac nova structura aliquorum canonum — has aperit:

1. (Can. 136) Firmiter suasus convenientiae, in Hispania, tunicae vulgo dictae « sotana » pro habitu ecclesiastico, commodum vero iudico alium ecclesiasticum habitum a sacerdotibus vestiri cum, propter exercitium ministerii aut veram necessitatem iterandi, machinam aut currum automobilem, utpote ductores, adhibeant. Eo quod diversitas multiplex

in parvis regionibus secumferret fidelium aversionem, convenientior mihi videtur ut ipsa Sancta Sedes normam habitus ecclesiastici, pro magnis regionibus unus, statuat.

2. (Lib. I, p. II, sec. II *C.I.C.*) Data urgentia qua sacerdotes se incumbere debent in spiritualem institutionem ac animarum salutis curationem, optandum videtur ut — quamvis aliquantum quotidiana cultus sollemnitas in ecclesia cathedrali minuatur — Ordinariis tribuatur facultas reducendi, dum conveniens iudicetur, numerum Canonicorum qui praeceptum residentiae in civitate sedis episcopalis habitualiter exsequantur, ut coeteri Capituli canonici distributi in territorio dioecesano maneant ministerium etiam paroeciale exercentes, cum obligatione assistendi ecclesiae cathedrali dum praecipuae festivitates celebrentur aut extraordinariis sessionibus Capituli convocentur; gaudentes, ex alio capite, facultate mittendi consilium in scriptis a respectivo loco actualis commorationis cum de Capitulo ordinario agatur.

3. (Id.) Ad maiorem efficientiam Consilii Episcopi de quo can. 391, fortasse Consilium deceat e duplici fonte compositum: ex aliquibus, nempe, canonicis Capituli Cathedralis, et ex aliis sacerdotibus — parochis civitatis episcopalis v. g. et aliis praestantioribus in dioecesi — ab Ordinario ad triennium designatis.

4. (Can. 431) Ad episcopalem dignitatem firmandam, fortasse opportunum sit additionem canoni 431 apponere qua disponatur ut ubi Episcopus Auxiliaris sit, sive Episcopo sive dioecesi datus, sede vacante, transitorie Administrator Apostolicus constituatur donec Sancta Sedes in casu provideat.

5. (Can. 465) Fortasse laudabilis sit declaratio congruentiae obligationes can. 465 inter ac facultatem quae Ordinariis tribuatur ut parochi diversi quorumdam regionum ministerium exerceant paroeciale in sodalitio (« en equipo »), ita ut cumulati successive diversas regionis paroecias pertranseant efficaciter ministeria perficiendo. Itaque, ex alio capite, fovetur vita communis a can. 134 commendata.

6. (Lib. II, p. II *C.I.C.*) Quin praeiudicium afferat peculiari disciplinae qua regulari debet status religiosus ut eius finis obtineatur, plene laudandum erit si Religiosi qui sacrum ordinem recipiunt Presbyteratus, Episcopo dioecesano, Superiore proprio mediante, auxilium pastorale modo dioecesano offerant ad sanctitatem fidelium promovendam, abstinentes ab actione peculiari et independenti; saltem, et modo specialissimo, cum ministerium exerceant in templis domibus religiosis adnexis.

7. (Can. 520) Hodierna disciplina « de confessariis Religiosarum » secumfert continua occupatio temporis multorum sacerdotum. Desideranda est possibilis modificatio.

8. (Lib. III, p. I, tit. II *C.I.C.*) Fortasse ad finem plenius prosequendum Decreti « Spiritus Sancti munera » opportunius sit declarare ministrum extraordinarium, virtute generalis indulti, ad Sacramentum Confirmationis in vero periculo mortis esse parochum vel sacerdotem quemlibet qui legitime supleat parocho absenti aut impedito.

9. (Can. 1247) Datis praesentibus mundi circumstantiis, potior fortasse sit supprimere aliquos dies festi de praecepto transferendo eorumdem commemorationes diebus dominicis.

10. (Lib. III, p. V *C.I.C.*) Pergrata erit aliqua formula et eius consequens urgentia ad subrogandum ius praesentandi quo gaudent patroni in iure patronatus exercendo.

11. (Can. 2247) Eo quod casus § 3 canonis 2247 non sit tantae frequentiae, et ad poenitentis vitandam mirationem cum diverse a diversis confessariis actus sit, bonum esset ut, si de possibile agitur, numerus censurarum reducatur.

12. Enixe postulo dogmaticam definitionem Mediationis omnium gratiarum B. Virginis Mariae.

✠ ANTONIUS ONA DE ECHAVE
Episcopus tit. Dystiensis
Auxiliaris Lucensis in Hispania

75

EXC.MI P. D. DEMETRII MANSILLA REOYO
Episcopi tit. Erythraei, Auxiliaris Burgensis

Burgis, 27 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi est Tuis litteris die 18 mensis iunii 1959 datis, Prot. N. I C/59-2547 signatis et nomine Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico ad me missis, responsum transmittere.

Plura equidem et magni momenti sunt doctrinae et vitae christianae capita quae futuro Concilio subicienda menti sponte obveniunt. Inter ea autem quae sequuntur, Eminentiae Vestrae pro futuri Concilii studio et consideratione heic proponenda opportunum duxi:

1. *De Fidei doctrina.* Hodierna doctrinae systemata divinam Ecclesiae auctoritatem in Sacris Scripturis interpretandis vel penitus ever-

tunt vel saltem maxime imminuunt. Urget quam maxime hanc divinam Ecclesiae auctoritatem fidelibus ubique animis sculpi.

2. *De vita et moribus.* Inter sacerdotes iuvenes et natu maiores, sive dioecesanos sive religiosos, non viget arcta et fraterna caritatis unio adeo necessaria pro fructuosis apostolatus operibus. In perfectione sacerdotali fovenda media consueta et traditionalia ascetica non adaequate aestimantur et virtutum, quae passivae vocantur, cultus parvipenditur. Caelibatus sacerdotalis in Ecclesia Latina pro viribus est conservandus et talaris vestis usus, saltem in Hispania, omnino praeferendus, siquidem eius suppressio et ipsis fidelibus scandalo foret.

3. Valores sic dicti religiosi, morales et sociales qui vitae christianae veluti fundamentum ubique habentur, in crisi hodie inveniuntur. Causae? Catholicorum pigritia et debilitas in eorum vita et moribus Evangelio conformandis, et pestiferus laicismi et materialismi in dies excrescens influxus in hodiernam societatem. Urget ex parte Ecclesiae peropportuna fidelibus remedia praebere.

4. Maxime urget Actionis Catholicae apostolatum in *Iuris Canonici Codice* adamussim regulari et eiusdem directores in apostolatu fovendo iuvare, aliqua ecclesiastica beneficia pro ipsis reservando.

5. Religiosorum externi apostolatus opera Episcoporum normis et directioni subici et conformari debent.

6. Demum, urget quam maxime fidelem erudire populum de unitatis Ecclesiae proprietate, de orientalium et protestantium ab Ecclesia Romana Catholica separatione ut omnes christiani conscii de gravibus malis ex fraterna dissensione obortis, pro fraterna unione fovenda et obtinenda orationi et sacrificiis instanter incumbere nitantur, praesertim operibus charitatis et apostolatu sociali.

7. Pro his omnibus malis curandis vel saltem medendis oportet populum fidelem enixe praeparare ut in cultu liturgico, praesertim Sacrificii Missae, active participet.

Interim, in meis orationibus enixe adprecor ut Summum Pontificem Ioannem XXIII Deus sospitem servet.

Tuam Sacram Purpuram humillime deosculans, Tui in Domino addictissimum me profiteor

✠ DEMETRIUS MANSILLA REOYO
Episcopus tit. Erythraeus et Auxiliaris Burgensis

76

Exc.mi P. D. ANGELI RIESCO CARBAJO
Episcopi tit. Limisensis, Auxiliaris Ovetensis

Eminentissime Domine,

Haec desideria sunt et vota mea de his quae pertractari possunt in futuro Concilio Oecumenico, quaeque libenter, sincero animo et humiliter subiicio et propono Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro eodem Oecumenico Concilio. Paroecias perlustrans, in Pastorali Visitatione, antea mittere non potui et etiam nunc inordinate expono.

1. Commissio Pontificia instituatur in qua maxima charitate ea omnia pertractentur quae efficaciter iuvare poterunt ad unionem cum Ecclesia Catholica omnium dissidentium in orthodoxis sive protestanticis ecclesiis.

2. Maxime erit desiderandum ut in quacumque natione centralis capsa habeatur cui pro sua quaeque dioecesis possibilitate pecunias conferat sive pro operibus maioris momenti in Universali Ecclesia, sive in ea natione, sive pro dioecesibus crumena deficientibus iuvandis.

3. Episcopis cuiusque nationis (et Provinciae Ecclesiasticae iam haec in praxim ducere debentibus) maxima sit coordinatio, praesertim in his quae ad apostolatum spectant, opportunis collationibus (vulgo « conferencias »); quae ut efficaciter fiant necesse erit fortasse ut aliquae iurisdictionales facultates sint harum collationum Praesidi.

4. Peroptandum videtur ut ab Urbe omnes dioeceses viri probati, zelo praediti, frequenter adeant, inspicientes necnon sincere dicentes de veracitate informationum quas periodice Episcopi mittere debent Sanctae Sedi.

5. In omnium est desiderio ut Episcopi cum Clero dioecesano fiat unio magis paternalis, fraterna et amicissima ad hoc ut cooperatio apostolica cum fiducia sancta et libertate fiat.

6. Sacerdotes omnes ad Exercitia Spiritualia peragenda domum ad hoc deputatam iubeantur adire singulis annis.

7. Saltem decimo quoque anno, per annum integrum, sacerdotes omnes in domum recedant, ad hoc iam paratam, ut recognitio instituatur vitae sacerdotalis methodorumque apostolicarum.

8. Inducendi (vel saltem adducendi enixe) sunt Episcopi ut fiat aequa distributio sacerdotum in mundo, et necessario citoque in omnibus nationibus.

9. Unio fraterna utriusque Cleri magis magisque in dies promoveatur collationibus (vulgo « convivencias ») et his similibus ita ut sub uno Pastore unum et efficacem exerceant apostolatum lamentabiliter hodie minutum (etiam aliquando cum scandalo fidelium) ob nimias et non raro divergentes directiones.

10. In seminariis omnibus modis promoveatur unitas inter moderatores quoad disciplinam et magistros quoad rem scientificam, ita ut iidem (sive sacerdotes eiusdem dioecesis, sive institutio clericalis aliena) disciplinae praesint et magistris.

11. Post Philosophiam in seminarii alumnis annus desideratur (vel tempus notabile) pro vita spirituali reficienda et sacerdotali cognoscenda et instauranda.

12. Item desideratur unitas in studiorum ratione pro omnibus seminariis, saltem eiusdem nationis.

13. Studium scientiarum civicarum et socialium promoveatur, de quibus studiorum ratio locique communes iidem esse fortasse debent.

14. In humana scientia informare Religiosas ante vel post ingressum in Religionem perutile erit.

15. Suppressio studeatur et fiat Capitulorum tam Cathedralium quam Collegialium et melius sollemni cultui divino provideatur.

16. Ritus consecrationis Ecclesiae brevior fiat.

17. Codicis Iuris Canonici reformatio desideratur in qua omnia de Institutis Saecularibus, Actione Catholica, Ieiunio eucharistico, Confirmatione puerorum in extremis, iurisdictione in causis matrimonialibus, etc., melius et ad diem redigantur.

18. Sancti Ioseph nomen sive in litaniis sanctorum, sive in « Confiteor », sive in aliis post Mariae Virginis nomen ponatur.

19. De Maria Mediatrice omnium gratiarum dogma definiri omnibus in desiderio est.

20. Doctrina de Communismo, saepissime et in omnibus hodie agitata, velut de Modernismo in « Syllabus », ad certa et perspicua capita redigatur, quae sint normae praeceptivae.

21. Quippe qui acta et scripta Romani Pontificis, in rebus non de fide et moribus, non raro a laicis et clericis in crisim vertuntur et despiciuntur, dentur de his praecepta clara et urgentia.

22. Ad salvanda naufragia non paucorum sacerdotum qui vitam saecularem et scandalosam agunt itineribus frequentioribus, usu immoderato currum vulgo « automóvile » et « motocicletas », praescribantur normae decorosae.

23. Perplures sunt in qualibet dioecesi sacerdotes qui scandalo sunt,

et aliqui in apostolatu sterili, ob neurasteniam, quasi amentiam et his similia. Necessariae sunt domus bene dispositae in quibus hi omnes decenter vivant.

In paroecia vulgo dicta « San Antolín de Ibias », dioeceseos Ovetensis in Hispania.

✠ ANGELUS RIESCO CARBAJO
Episcopus tit. Limisensis

77

EXC.MI P. D. IOANNIS RICOTE ALONSO
Episcopi tit. Miletopolitani, Auxiliaris Matritensis

Matriti, die 20 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Ad me pervenerunt (die 29 iulii 1959) litterae Eminentiae Vestrae Reverendissimae, sub n. I C/59-2232, quibus me rogas ut communicare faveam Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico animadversiones, consilia et vota circa res et argumenta quae, meo quidem iudicio, in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt.

Libentissime ac maxima cum reverentia incubui operi conficiendi elenchum nonnullarum rerum quas, mea quidem sententia, in futuro Concilio Oecumenico tractare oportebit. En praecipuas:

1. Concilium Vaticanum, sessione IV, definivit quidquid ad primatum Romani Pontificis attinet. Constitutio enim dogmatica I de Ecclesia Christi agit in primo capite « De apostolici primatus in beato Petro institutione »; in secundo, « De perpetuitate primatus beati Petri in Romanis Pontificibus »; in tertio, « De vi et ratione primatus Romani Pontificis »; in quarto denique « De Romani Pontificis infallibili magisterio ».

Praeparata quoque fuerant schemata nonnulla circa ceteram doctrinam « De Ecclesia Christi »; de ipsis tamen, ob Concilii suspensionem, haud pertractatum fuit. Logicum ergo videtur pertractare nunc de materia contenta in praedictis schematibus, ut quamplurimae quaestiones « De Ecclesia Christi » maxima appareant auctoritate declaratae, ita ut locus desit dubiis.

2. Conveniens videtur firmare atque munire Episcoporum auctoritatem, a quibusdam infauste parvipensam immo et contemptam hodiernis temporibus; illorumque auctoritati et directioni, salvis omnino iuribus

Sanctae Sedis, subiicere opera omnia vel associationes apostolatus in singulis dioecesibus. Sic vitabuntur divisiones atque dispersio virium; et e contra magnus erit animarum profectus.

3. Nostris hisce temporibus nonnulla problemata, et magni quidem momenti, ambitum dioecesanum excedunt et communia sunt omnibus vel fere omnibus dioecesibus; quapropter valde interest sub aspectu nationali illa perpendere, maioris efficaciae exitusque gratia. Conferentiae Episcoporum comprovincialium, Conferentiae Metropolitarum totiusque nationis, immo et diversae Commissiones Episcopales videntur non sufficere. Fortasse oportebit, ad hunc tantum finem, ut conventus seu coetus plenarius Episcoporum uniuscuiusque nationis habeatur tertio saltem quoque anno.

4. Obligatio magnumque momentum coelibatus ecclesiastici confirmanda sunt. Conveniens videtur negare dispensationes aetatis canonicae ad suscipiendum Praesbyteratum.

5. Recensere vel firmare oportebit clericorum obligationes de quibus canones 136, 138, 140 et 142; ut omni cum claritate appareat quid nunc seu hodiernis temporibus Sancta Mater Ecclesia velit vel exigat a clericis, et sic muniatur sanctitas sacerdotalis et claudatur porta periculosis criteriis atque agendi modis quae apparere incipiunt et indubie spiritui sacerdotali nocent.

6. Desiderantur pro Rectoribus et Moderatoribus Spiritualibus Seminariorum normae clariores circa castitatem quam a seminaristis exigere debent, ut unusquisque in suo foro (externo vel interno) securius ac dexterius procedere possit tam in admissione et provectione quam in dimissione seminaristarum.

7. Valde conveniens videtur: *a*) damnare naturalismum qui serpit in materia apostolatus et actionis pastoralis. A quibusdam enim extolluntur ac nimio ponderantur momento qualitates humanae atque media materialia; parvipenduntur vero (practice) quaedam virtutes vel qualitates fundamentales, nempe: spiritus orationis et sacrificii, oboedientia, humilitas. *b*) Iterare atque confirmare doctrinam a Leone XIII expositam in epistola « Testem benevolentiae ».

8. Conveniens videtur exponere vel declarare maxima cum claritate quaenam sint iura et officia laicorum in Ecclesia Christi; qualis esse possit vel debeat ipsorum cooperatio in operibus apostolatus, etc.

9. Necessarium videtur declarare quaenam hisce temporibus haberi debeant tamquam opera servilia, quaenam vero non. Vel melius, declarare a quibus operibus seu laboribus abstinere debeant fideles diebus dominicis ac festis de praecepto, omissione facta verborum « opera servilia », quae hodiernis auribus valde absona sunt. Nonnullis in casibus absurdum

videtur denominare « servilia » quaedam opera, dum « liberalia » denominantur alia valde similia.

10. Circa praedicationem sacram, noviter agere de obligatione, modo et tempore; necnon de diversis materiis circa quas versari debet praedicatio.

11. Liturgiae codificatio.

12. Breviarii reformatio. Conveniens videtur ipsum aliquantulum breviare seu imminuere; percensere nonnullas lectiones secundi nocturni, et quasdam tertii substituere.

13. Circa relationes inter Ecclesiam et Statum oportebit declarare quodnam sit optabile systema « in se »; quid vero faciendum in diversis adiunctis diversarum etiam nationum. Vel confirmare ratumque habere quidquid de hac re docuit Leo XIII (Encyclica *Immortale Dei*).

Filiali impulsus dilectione ac maxima reverentia erga Beatissimum Patrem Nostrum Ioannem XXIII, feliciter regnantem, quotidie ac ferventer pro Ipso precabar Dominum Deum Nostrum. Nunc vero, insuper etiam pro felicissimo exitu futuri Concilii Oecumenici precor ac precabor.

Veniam rogans ob nimiam imperfectionem huius brevissimi elenchi Sacram Purpuram deosculor ac me profiteor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
humillimum servum

✠ IOANNES RICOTE ALONSO
Episcopus tit. Miletopolitanus

78

EXC.MI P. D. NARCISSI JUBANY ARNAU

Episcopi tit. Orthosiensis in Phoenicia, Auxiliaris Barcinonensis

Barcinone, 24 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Acceptis, quo par est obsequio, litteris Eminentiae Vestrae, utpote Praesidis Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, die 18 iunii huiusce anni datis, sub n. 1 C/59-2260, honorificum infrascripto atque pergratum est desideriis Augusti Pontificis his litteris obse-

cundare. Inde, omni cum sinceritate res et argumenta manifestat, quae in futuro Concilio Oecumenico forte tractari poterunt, quaeque salus animarum suggerere videtur.

* * *

In Conciliis Oecumenicis, quae decursu temporis locum habuere in Ecclesia Dei, illae quaestiones praecipue pertractatae sunt, quae maiorem actualitatem maiusque momentum habebant. Hodie — ita videtur — quaestio princeps et argumentum maximum est *Ecclesia Christi,* una, sancta, catholica et apostolica, quae « populum Dei » in hac terra constituit (*1 Petr.* 2, 10), « Corpus Christi » est (*Eph.* 1, 23) et columna et firmamentum veritatis dici debet. Revera, *a*) ecclesiae separatae — et protestanticae et sic dictae orthodoxae — unitatem quam maxime desiderant, quam unice in Ecclesia Romana invenire poterunt; *b*) communismus atheus quamlibet ideam religiosam omnino abhorret et Ecclesiam catholicam praecipuo et speciali odio afficit; *c*) humanitas hodierna, non obstante technicismo, plus minus conscienter moralitatem et religiositatem aliquam quaerit, quae unice in Christo et in Ecclesia catholica haberi queunt.

His de causis, videtur omnes quaestiones quae in futuro Concilio Oecumenico agitari debeant, ad hoc tendere debere sc. ut coram omnibus *Ecclesia catholica* — utpote unica vera Christi Ecclesia — appareat plane sibi cohaerens tamquam unitas perfecta, quae — « tunica inconsutilis » (*Io.* 19, 23) et lucerna in procinctu posita — et doctrinaliter et disciplinariter, firmiter fundetur super Romano Pontifice, petra et pastore supremo, necnon super Episcopis, successoribus Apostolorum.

Speciatim videtur: *a*) futurum Concilium Oecumenicum considerari posse, saltem practice, tamquam *continuationem Concilii Vaticani,* quum plurimae quaestiones de Ecclesia ab illo pertractatae sint et aliae iam paratae fuerint ad Patrum discussionem.

b) *organizationem externam vere efficientem desiderari pro Ecclesia,* quum nostris temporibus exercitium auctoritatis publicae plura requirat, quae adeo necessaria non erant temporibus praeteritis.

Iamvero, in concreto argumenta sequentia *praeprimis* suggerere infrascripto visum est.

A) *Doctrinae capita specialia circa Ecclesiam*

In Concilio Vaticano, doctrina Primatus necnon infallibilitatis Romani Pontificis definita fuit. Videtur futurum Concilium Oecumenicum alias quaestiones aggredi posse in eadem linea. Exempli gratia:

1. *Doctrina theologica verae et genuinae unitatis, quam Christus*

voluit pro sua Ecclesia. Nostris temporibus, quando agitur de vera Ecclesia Christi, conceptus unitatis non semper recte exponitur etiam ab auctoribus catholicis. Praesertim, si quaestio agitatur de ecclesiis separatis, vi cuiusdam irenismi, quidam unitatem concipiunt tamquam meram solidaritatem christianam, quae unitatem fidei, sacramentorum et hierarchiae parvipendit. Ideo videtur necessaria expositio et definitio doctrinae de genuina unitate Ecclesiae, quam Christus voluit et pro qua Christus Patrem rogavit.

2. *Doctrina theologica Episcopatus.* Persona Episcopi, utpote successoris Apostolorum, maximum momentum habet in regimine Ecclesiae, quum triplici potestate ordinis, magisterii et iurisdictionis iure divino gaudeat. Doctrina theologica Episcopatus eum contemplari potest: *a) tamquam pastorem ecclesiae particularis,* cum presbyteris cooperatoribus et populo sibi commisso; et *b) tamquam membrum episcopatus universalis,* qui collegialiter sub Romano Pontifice Ecclesiam Dei regit.

3. *Doctrina theologica Presbyteratus.* Sacerdotes, et saeculares et religiosi, concipiuntur tamquam cooperatores episcoporum in regimine fidelium. Ipsorum vinculatio cum episcopo deducitur: *a) ex participatione plenitudinis sacerdotalis episcopi* et *b) ex cooperatione in activitate pastorali,* quae episcopo competit relate ad fideles ipsi concreditos. Doctrina theologica *diaconatus* atque opportunitas ipsum reinstaurandi, tamquam gradum per se stantem, considerari etiam possent.

4. *Doctrina theologica laicatus.* Persona laicorum in vita Ecclesiae magnum momentum habet, eo quod et ipsi « Ecclesiam constituunt ». Inde desideratur doctrina theologica: *a) circa laicorum participationem sacerdotii Christi; b) circa eorum capacitatem ad hoc ut subiectum potestatis Ecclesiae considerari queant,* praesertim quando sermo fit de potestate magisterii; *c) circa locum quem obtinent in Ecclesia laici statibus perfectionis addicti,* sive in Ordinibus aut Congregationibus religiosis, sive in Institutis saecularibus; *d) circa peculiarem activitatem* quae laicis in ordine apostolico reservatur, indeque circa veram naturam Actionis Catholicae et associationum apostolatus laicorum; *e) circa valorem iuridicum atque auctoritatem qua gaudeant organizationes internationales laicorum,* earumque relationes cum hierarchia dioecesana, sive agatur de activitate stricte apostolica, sive de actione potius sociali aut benefica.

B) *Argumenta maioris momenti circa externam Ecclesiae organizationem*

Inter varias quaestiones quae sese referunt ad ipsam Ecclesiae externam organizationem, quaeque maioris momenti videntur pro hodiernis temporibus, sequentes iuvat notare:

1. *Desideratur maior efficientia organorum,* quae ad practice regulandum exercitium auctoritatis ecclesiasticae creata sunt. Quum omnis

auctoritas publica pro bono communi constituta sit et, sive personae physicae sive entia moralia quae quacumque potestate fruuntur, erroribus sint obnoxia, inde ad exercitium auctoritatis regulandum et ad eius efficaciam augendam, aliqua organa iam inveniuntur descripta in *Codice Iuris Canonici.* Sed non videntur sufficienter apta necessitatibus nostri temporis. Unde necessaria apparet reformatio *Curiae Romanae,* praesertim in iis quae sese referunt ad potestatem administrativam exercendam. Pariter, in linea dioecesana, *Capitula Cathedralia* innovatione certe indigent.

2. *Exoptatur organizatio oeconomica Ecclesiae,* necessitatibus hodiernis aptior. Unde reformari debet *conceptus beneficii,* residentialis necne; *sacerdotes saeculares dioecesi inservire debent tamquam administri,* quorum sustentatio, potius quam e dote beneficiali, exurgere deberet ex efficienti organizatione oeconomica dioecesana. Etsi huiusmodi organizatio haberi deberet in plano pontificio, praesertim proprium locum haberet in ambitu dioecesano, et interdioecesano, imo forte et nationali. In quaestionibus technicis, laici, omni exceptione maiores, optime adiuvare possent. Hoc modo pro omnibus clericis saecularibus daretur, uti aiunt, securitas socialis, quae hodie omnibus operariis conceditur; imo et inutilis fieret pro clericis quaecumque bonorum aut pecuniae thesaurizatio.

3. *Maior coordinatio utriusque cleri* necessaria videtur, sub episcopo, praesertim in ordine apostolatus. Inde clare distinguendum est inter regimen internum religiosorum et eorum activitatem externam. Haec ultima vinculari omnino debet episcopo, qui pastor est iure divino. Consequenter considerare iterum oporteret *privilegium exemptionis* religiosorum, cuius ambitus videtur reducendus ad regimen internum. Etiam conveniens foret *codificatio privilegiorum,* quibus aliquae religiones gaudent. Practice coordinatio utriusque cleri haec duo importare videtur: *a*) *subiectionem religiosorum effectivam* erga episcopum in quocumque ordine apostolatus; et *b*) *incorporationem religiosorum negotiis atque activitatibus dioecesanis,* una cum clero dioecesano, semper duce episcopo, tamquam pastore ecclesiae particularis.

4. *Etiam organizatio ecclesiastica supradioecesana* conveniens videtur. Uti planum est, necessitates hodiernae in ordine apostolico superant limites dioecesium; sive problemata ipsa inspiciantur, sive solutiones considerentur, quae practice afferri debeant. Iamvero huiusmodi organizatio supradioecesana attingere debere videtur et provincias ecclesiasticas, nationibus non exclusis, et ipsam Ecclesiam universalem. Inde haberentur, pro iisdem necessitatibus, activitas uniformis necnon organa unica pro variis dioecesibus; ita etiam facilior fieri posset transitus sacerdotum et religiosorum ab uno loco in alium, ubi necessitas maior esset et urgentior;

immo et ita associationes apostolatus laicorum supradioecesanae et efficaciam maiorem haberent et a Hierarchia facilius ducerentur.

* * *

Praeter haec argumenta, quae infrascripto videntur maioris momenti, alia addi possunt quae, etsi suum interesse certissime habeant, tamen collocari queunt in secundo loco. En aliqua:

A) *Doctrinae capita generalia*

Nostris temporibus, Ecclesia contra sequentes errores praesertim luctare debet: *a*) *contra modernismum* qui, etsi diversis nominibus — ex. gr. theologia nova, existentialismo, ethica situationis, etc. — adhuc grassatur, non obstante damnatione a S. Pio X facta, et *contra progressismum doctrinalem,* de quo egit Pius XII in litt. enc. *Humani generis;* et *b*) *contra materialismum atheum,* hodie a communismo et doctrinis marxistis propagatum.

Prae oculis habitis erroribus sub *a*) designatis, sequentia doctrinae capita videntur maximi momenti:

1) Pro deposito fidei custodiendo, regulae rectae interpretationis *Sacrae Scripturae,* valor obiectivus *Traditionis ecclesiasticae* et auctoritas doctrinalis *Ecclesiae magisterii,* praesertim ordinarii et authentici.

2) Existentia et natura *peccati originalis originati,* eiusque consectaria pro homine cuiuscumque aetatis, etiam nostrorum temporum.

3) Recta natura *supernaturalis* atque ipsius gratuitas pro homine.

4) Relationes inter theologiam, fidem et rationem humanam; proinde recta *methodus theologica,* attentis orientationibus quas hodierna philosophia, sic dicta existentialista, persequitur.

5) Natura *Redemptionis,* atque inde sacerdotii et sacrificii Christi, quum non semper eodem modo et recte de soteriologia Christi sentiatur, etiam ab auctoribus catholicis.

Relate ad errores sub *b*) designatos, sequentia doctrinae capita videntur enucleanda:

1) *Monogenismus* necnon *transformismus et evolutionismus,* praesertim quum de creatione hominis agitur et de fine totius creationis.

2) Competentia et limites Ecclesiae magisterii relate ad quaestiones quae *vitam socialem* respiciunt.

3) Doctrina Ecclesiae circa *iura hominis naturalia, auctoritatem civilem, tolerantiam religiosam, Status obligationes erga moralitatem et religionem* atque *relationes Ecclesiam inter et Statum.*

B) *Quaestiones circa disciplinam cleri et populi*

Inter alias, en quae infrascripto videntur maioris momenti:

1. Opportunum forte esset *statutum asceticum pro utroque clero* conficere, et quidem *obligatorium;* seu, aliis verbis, iterum invisere quae in *Codice Iuris Canonici* traduntur de obligationibus clericorum. Alia videntur reiteranda; alia forte mutanda; alia quidem addenda.

2. Necessarium quidem esset enucleare *principia moralia quae vitam socialem* regunt, quum haec hodie maximum momentum habeat. Quaestiones iustitiae et caritatis locum praecipuum obtinerent, condicionibus hodiernis magis aptatae.

3. Etiam peropportunum foret doctrinam tradere *de obligationibus moralibus quae vitam coniugalem atque familiarem* ordinare et tueri debent; ob praecipuum momentum familiae nostris temporibus.

4. Efficacior reddi debet *lex de praevia censura* necnon *de prohibitione librorum.* Immo et extendenda forte esse ad proiectiones cinematographicas et ad spectacula televisa.

5. *Lex de ieiunio et abstinentia* iterum esset pertractanda, quum difficiliter observetur et iam abhinc pluribus annis dispensatio vigeat.

6. Etiam *legem de diebus festis* noviter examinare plures cupiunt. Et quidem, si agatur de audiendo sacro, quum plurimi sint catholici qui de facto id non adimpleant, considerari posset opportunitas statuendi ut sufficiat missam audire mediante emissione radiophonica aut saltem televisione; reliquis condicionibus servatis circa attentionem, devotionem et integritatem. Si agatur de abstinendo ab operibus servilibus, considerandum esset quaenam sit vera et recta conceptio operis servilis, quae novis consuetudinibus congruat.

7. *Codificatio iuris liturgici* maxime exoptatur, quum hodie habeatur in libris et collectionibus quae non semper praesto sunt. Unde maior haberetur aptatio novis orientationibus liturgiae pastoralis.

* * *

Quae omnia, debita cum humilitate et reverentia, infrascriptus auctoritati Summi Pontificis subiicit, cui toto corde totaque anima adhaeret.

Hanc occasionem nactus, Eminentiae Vestrae impensos meae aestimationis sensus profiteor, permanens in Domino addictissimus

✠ NARCISSUS JUBANY ARNAU
Episcopus tit. Orthosiensis in Phoenicia

79

EXC.MI P. D. FRANCISCI X. OCHOA
Episcopi tit. Remesianensis

Die 30 mensis septembris anni 1959

Eminentissime Pater,

Abhinc tribus diebus perveni in Hispaniam et in hunc meum conventum, post absentiam quatuor mensium, et Eminentiae Vestrae desiderium adimplere cupiens, ut iam in meis litteris mensis augusti Eminentiae Vestrae annuntiavi, pauca quidem, et forte nullius momenti, proponere audebo.

Mea quidem humili opinione maximus progressus et decor Sanctae Matris Ecclesiae necnon uberiores fructus in christifidelium moribus obtinendi ab una praecipua causa pendent, scilicet, a sanctificatione sacerdotum, quae ab omnibus et omnimode procurari debet, praesertim postquam, e Seminario egressi, ministerio sacerdotali perfuncturi erunt. Tunc enim, iuxta communem sententiam, maxima neo-sacerdoti pericula ingruunt. Quid, exempli gratia, dicendum est de sacerdotibus, tam saecularibus quam regularibus, qui soli vitam habitualiter agunt, qui pauci vel nullius momenti reputant orationem seu meditationem quotidianam, quique facile vel ex quacumque levi causa eam negligunt? Quidve cogitandum de his sacerdotibus qui sacrum ministerium tantummodo in externa activitate consistere opinantur? Quid denique dicendum de his qui sive in propriis Paroeciis sive in Collegiis saltationes seu choreas iuvenum utriusque sexus fovent eo uti ipsi mutuo sese cognoscant magno cum periculo christianae moralitatis?

En brevissime quaestiones quas Eminentiae Vestrae proponere sum ausus. Faxit Deus ut bona voluntate et cooperatione omnium qui consulti fuerunt Sancta Mater Ecclesia scopum et fines Sacri Concilii Deo iuvante consequi valeat.

Eminentiae Vestrae addictissimus et infimus in Christo filius

✠ FR. FRANCISCUS XAVERIUS OCHOA, O.R.S.A.
Episcopus tit. Remesianensis

80

Exc.mi P. D. LUDOVICI ALONSO MUÑOYERRO
Archiepiscopi tit. Sionensis

Matriti, 28 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Honorificum mihi et maxime gratum fuit litteras vestras recepisse, I C/59-2414.

Quibus litteris Eminentia Vestra me rogabat, desideriis obsecundans nostri Augusti Pontificis Ioannis XXIII, ut animadversiones, consilia et vota Commissioni Pontificiae Antepraeparatoriae futuri Concilii Oecumenici, significare velim, circa res de quibus in futuro Concilio agere opportunum mihi videretur.

Cum praedictas litteras die 4 augusti huius anni receperim, cum a Curia Castrensi eram absens, impossibile fuit mihi responsionem die optata, i. e. die prima septembris, ad Eminentiam Vestram mittere.

Res autem de quibus agendum censeo in futuro Concilio sunt hae:

I. *Quoad doctrinam*

1. *De erroribus damnandis.* Examini diligenti subiiciendum utrum et quomodo observatum sit quidquid Pontifex Pius XII in Encyclica *Humani Generis* docuit et praescripsit. Ea etiam quae idem Summus Pontifex docuit de « Theologia nova » et « Morali nova seu situationis » videndum est qualem exitum habuerint. Doctrina Concilii iis de rebus exponi debet, qua claritate et opportunitate possibile sit, non quidem ut doctrina a Summis Pontificibus tradita in discrimen vocetur, sed eum potissimum in scopum ut corpus doctrinale ex integro redigatur, iis additis quae eam compleant ac perficiant.

Errores praecipui videlicet quos damnare opus est (definiendo vel simpliciter docendo, non audeo dicere) sunt:

1) Modernismus.

2) Relativismus dogmaticus.

3) Rationalismus.

4) Neo-paganismus, cuius est quaedam forma racismus (« Mit Brennender Sorge »).

5) Communismus (« Divini Redemptoris »).

6) Existentialismus, qui evolutionismo in dogmatibus favet, et in rebus moralibus « Morali situationis » fundamentum praebet.

2. *De Magisterio Ecclesiae.* De hac re etiam Pius XII egit in allocutione 31 maii 1954 coram Cardinalibus, Archiepiscopis et Episcopis qui canonizationi S. Pii X adfuerunt. Unde non erit absonum si quaestio de huiusmodi magisterio Concilio futuro proponatur tractanda. Rationalismus enim serpit inter fideles et clericos saeculares et religiosos, qui minimos limites dicto magisterio concedit; unde oboedientia in multis desideratur. Huic « contagio spirituali » alludit Pius XII in citata allocutione. Nec mirum, cum non desint qui a doctrina Constitutionum Apostolicarum et Decretorum a Sacris Congregationibus emanantium se avertant, sub praetextu quod non sollemni iudicio exponantur.

Conveniens igitur erit repetere doctrinam Concilii Vaticani (Sess. III, *De fide et ratione*).

Immo fortasse expediret declarare quas partes habeant Episcopi in magisterio infallibili Ecclesiae. Quas partes etiam, si quas habeant, laici in magisterio et apostolatu hierarchico. Unde de « Theologia laicali » agere oporteret.

3. *De libertate.* Quaestiones de libertate, quae apud auctores catholicos, expeditae videbantur, maxime post « Syllabus » Pii IX et Encyclicam *Libertas* Leonis XIII, aliaque plura documenta ecclesiastica, cursu temporis valde obscuratae sunt, opera *liberalismi,* qui conceptum libertatis adeo exagerat quasi quid absolutum, ut ius inhaerens naturaliter personae humanae, nullis limitibus (vel fere) subiectum in ordine religioso et morali. *In Colloquiis catholicis* Sancti Sebastiani in Hispania, annis praeteritis, non valuerunt assistentes (extranei et nationales) circa conceptum catholicum libertatis conscientiae convenire. Consequentia est indifferentismus. Quod non parum obest repressioni sectarum protestantium; quia si Ecclesia, dicunt aliqui, vult libertatem in nationibus democraticis, libertatem omnibus in locis concedere debet. Huic assertioni catholici multi, etiam ecclesiastici, praestant assensum.

Ut complementum huius materiae, de obligationibus Status Civilis respectu Religionis et de relationibus inter Ecclesiam et Statum declarandum esset.

II. *Quoad disciplinam*

1. *De Conferentiis Episcoporum.* Quod hae Conferentiae Episcoporum et Archiepiscoporum agantur valde notum est. Fere sunt iam institutiones. In Hispania subiiciuntur cuidam Regulamento. De efficacia earum tamen liceat mihi dubitare. Opportunissimae sunt, quia est medium aptum ut quaedam quaestiones communes Ecclesiae in singulis nationibus, ab Episcopis illius nationis tractentur et normae adoptatae ab omnibus sine discordantia executioni mandentur, salvis causis particularibus

excusantibus. At in hoc stat difficultas. Quoniam Conferentiae carent iurisdictione — dicunt aliqui — non imponunt obligationem dictas normas servandi. Et sicut dicunt, ita faciunt. Semper tamen utiles sunt practicae resolutiones Conferentiarum. Maior autem esset utilitas, si in Concilio Oecumenico probaretur quod decisiones Conferentiarum Episcopalium, a Sancta Sede approbatae, saltem modo generico, cum classico « Nihil obstat », ab Episcopis illarum debeant servari, auctoritate morali saltem quam habent tales Conferentiae et attentis utilitatibus in Ecclesia ex earum observantia provenientibus.

2. *De Religiosis.* Materia discussionis erit, ut mihi videtur, convenientia vel non Foederationum religiosorum et religiosarum diversorum scilicet institutorum necnon Confoederationum nationalium eorumdem in multis nationibus ultimis temporibus statutarum. Si exemptio religiosorum innumeras et importunas contentiones Episcopis et Sanctae Sedi praebuit in temporibus transactis, timendum est ne hoc systema foederale alias difficultates eisdem addat in futurum et quidem graviores.

Est quaedam novitas in regimine ecclesiastico, quae in principio, independentiae religiosorum respectu Hierarchiae iuris divini favet. Illas determinationes, exempli causa, quas Conferentiae episcopales existiment necessarium vel conveniens dictare pro tota aliqua natione, religiosi servabunt vel non iuxta decisionem Consilii generalis vel particularis quibus regantur.

In Statutis approbatis a Sacra Congregatione Religiosorum pro Foederatione institutorum docentium (de la enseñanza) in Hispania, ipsis proponitur conveniens associationes constituere alumnorum et ex alumnorum, amicorum, etc. statutis approbatis a dicta Sacra Congregatione. Nihil de Episcopis. Considerandum est quod in collegiis religiosorum utriusque sexus filii familiarum potiori positione sociali et oeconomica gaudentium in Hispania instructionem accipiunt. Et quid, si Foederatio surgeret omnium associationum a Religiosis pendentium, Congregationum marianarum, Ordinum Tertiariorum, associationum fundatarum in collegiis... quae Foederatio subordinaretur Confoederationi Religiosorum? En problema.

Certe, Concilium, iuxta meam sententiam, de hac re agere debet. Unio ante omnia quaerenda est.

Videtur necessarium affirmare quod Episcopi habent *intentionem fundatam in iure* respectu religiosorum, quoad omnia quae expresse non continentur in exemptione. Praeterea, quod exemptio non concedatur in visitatione collegiorum in quibus nempe doctrina praebetur fidelibus dioecesanis, non tantum ut instructio religiosa vigiletur, quod iam patet, sed etiam ut vigilantia possit exerceri quoad coeteras disciplinas et regi-

men studiorum, quia multum interest Ecclesiae quod docentia in his collegiis saltem non sit inferior ei quae in institutionibus Status et particularibus praebetur, itemque ut serventur normae communes quae statutae fuerint inter Statum et Commissiones Episcopales. Si sunt collegia Ecclesiae ad normam canonis 1375; non est consequens quod Hierarchia sit absens in videnda adimpletione conditionum quae praescriptae fuerint ut collegia sint « autorizata » vel « recognita » ab Statu. Si non admittunt inspectionem hierarchiae, Status urgeret suam inspectionem, si iuribus civilibus collegia gaudere velint.

3. *De Actione Catholica.* En aliud magnum problema quod in Concilio, vel extra illud a Sancta Sede tractare opus est.

Exigunt, imprimis illa « suggerentia » quam Summus Pontifex Pius XII misit studio Congressus mundialis de Apostolatu laicorum, mense octobri 1957, circa mutationem nominis et structurae Actionis Catholicae; postea vero discussiones et effectus hac de re habiti, non semper qua par est charitate et habita prae oculis Ecclesiae dumtaxat convenientia.

Commissionis antepraeparatoriae Concilii intererit existimo cognoscere historiam Actionis Catholicae hispanicae, post bellum civile finitum 1 aprilis anni 1939.

Breviter exponam:

Vix promulgatae sunt Bases praedicto anno 1939, a Metropolitanis Hispaniae, obtento « Nihil obstat » Pii XII, in eodem anno surrexit oppositio. Difficultatibus intrinsecis omnis institutionis humanae propriis addita fuit oppositio adversariorum. Adversarii praecipui fuerunt non pauci religiosi. Ratio autem oppositionis fuit subordinatio vel secundarius locus reservatus associationibus apostolicis a religiosis directis. Principium *aequalitatis* fuit proclamatum. Adhaesio quae postulabatur ab his associationibus respectu Actionis Catholicae huic principio offendebat, iuxta ipsos.

Unio Episcoporum in hoc negotio non potest tamquam exemplaris proponi. Oppositio crevit postquam facta fuit illa suggerentia a Papa Pio XII. Quod enim Papa proposuit tamquam obiectum studii, fuit in Hispania habitum a multis tamquam *assertum decisorium. Actio Catholica* tamen, Eminentissime Domine, non obstantibus difficultatibus intrinsecis, oppositione, quae fuit magna, religiosorum, et defectu defensionis, magnos fructus obtinuit Ecclesiae.

Hodie Statutum Actionis Catholicae, ut Vestrae Eminentiae notum est, fuit probatum a Metropolitanis hispanicis; sed non fuit possibile in unam opinionem reducere Episcopos: vel circa adhaesionem associationum apostolicarum Actioni Catholicae (ut fuerat a Summis Pontificibus

Pio XI et Pio XII constitutum) vel circa foederationem omnium associationum cum Actione Catholica in omnimoda *aequalitate*.

Divisio ergo post illum Congressum est maior quam antea. Religiosi fere unanimes optant pro *aequalitate* omnium associationum apostolatus laicalis, et aliqui etiam Actionem Catholicam specificam Episcoporum et parochorum velint suppressam. Quaestio igitur manet insoluta.

Inde necessarium censeo quod solutio debet imponi ab alto, prout prudentia dictet. Si in Synodo romana saltem lineae generales dentur pro Roma, normae erunt securae pro coeteris dioecesibus. Fortasse necesse sit, vel saltem opportunum, ut quoddam documentum simile « Bis saeculari » detur, non ad personas vel loca particularia missum, sed generale, in quo haec materia ex integro agatur, et, pro mea sententia, sequendo viam Pii Papae XI et Pii XII, necnon Pontificis Ioannis XXIII, cum Ecclesiam Patriarchalem Venetiae regebat.

Quamvis hoc documentum a Sancta Sede proveniat, semper in Concilio oecumenico futuro agendum erit de hac maximi momenti quaestione, de qua liceat mihi aliqua proferre.

a) Omnibus Episcopis praecipiendum vel saltem danda conveniens exhortatio ut associationes *proprias* Actionis Catholicae in suis dioecesibus et paroeciis, prout possibile sit, constituant, ut fideles laici ipsis auxilium in apostolatu hierarchico praestent.

b) Associationes apostolatus laicalis, aliquo modo independentes ab Episcopo, laudandae et iuvandae; sed si statuta non habeant ab Episcopo probata, indigent eius auctorizatione ut apostolatum determinatum exerceant.

c) Coordinatio inter ipsas et cum Actione Catholica statuenda est in singulis nationibus, prout magis expediat. Sed *adhaesio* organismis Actionis Catholicae officialis debet esse voluntaria, nulli impedienda, ut proximiorem collaborationem praebeant apostolatui talis Actionis, modo quo in Regulis definiatur.

d) Associationes quae adhaerere nollent Actioni Catholicae, adhaesionem praebeant directe Hierarchiae in triplici gradu: nationali (Coetui superiori), dioecesano (Episcopo) et paroeciali (parocho). Omnes associationes: scilicet Actionis Catholicae, apostolatus laicalis quae huic adhaeserint, et coeterarum, si apostolatum exercere velint, inscriptae convenienter in albo Apostolatus laicorum in gradibus nominatis, statis temporibus debent convenire sub directione cuiusdam Praelati vel alterius delegati a Hierarchia, ut de rebus agant communibus aut interesse generale habentibus in locis respectivis.

e) Aliqua organizatio erit conveniens, sed non habeat oportet magnam structurationem et autonomiam, vitandi causa collisionem cum

Actione Catholica, quae semper, ut par est, quamdam praecedentiam habere debet, utpote associatio *propria* et quasi *pars* apostolatus hierarchici.

Fortasse solutio generalis possit esse *Consulta* quae pro Italia est statuta.

4. *De Arte Sacra.* Omnibus notum erit quantos modernismus in arte progressus fecerit. In Ecclesia, meo quidem iudicio, tam in Architectura, quam in Sculptura et Pictura, lamentabiles effectus videndi et plorandi sunt. Praesertim templa, si sacrarium excipias, protestanticis assimilantur. Carent fere imaginibus sanctorum. Iconoclastia videtur irrepsisse. Sub praetextu cultus Crucifixo et Sanctissimae Eucharistiae, imagines sanctorum, una fortasse excepta Beata Virgine Maria (cui locus valde secundarius relinquitur), exulant. Quod multae ecclesiae peccent excessu imaginum facile conceditur. Sed hoc pietati christianae tribuendum est, in decursu saeculorum. Non est autem remedium illas supprimere. Mala quae sequentur pietati fidelium, non compensantur elegantia artis, si vera elegantia habeatur.

Cultus praeterea eucharisticus non patitur praesentia imaginum in ecclesia, praesertim post restaurationem a Sancto Pio X factam.

Existimo, igitur, necesse esse imponere normas quae iam sunt statutae a Sancta Sede in hac re, aliasque, si opus sit, dare, ut novae formae artisticae religioni et pietati nullo modo noceant.

III. *Quoad moralitatem*

In hoc capite, quaestiones includuntur quae ad praecepta Decalogi pertinent. Unde vox moralitas in amplio sed vero sensu accipitur.

a) De diebus festis, praesertim circa cessationem a laboribus (III Praecpt.).

b) De auctoritate paterna et de educatione christiana filiorum (IV Praecpt.).

c) De amore erga proximum. Item de pace et bello (V Praecpt.).

d) De castitate (VI Praecpt.).

1. Quaedam principia moralia speculativa necessaria sunt, quae, si in capite de *Doctrina* non sunt exposita, in hac parte deberent exponi, videlicet: de peccato contra castitatem, de possibilitate castitatis, de erroribus antiquis (determinismo, atheismo, materialismo) et de errore iam antea citato, qui dicitur « Moralis nova seu situationis ».

2. Quoad praxim hodiernam, illa pericula contra castitatem specialem mentionem et condemnationem habere debent, quae ad matrimonium et familiam attinent. Ea exponere nunc innecessarium puto.

3. Defensio moralitatis maximum momentum habet. Exponendum est ergo quas partes in illa defensione habeant:

Pastores et clerus.
Patres et matres familiarum.
Educatores puerorum et iuventutis.
Status civilis.
Associationes catholicae. Inter istas *Legio Decentiae Christianae* videtur commendanda.

Denique quaedam normae concretae de spectaculis, choreis, balneis, vestitu mulierum, etc. videntur opportunae ut ab Episcopis omnibus serventur in toto mundo, unanimiter, quasdam sanctiones statuendo.

e) De iustitia, praesertim *sociali,* urget ut doctrina catholica, iuxta Encyclicas notissimas, exponatur, ita ut quaestiones sociales ab omnibus Episcopis, quatenus possibile sit, aequali modo solvantur (VII Praecpt.).

IV. *Aliae quaestiones*

Denique, summatim quasdam animadversiones addam quae, si ex una parte ad reformationem Codicis attinere videntur, ex alia in Concilio futuro fortasse locum habere possunt. Sunt hae:

1. Assistentia religiosa in exercitibus magnam attentionem meruit ex parte Sedis Apostolicae. Documenta generalia edita, nempe « De Vicariis Castrensibus » et « Ad Sacra limina » digna sunt quae in Concilio, vel saltem in Codice, locum praestantiorem inveniant, additis v. gr. quibusdam privilegiis, et factis ad Ordinarios exhortationibus opportunis, ad mentem Litterarum S. C. Consistorialis, pro Hispania (2 iunii 1951), de sacerdotibus conspicuis virtute, scientia et zelo Vicariis Castrensibus concedendis.

2. Suppressio impedimentorum gradus minoris videtur conveniens, vel saltem ut inter impedimenta impedientia connumerentur.

3. Normae quaedam desiderantur ut Ordinarii, extraiudicialiter, modo gubernativo, poenas imponere valeant per praeceptum.

Eminentissime Domine, has litteras dum mitto Commissioni Antepraeparatoriae futuri Concilii Oecumenici, cui Eminentia Vestra tam dignissime praeest, libenter offero elenchum praecedentem quaestionum, quae mea quidem sententia peropportunum videntur esse tractandae in futuro Concilio.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae Sacram Purpuram submisse deosculatur

addictissimus in Domino
Vicarius Generalis Castrensis in Hispania
✠ LUDOVICUS ALONSO MUÑOYERRO
Archiepiscopus tit. Sionensis

81

EXC.MI P. D. ANTONII AÑOVEROS ATAÚN

Episcopi tit. Tabudensis, Coadiutoris c. s. Gadicensis et Septensis

Gadibus, 22-8-1959

Eminentissime Princeps,

Acceptis litteris diei 18 iunii 1959, Prot. N. I C/59-2424, quibus mandatum Ss.mi Domini Papae Ioannis XXIII significatur, gratia atque auxilio Dei impetrato et opera adhibita virorum ecclesiasticorum et prudentium, honorificum mihi est sequentia exponere quae in futuro Concilio tractari poterunt:

I. *Capita doctrinae*

Mediatio Universalis Beatae Mariae Virginis.
Theologia Corporis Mystici.
Theologia Laicalis.

II. *De re morali*

Accurata et definita expositio sub ratione peccati, de liceitate vel minus, usus matrimonii illis tantum diebus qui agenesei dicuntur.

Documenta pontificia: litterae encyclicae, adhortationes, etc. Eorum practica obligatio in conscientia.

III. *De re sociali*

In praesenti rei statu interest quam maxime, determinare in subiecta materia peccatum grave. Quod forsitan praesupponit:

a) Notionem accuratam, disputationibus non subiectam, de bono communi.

b) Item de iure et de limitationibus proprietatis.

c) Crisim instituere undequaque perfectam systematis Capitalismi.

d) Controversiam, inter catholicos existentem, de salario familiari absolvere.

e) Dilucidandum etiam, utrum operarii ius habeant ad participationem aliquam lucrorum.

IV. *De clericis*

Modestia gravior exigenda in exterioribus rebus, etiam in Praelatis et aliis qui in dignitate ecclesiastica constituuntur.

Paupertas evangelica: suadenda vel adaequate imponenda clericis? Fundamentum sanctitatis et virtutum: ipsum ministerium animarum ad quod diversimode clerici destinantur. Exercitia spiritualia quotannis agenda. Secessus spiritualis. Expletis quinque vel decem annis ministerii sacerdotalis, peropportunum fortasse erit instituere atque praecipere alium secessum per integrum mensem ad vitam spiritualem instaurandam vel fovendam.

Ius beneficiale etiam classico principio instaurato, beneficium propter officium et non vice versa, correctione indiget? Officia inamovibilia: bonum animarum et Ecclesiae sine culpa beneficiati, sustitutionem exigit saepenumero. Systema aliquod iubilationis?

Concilia nationalia ad normam iuris in Ecclesia instauranda et urgenda. Dioecesana synodus, in singulis dioecesibus, urgenda, tendentia tamen praeprimis pastorali. Nova ordinatio in Curiis dioecesanis?

Capitula canonicorum. Quid de hoc institutum hodie sentiendum? Supprimi debet vel adaptari? An officium canonicorum relate ad Episcopum, convenienter obtineatur Consultoribus Dioecesanis? Ecclesia Cathedralis, paroecia matrix Dioecesis, propria Episcopi commendata curae habituali alicuius Vicarii?

Parochi et Vicarii cooperatores. Principium semper prae oculis habendum etiam in magnis urbibus: ne nimia sit paroecianorum multitudo. Vicaria paroeciali instituta, determinentur iura rectoris eiusdem. Statuta paroecialia adaptata hodiernis conditionibus. Via et forma efficacior ad urgenda et fovenda studia sacra (can. 129).

Dotatio oeconomica cleri. In taxis solvendis pro administratione Sacramentorum et funeralium, ne dentur classes.

Nova officia dioecesana pro necessitate temporum. Exempli causa: Visitator spiritualis sacerdotum; Administrator bonorum ecclesiasticorum; Consiliarius Apostolatus laicalis, quaestionum socialium; pro technica diffusione doctrinae catholicae, adhibitis nova methodo novisque instrumentis (Ufficio cattolico di propaganda).

Harmonice componantur in utroque clero servitia immediate praestanda in favorem dioecesis vel Instituti, cum exigentiis et necessitatibus Ecclesiae Universalis.

Iactura castitatis in tot sacerdotibus et religiosis, quaestionem non parvi momenti, molestam equidem gignit. Consectaria gravissima pro ipsis sacerdotibus et fidelibus. Privantur modo habituali gratia ad mini-

sterium fructuose exercendum. Pravum exemplum; scandalum fidelibus; dolor Matris Ecclesiae.

Vita communis clericorum. Convictorii sacerdotales.

Tempora vacationum in iure concessa, minuantur.

V. *De religiosis*

Intensiorem dent operam religiosi ministeriis stricte dioecesaniis. Ad exercitium magisterii in scholis cuiuslibet gradus semper valideque exigatur et praeparatio sufficiens et titulus seu laurea congrua.

Diversitas classium socialium, alioquin legitima, minus appareat in scholis et collegiis Ecclesiae concreditis.

Religiosi et religiosae ministerio spirituali vel scholari dicati, iuvamen etiam afferant animabus qui ruribus vel zonis urbium modestioribus vitam degunt.

Uniantur monialium monasteria quae ex insufficientia mediorum, vocationum, vel convenientis assistentiae spiritualis, difficultate non parva laborant.

VI. *De laicis*

Principia doctrinalia et iuridica de Actione Catholica dilucide exponantur.

Item de participatione laicorum, qua via et quo gradu, in operibus et ministeriis Ecclesiae.

Normae validae ne multiplicentur in Ecclesia associationes.

VII. *De Sacramentis*

In administratione sacramentorum et in aliis caeremoniis minoris momenti, lingua vernacula utatur. Textus tamen versionum approbatus sit a Sancta Sede.

Formae liturgicae simpliciores in pontificalibus, in consecrationibus etc.

Baptismus. Nonnisi sat ampla instructione ornatus adultus baptizetur.

Confirmatio. Novae facultates aliquomodo extendantur. Quamvis hoc sacramentum omni aetati conveniat, convenienter adultis iam instructis conferatur et quidem ne turmatim et praecipitanter. En ratio petitionis.

Eucharistia. Omnibus diebus et horis matutinis et vespertinis liceat Sanctissimam Eucharistiam distribuere.

Communiones sic dictae generales, praesertim in communitatibus puerorum et puellarum restringantur. Cf. *Instr. C. Sacram. A.A.S.* 1936, 8 38.

Missa. Suppressa recitatione ultimi Evangelii, Missa finiatur dicto « Ite Missa est ». Participatio fidelium in Sacrificio: modo tamen adaequato et captui eorum accommodato. Missae vespertinae et aliae devotiones non strictae liturgicae horis vespertinis habitae.

Poenitentia. Non amplius statuantur peccata ratione sui Episcopo reservata. Formula brevior adhibeatur in absolutione. Facultates de quibus in canone 883 extendantur ad alia itinera (*A.A.S.,* 40, 17). In casibus verae et strictae necessitatis spiritualis, gravata si opportunum videtur sacerdotum conscientia, iurisdictio ad audiendas confessiones a iure concedatur in determinatis adiunctis. Doctrina de errore communi rem non semper et sine ansietatibus dirimit. Magni aestimentur *Indulgentiae.* Desideratur hac de causa restrictio in concessione earumdem.

Ordo. Ordines Minores. Protractum exercitium ministeriale ordinandorum seu clericorum ante susceptionem Presbyteratus. Maior requiritur aetas ad sacerdotium. Presbyteri essentialibus functionibus ministerii et apostolatus toto animo dicati. Quaenam ergo solutio pro adimpletione aliorum munerum.

VIII. *Seminaria*

Severa selectio alumnorum. Normae definitae, hodiernis conditionibus adaptatae. An expediat titulus scholae mediae indiscriminatim omnibus procurare. Saltem in singulis regionibus uniformitas plena — eadem programmata — in Philosophia et Theologia. Postseminarium per integrum annum: ordinationes relate ad hoc institutum.

Seminaria regionalia saltem erigantur quando angustiores Dioecesis fines, vel exigua alumnorum copia, vel idoneorum hominum rerumque pecunia non concedant ut Episcopus quisque proprium optimeque instructum Seminarium habeat (Pius XI, *Ad catholici sacerdotii, A.A.S.,* 1936, 8 38).

Unitas directionis spiritualis curanda vel exigenda in Seminariis? Ad rectam formationem superiorum, domus constituantur in singulis regionibus, vel saltem teneantur conventus periodici et astringantur assistere qui curam alumnorum habent.

IX. *Matrimonium*

Ius naturale matrimonium contrahendi in praxim admittatur sine praeiudicio congruae praeparationis remotae et proximae ad sacramentum suscipiendum.

Reducantur illa impedimenta iuris ecclesiastici quae de facto simplici petitione dispensantur.

Causae matrimoniales multiplicantur in tribunalibus dioecesanis,

Forma efficax mitigationis.

Matrimonia mixtae religionis. Severissima prohibitio Ecclesiae maiori cum rigore sustineatur.

Ambitus potestatis pontificiae de dissolutione matrimoniorum.

X. *Praecepta Ecclesiae*

Universalis legislatio de abstinentia et ieiunio.

De decimarum et primitiarum solutione si fieri potest unicum systema in Ecclesia statuatur.

XI. *Quaestiones generaliores*

Ignorantia veritatum fidei etiam inter catholicos qui religionem colunt. Opportuna remedia.

Ingens multitudo baptizatorum elongata de facto. Positio et ministerium circa hos baptizatos.

Divini Verbi praedicatio sit efficax, doctrinalis, communi audientium captui accommodata. Vigilantia, sed non nominalis.

Magnae stationes radiophonicae et televisionis sibi invicem coadunatae. Idem dicendum ad diffusionem notitiarum (Agenzie d'informazioni).

Curandum ne nimia sit multitudo diariorum et commentariorum quae generatim technice deficientia reputantur et quasi nihil boni operantur. Commune consilium eorum qui auditoria cinematographica exercent atque pelliculas distribuunt.

Foederationes nationales et internationales de auditoriis cinematographicis.

Ordinatio oeconomica in dioecesi adaptata hodiernis conditionibus, saepenumero supradioecesanis.

In dioecesibus periodica Visitatio apostolica. Optima experientia Seminariorum in hac materia.

Doctrina de privilegiis in Ecclesia examini subiiciatur.

Integra materia de delictis et poenis simpliciori modo redigatur. Poenae efficaces.

Positio Ecclesiae in ordine ad *communismum*. Studium exhaustivum de eius methodo et forma laborandi. Viri virtute et ingenio praestantes atque instituta in hac quaestione et problemate exerceantur.

Idem dicendum de *Protestantismo,* de *Nationalismo africano.* Quid statuendum doctrinaliter et in ordine ad actionem de divisionibus ratione stirpis?

Positio christiana circa *arma novissima.*

Apostolatus pro emigrantibus.
Relationes inter Sanctam Sedem et episcopatum subordinatum.

Maior centralizatio vel e contra?

Ecclesiae antiquitate et ratione insignes iuvamen validum missionibus exteris afferant.

Splendeat in Curia Romana universalitas Ecclesiae.

An in praesentibus restringi debeant in determinatis actibus et formis fastus et luxus Ecclesiae.

Relationes inter Ecclesiam et Statum; inter Episcopatum et regimen politicum vigens in singulis populis.

Libertas Ecclesiae in nominatione episcoporum.

Lectiones ex schismate sinensi.

Universitates catholicae etiam in catholicis nationibus.

Recognitis in antecessum expositis alia in mentem veniunt problemata cum illis intime connexa.

Flexis genibus coram Sanctissimo, supplici a Deo poscimus prece pro Eminentia Vestra Reverendissima et constituta Commissione Antepraeparatoria pro futuro Concilio Oecumenico supernum auxilium.

Reverentiae et obsequii sensus ex corde profiteor, dum Sacram Purpuram deosculor.

Addictissimus in Domino
✠ Antonius Añoveros Ataún
Episcopus tit. Tabudensis

82

Exc.mi P. D. IOSEPHI M. GARCIA LAHIGUERA

Episcopi tit. Zeliteni, Auxiliaris Matritensis

Matriti, die 15 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi est communicare Pontificiae Commissioni animadversiones, consilia et vota circa res et argumenta, quae in futuro Concilio exponi et enucleari posse mihi visum fuit.

I. *Quaedam doctrinae capita*

Omnino tractanda putamus in Concilio ea omnia quae ad Revelationis depositum spectant, ut sub Magisterio S. Ecclesiae clariora evadant

et dubia non pauca evanescant, quae in quampluribus publicationibus (libris, ephemeridibus, etc.) sunt tractata et ad ipsos laicos fideles pervenerunt. Praesertim:

1. Circa Theologiam quam dicunt « novam » prout de ea tractavit S. Pontifex Pius XII in Litt. Enc. *Humani Generis* (die 12 aug. 1950) ita ut dubia omnia et aberrationes iamiam aliquamtum propagata vincantur et evanescant.

2. De ea quam dicunt « Morali de situatione » et « Morali Nova » cui refertur S. P. Pius XII (23 mart. 1952) cum ageret de inviolabilitate et educatione christianae conscientiae.

3. Doctrina Mystici Corporis de qua in Concilio Vaticano non actum est, quamque S. Pont. Leo XIII in Enc. *Satis cognitum* et Pius XII in Enc. *Mystici Corporis* (29 iunii 1943) studuerunt. Oporteret enucleari et scientifice et ordinate tractari plurima quae de hac dicta et scripta sunt sub luce S. Pauli Ap. et S. Augustini, ita ut saltem in Concilio, schema fundamentale conficiatur, praecipue de principiis et thesibus principalibus.

4. Item tractanda *theologia laicorum* de qua S. Pont. Pius XII in alloqutione ad Sacrum Collegium et Episcopatum (31 maii 1954) ut obtineatur verus sensus « laicatus » in Ecclesia, praesertim circa sacerdotium laicorum, de quo non pauci in ecclesiis sunt et moventur pseudo-mystici errores.

5. Summi momenti esset decernere in Concilio omnia quae spectant ad Sacram Scripturam, speciatim quae ad sensum quem dicunt « typicum » et « pleniorem » spectant; non parvum stuporem et scandalum aliquando patiuntur fideles, cum legunt vel audiunt quamplurima quae, quamvis vera sint, pugnant cum antiquissima Ecclesiae traditione et praedicatione. Decernantur aliquando semel pro semper, si possint, quae de Sacra Scriptura admittenda sint vel non ut historica vel symbolica, vel typica.

6. Summe opportunum videtur altius tractare circa relationes Ecclesiam inter et Statum ad normam documentorum S. P. Leonis XIII *Diuturnum* (29 iunii 1881) et *Immortale Dei* (1 nov. 1885). Saltem decernere Principia Iuris Publici Ecclesiastici, novis temporibus et exigentiis politicis et diplomaticis accommodata.

7. Convenienter ageretur etiam de confessionalitate Status, de qua S. P. Leo XIII in Enc. *Libertas* cum asseruisset « Rationem et iustitiam simul vetare ne Status sit atheus » et Enc. *Immortale Dei* (1 nov. 1885) asserens Statum non posse praetermittere sua religiosa officia nec omnes cultus et religiones simili vel eodem modo tractare.

II. *Disciplina cleri*

A) *Vita spiritualis*

1. Ut melius obtinere possit quod postulat can. 124 et compleri quae statuit can. 125, optimum videtur Concilium decernere, clerum « exercitiis spiritualibus vacare » *singulis annis* et non « tertio quoque anno » (can. 126); et insuper secessum spiritualem agant singulis mensibus, exceptis vacationibus aestivis, cui praecedant vel sequantur « collationes seu conferentiae » de quibus can. 131. Haec (exercitiorum et secessuum) est praxis aliquarum dioecesium et quamplurium piorum clericorum.

2. Reiterandum est optatum S. Ecclesiae vitae communis inter clericos can. 134 praesertim cleri paroecialis, cum hodie convenientissimus habeatur labor non individualis, sed simul cum aliis sociatus.

3. Circa habitum ecclesiasticum putamus firmiter sustinendum talarem habitum; opportunum fortasse videretur specialem habitum pro clericis itinerantibus decernere (can. 136). Tamen praxis habitus talaris, potior, tutior, et summe probata et convenientissima videtur.

4. Decernatur modo concluso et ineluctabili circa castitatem et celibatum ecclesiasticum, ut funditus eradicentur periculosae opiniones et diluantur spes vanae et fallaces errores, ut videlicet, error sustinens matrimonium melius virginitate esse. *Sacra Virginitas* S. P. Pii XII (25 martii 1954).

5. Modo speciali agatur de virtutibus vocatis passivis et hodie summe despectis: ut humilitas, paupertas, mansuetudo et maxime oboedientia, cuius traditionalem sensum subvertunt et cui cupiunt subrogare per vulg. dict. « oboedientia dialogata ». Lucidissime S. P. Leo XIII eis opposuit veram doctrinam damnans « americanismum » in epistola *Testem benevolentiae,* et Pius XII similiter « activismum » in Enc. *Menti Nostrae.*

6. Vim et auctoritatem credimus dandam omnibus quae de vita interiore, oratione, piis exercitiis, virtutibus sacerdotalibus dixerunt SS. PP. Pius X in Litt. Enc. *Haerent animo* (4 aug. 1908), Pius XI in Enc. *Ad catholici Sacerdotii* (26 dec. 1935), et Pius XII in Enc. *Menti Nostrae* (23 sept. 1953).

7. Cogitamus optimum fore ut Concilium curet de accurata limitatione assistentiae Clericorum spectaculis (hodie infeliciter tam frequentatis a clericis) cuiuscumque generis sint quae dedecent; et de maxima efficacia practica danda canoni 140.

8. Ad finem usque prosequi reformationem Breviarii Romani a

S. P. Pio XII initam. Et S. Sedi petitionem iterare iamdudum ab Hispano Episcopatu, Capitulis Cathedraliciis, Clero et Seminariis factam ut instituatur festum liturgicum Christi Summi et Aeterni Sacerdotis.

B) *Vita apostolica*

1. Credimus opportunum ut Concilium decernat praedicationem faciendam singulis dominicis et festis diebus, *in omnibus Missis* quae celebrentur in quolibet templo cuiuscumque generis sint iuxta can. 1344, accuratius definiendo paragraphum primam et dilatando sensum paragraphi secundae.

2. Studenda melius figura canonica Vicarii Coadiutoris Parochi, cui *Codex I. C.* fere unum tantum canonem decernit, cum vere et de facto in amplissimis paroeciis ipse Vicarius pondus gerat passivum urbanae vitae pastoralis (infirmis, moribundis, sacramentorum administratione, assistentiis et fere omnibus servitiis).

3. Oporteret Vicarium Coadiutorem paroecialem participem fieri potioris responsabilitatis et participationis in cura animarum, immo et ipsi permittere ampliorem consilium et facultatem decisionis; et consequenter, et aequitate et caritate, ampliorem etiam participationem in emolumentis et liberis stipendiis.

4. Absolutum et indiscutibilem principatum Paroeciae decernendum putamus; sed studendum simul magnum et indeclinabile problema multiplicationis paroeciarum; feliciter increscit opinio assignans cuilibet paroeciae non plus (decem millium) 10.000 animarum; secus impossibilis erit vita familiae paroecialis apud Matrem Paroeciam.

5. Incessabilis et strictior cooperatio inter paroecias in apostolatu, cum nunc temporis frequentissimus detur labor apostolicus interparoecialis.

6. Item efficacior cooperatio et consilium mutuum profundius inter saecularem et regularem clerum in ordine ad animarum curam et apostolatum (proposita, incepta, scopum et finem etc.).

7. Videtur conveniens parochorum facilior remotio. Oporteret vitare *strictam proprietatem* in canonica possessione paroeciarum? Ita posset obtineri inter alia firmior stimulus in studio sacrarum scientiarum per systematica et ordinata examina ope programmatum etc. per materias et tempora dispositarum et facilius removeri pro animarum salute.

8. Oporteret decernere vi decreti conciliaris cooperationem obligatoriam cleri cathedralitii et collegialis, immo et omnium clericorum sub auctoritate dioecesana vel paroeciali, ita ut labori cooptentur, et coaptentur curae animarum, ut nullus clericus de factu eximatur hoc utilissimo et hodie necessario labore in fidelium bonum.

9. Maximi momenti erit studium et valorisatio recentissimorum apostolatus et actionis pastoralis mediorum (radio, televisio, cinema, machinae, media scientifica), ut fidei et animabus et Ecclesiae inserviant et maximam efficaciam obtineant.

C) *Seminaria*

1. In Ratione Studiorum in Seminariis opportuna et graduata valorisatione indigent novissima et hodierna problemata, praesertim quae secum ferunt relationem veram morali christianae, e. g. temata socialia, encyclicas pontificias, doctrinas politicas, aliaque nationalis et internationalis characteris problemata.

2. Quaeratur maxima possibilis uniformitas et unitas in programmatibus et rationibus studiorum Seminariorum, ita ut obtineatur apex scientificus similis proportionate in omnibus Seminariis orbis catholici.

3. Bonum foret ut inducatur iam ut disciplina studenda in Seminariis Theologia Keritmatica, qua optimus profectus pro bono animarum et praedicatione obtinetur ex studiis theologicis, immo et philosophicis.

4. Oporteret decretum conciliare dicere uniforme pro tota Ecclesia circa Seminaria aestiva.

5. Item decernere, suppositis experientiis iamiam habitis, circa « Convictoria Sacerdotalia » et postseminaria, statuendo, si possibile sit, programmata et actionem et praxim pastoralem, colligendo experientias plurimas, varias (immo et contradictorias) hucusque habitas.

6. Summi momenti est statuere in legibus ecclesiasticis et *Codice I. C.* figura canonica Praefecti Disciplinae Seminariorum, quae hucusque nullam habet referentiam vel regulam in *C.I.C.* Tamen in omnibus orbis Seminariis exstant et in documentis pontificiis habentur. Labor formativus et influxus actionis Praefecti erga alumnos Seminarii est maximi momenti, cum sit immediatus, intensus et summi influxus practici in formatione aspectus externi, et etiam interni extrasacramentalis futuri sacerdotis.

III. *Disciplina populi christiani*

1. Decernenda et definienda videtur doctrina circa apostolatum saecularium, semper sub luce, inspiratione et directione Episcopi Dioecesis.

2. Exclarescere oporteret modo absoluto et definitivo quidquid attinet ad Actionem Catholicam, vel in se, vel relate ad coeteras alias actiones et associationes apostolicas, tum iuridice, tum pastorali aspectu studenda, tam in ambitu paroeciali, dioecesano et nationali.

3. Non quidem « unicitas », at certe « unitas », in dioecesano apostolatu est absolute necessaria, ita ut, ultra varietatem, sit vera aposto-

lica cooperatio, iuxta normas et programmata ab Episcopo data et ad fines determinatos et concretos obtinendos ab ipso indictos et notatos.

4. Ut melius obtineatur haec cooperatio in unitate et varietate apostolatus, oporteret instituere figuram etiam canonicam « Delegati Episcopalis » ad modum Visitatoris Religiosarum, Cancellarii Curiae, etc.

5. Oporteret iterum atque iterum curare in efformatione spiritus fidelium circa spiritum paroecialem, qui tam efficaciter potest hanc unitatem et cooperationem obtinere.

6. Legem ferre unicam pro Universali Ecclesia, credimus oportere statuentem easdem leges et normas abstinentiae et ieiunii, tam poenitentialis quam eucharistici.

7. Circa participationem fidelium in cultu et actionibus liturgicis, bonum esset decernere quod opportunum foret circa usum linguae vernaculae, dummodo exceptiones et privilegia nullam afferant causam diversitatis et secessionis inter alios et alios populos, intra limites latini ritus; curandum etiam ne usus vernaculae linguae occasionem gignant calamitatis nationalistae, infaustae memoriae in Historia Ecclesiastica; attamen non pauca bona animabus credimus ventura ex usu linguae vernaculae, qui quidem usus non paulum cooperare potest in instructione et efformatione fidelium.

IV. *Auctositates*

1. Codificatio definitiva videtur statuenda Institutorum saecularium, ad mentem *Provida Mater* Pii PP. XII.

2. Opportunum etiam videtur ut vi conciliaris decreti statuantur modo definitivo Foederationes Religiosarum, tam optimo augurio probatae iam in Universali Ecclesia, ad mentem S. Pontificis in *Sponsa Christi.*

3. Item normae concretae decernantur erga gravissima problemata « Migrationis » iuxta tractata in Const. *Exul Familia.*

4. Cur non possit decerni, vi conciliaris decreti, *Status perfectionis* catholico sacerdotio saeculari? Quid potest deesse ut ita iam sit et ita fiat?

5. Summe necessarium putamus in codicem redigere leges et normas liturgicas, tam abundantissimas, quam nimis dispersas.

6. Supposita abs dubio existentia Actionis Apostolicae ambitus nationalis, optimum foret decernere talium laborum apostolatus exercitium, quin iura et auctoritas Episcoporum quidquam patiatur, curando tamen ut habeatur unitas et cooperatio totius Episcopatus nationalis.

7. Coram magno problemate missionali, oporteret agere studium et methodicum et constans directionum a S. Pont. Pio XII in Enc. *Fidei donum* indictarum.

8. Optimum et necessarium studium existimamus de statu oeconomico cleri saecularis, ita ut vitetur in quantum possibile sit, maxima et non aequitativa differentia vitae oeconomicae inter clericos et clericos, etiam intra limites eiusdem dioecesis.

9. Cur non possit Concilium curare et decernere ut eradicentur taxae pro servitiis ecclesiasticis etiam sacramentalibus, quae quidem damnum indubium animarum gerunt? Non posset formula arbitrari, quae quidem suppleat hodiernam infaustam et perniciosam?

10. Opportunum et convenientissimum putamus studium et decretum Conciliare, quod novo modo et efficaciore ordinet cultum cathedralitium et collegiale, cooptando simul eorumdem membra ad laborem et servitium positivum et efficax Ecclesiae Sanctae et animarum.

V. *Specialia quaedam*

1. Constitutio IV Concilii Vaticani, quae agit de Ecclesia, interminata et incompleta remansit, cum Concilium suspensionem sine die passum est. Revera tantummodo actum est de Primatu Romani Pontificis et de iusdem S. Pontificis infallibilitate; aliquid tractatum est per transennam de Hierarchia Ecclesiastica et Episcopatu. Oporteret in proximo Concilio talia complere studia.

2. Convenientissimum credimus definire sub luce et vi Concilii omnes quaestiones circa matrimonium, educationem, errores novissimos, socialismum, nihilismum, existentialismum, problemata socialia, etc.; de quibus extat frequentissima doctrina in quamplurimis encyclicis et doctrinis post Concilium Vaticanum editis a SS. Pontificibus Leone XIII, S. Pio X, Pio XI et Pio XII.

3. Abs dubio ut maxime recens, perniciosum et praesens malum vi Decreti conciliaris putamus damnandum esse Communismum, immo et cooperationem cuiuscumque generis et modi eidem a quibuslibet praestitam.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae, cuius Sacram Purpuram humiliter deosculor

add.mus

✠ Iosephus M. Garcia Lahiguera
Episcopus tit. Zelitenus

HOLLANDIA

1

Exc.mi P. D. IOSEPHI G. M. BAETEN

Episcopi Bredani (Breda)

Bredae, die 30 novembris 1959

Eminentissime Domine,

In responsione ad Prot. N. 1 C/59-251 diei 18 iunii 1959 hisce adiuncta mittimus Eminentiae Vestrae animadversiones quasdam et vota, quae communicanda putavimus Pontificiae Commissioni.

Interim humiles animi sensus professi omni qua par est reverentia subscribimus,

Eminentiae Vestrae
devotissimus in Christo

✠ Ioseph Baeten
Episcopus Bredanus

I. *In ordine dogmatico*

1. Expleantur quae a Consilio Vaticano de Ecclesia constituta sunt: imprimis explicetur doctrina de corpore Christi mystico ad normam eorum quae in Encyclica *Mystici Corporis* continentur.

2. Concilii Vaticani doctrina continuetur exponendo episcoporum potestatem et auctoritatem. Illustretur potissimum in quibus a presbyteratu episcopatus distinguatur et quaenam sint mutuae episcoporum et presbyterorum relationes.

3. Explanetur quid significet adagium: « extra ecclesiam nulla salus », definiendo quid valeat ecclesiae aggregatio atque quomodo salvari possint qui ecclesiae visibiliter coniuncti non sint.

4. Decernatur quid sentiendum sit de Maria omnium gratiarum mediatrice. Quae doctrina inseratur in iis quae de Ecclesia a fide docentur.

5. Enucleare placeat catholicam de sacramentis doctrinam, praesertim de S. Eucharistiae sacramento et de S. Missae sacrificio, quod fieri potest adhibita Encyclica *Mediator Dei.*

6. Quae de novissimis docentur recentioribus mundi interpretationibus adaptentur.

7. Disseratur de laicorum in ecclesia iuribus et officiis.

8. Matrimonii pronuntietur indissolubilitas, disquiratur de ratione quae intercedat inter mutuum coniugum amorem et procreationis mandatum. Multum interest auferre omne dubium circa aestimationem moralem remediorum quae adhibentur ut conceptio impediatur.

9. Propter potestatis abusus hoc tempore tam frequentes disputetur de rei publicae et personae humanae iuribus discrepantibus.

II. *In ordine practico*

1. Quo diiudicetur ethica quae situationis dicitur, constituantur ethicae christianae fundamenta, imprimis quoad principium ultimum castitatis vel luxuriae oppositae.

2. Provideatur ut plurium quam hucusque rerum penes inferiorem potestatem sit arbitrium; potissimum episcoporum circa bona temporalia, circa processus matrimoniales et dispensationes amplietur potestas. Ita canonicae causae ob quas paroeciae fieri possit divisio aut dismembratio non eae tantum sint quae can. 1427 § 2 exponuntur, sed episcopo diiudicandum committatur utrum bonum spirituale fidelium ac utilitas ecclesiae immutationem suadeant an non.

3. Cum hodierna praxis quoad censuras ecclesiasticas haud efficax videatur, aut abrogentur hae censurae aut severius usurpentur.

4. Leges de librorum prohibitione clarius enuntientur aut saltem mitigentur.

5. Tractetur de relationibus quae inter religiones clericales et loci ordinarium intercedant; imprimis decernatur utrum in quaestionibus dirimendis bonum dioeceseos, i. e. Ecclesiae, an ordinis vel congregationis praevalere oporteat.

6. Simpliciora reddantur quaedam iuris canonici capita, qualia sunt statuta de iurisdictione confessariorum, de processibus, de religiosis.

7. Meliorentur quae habet ius canonicum de constitutione personarum moralium, de legum necnon de consuetudinum privilegiorumque abrogatione.

8. Linguae vulgaris in liturgicis officiis augeatur usus, nominatim in ea Missae parte quae catechumenorum dicitur.

9. Inquiratur quid his temporibus valeat ieiunium, quod de facto iam abrogatum videtur.

✠ Ioseph Baeten
Episcopus Bredanus

2

Exc.mi P. D. PETRI A. NIERMAN
Episcopi Groningensis (Groningen)

Groningen, 20 novembris 1959

Eminentissime Princeps,

Visis litteris Eminentiae Vestrae diei 18 iunii a. c. sub N. 1 C/59-561, in quibus tamquam Praeses Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico mihi rogavit ut suggesta ac vota promerem circa res et argumenta quae in hoc Concilio tractari poterunt, hisce inclusa aliqua remitto vota quae mihi imprimis cordi sunt quae humiliter Eminentiae Vestrae iudicio vellem proponere.

Omni interim qua par sum obsequii ac reverentiae sensu Sacram Purpuram deosculans, remanere contendo Eminentiae Vestrae

addictissimus in Domino,
✠ Petrus A. Nierman
Episcopus Groningensis

I. Imprimis et in genere optarem ut, perscrutatis recentissimis et optimis investigationibus studiisque Sacrae Scripturae ac Patrum Traditionis, profundius etiam quam Encyclica *Mystici Corporis* Concilium elucubraret ac definiret — terminis non iuridicis sed biblicis — *naturam, structuram intimam* et *finem Ecclesiae Catholicae,* ut sic pateret esse, potiusquam « societas perfecta » quasi mundanas potestates appetens, Sponsa et *Corpus Christi Salvatoris* in terra et *Mater* piissima pro omni populo et natione. Inde clarius eluceret Ecclesiae vera « facies » et spiritus lenitatis quo in omni actione ducitur, sicque ferventiorem suscitaret amorem apud fideles praesertim iuvenes, errantiumque mentes minus exasperaret, magis alliceret.

Practica forsan inde eruerentur consectaria, speciatim:

1) Fidei orthodoxae *definitiones* iam non in forma negativa « anathematis » contra errantes fulminentur sed positivam potius induant formam testificationis vel confessionis fidei communis Ecclesiae. Post decursum saeculorum vitentur vocabula uti: haeretici, pagani, schismatici, etc.

2) Suprema *S. Congregatio S. Officii* manifestius in posterum agat tamquam organum Patris ac Pastoris communis, quo pastoraliter et amorose filios moneat et ad veritatem reducat; patefaciat rationes agendi, atque prius quam iudicet vel condemnet semper audiat quem errare putat.

3) Videat Concilium in quantum cum unitate necessaria componi possit *in Ecclesia* universali *diversitas* quaedam *legitima;* in quantum ei opus sit figuram induere minus « italicam » magisque supranationalem et universalem, modum quoque agendi et regendi minus « romanam », magisque diversitati populorum eorumque culturae propriae adaptatam. Quae forsan praeterquam per « decentralisationem » regiminis etiam manifestari ac effici posset augendo paulatim numerum membrorum non-italicorum Romanae Curiae.

4) *Organum* erigatur *officiale,* quod non solum Urbi sed Orbi etiam universo ac hodiernis temporibus apprime adaptato modo *nuntia Ecclesiam spectantia distribuat* deque iisdem commentaria opportuna reddat, ne mentium perturbationes oriantur apud fideles nec apud acatholicos falsae opiniones, quas Episcopi, quia ipsi ignari, medere nequeunt.

5) Edicat Concilium in quonam sensu quanamque mensura in communitatibus religiosis non-catholicis vel etiam non-christianis adesse possint *reliquiae seu vestigia Ecclesiae,* aliis verbis in quantum sint vel esse possint « in via » ad Unam Sanctam Catholicam. — Profundius ex principiis evangelicis indagetur ac eloquatur, quibus modis ac in quantum cum ipsis possimus et debeamus *oecumenice communicare.* — Edicat demum publico et officiali quodam modo et quantum veritas ac veracitas exigit et sinit, communitatem catholicorum et quoad originem schismatum et quoad modos agendi, loquendi, opinandi erga schismaticos et errantes multoties peccasse defectu amoris et humilitatis, lenitatis et patientiae.

Sincere investiget Concilium quaesita ac resistentiarum causas Orthodoxorum ac Protestantium ac videat an non forsan hodierna Ecclesiae apparentia externa atque usus quidam excessivi et consuetudines antiquatae (v. gr. circa reliquias, indulgentias, festa et imagines Sanctorum, peregrinationes, in quantum interdum fundamentum historicum et theologicum carere ac superstitionem sapere videntur) veram Matris omnium faciem indebite et importune obnubilent.

II. *A*) Optarem ut profundius Concilium describeret ac definiret *ambitum potestatis Episcoporum* in suis dioecesibus, eorumque relationibus quoque cum Romano Pontifice optima daret fundamenta theologica, non tantum quia maxime interesset ad componendas controversias

cum Orthodoxis Orientalibus, sed practica forsan inde erui possent consectaria. Speciatim:

1) Visis quoque exigentiis ex numero crescente ac diversitate culturae populorum praesertim Ecclesiarum missionalium, maior urget *decentralisatio,* uti videtur, aliis verbis Episcoporum in suis dioecesibus amplior decernendi potestas; v. gr. in re liturgica locali, in re matrimoniali quoad dispensationes et solutiones vinculi in favorem fidei atque super rato, in regimine circa bona ecclesiastica et beneficia hucusque reservata. Brevi et in genere: relinquantur quoad legislationem et gubernationem plura in posterum diversis dioecesibus vel ecclesiasticis provinciis.

2) Ut Episcopus melius obire possit munus pastorale atque opportunius vires omnes ordinet, maxime intererit, ut clarius definientur *limites exemptionis regularium,* eorumque relationes cum Ordinario, quoties imprimis exercent functiones pastorales vel apostolicas.

3) Videat Concilium, quibusnam remediis effici possit ut plus quam hucusque *dioeceses inter se opera conferant* ac consilia, labores, media finantiaria; imprimis augeatur *mobilitas sacerdotum,* laxando leges de incardinatione, etc., ne diutius pluribus in locis, imprimis missionalibus, penuria laborans Ecclesia langueat, dum alibi sacerdotes abundant.

II. *B*) Optarem ut profundius Concilium conferret studium ad naturam *sacerdotii laicorum* in Ecclesia ac clarius definiret eius quoad sacramentale sacerdotium distinctionem; describat laicorum in Ecclesia positionem, dignitates, ambitum libertatis respectu Hierarchiae imprimis in re politica, sociali, culturali, etc.

Ita spero non solum plurium obiectionum Protestantium materia auferretur, at tensiones etiam in gremio Ecclesiae hodie apparentes opportune minuerentur. Quaeri demum debet an non plures functiones utut ecclesiasticae, executivae, administrativae vel etiam iudiciariae, opportune laicis relinquerentur, ut ita sacerdotes liberi fierent pro « oratione et ministerio Verbi » (*Act.* 6, 4).

III. Quoad *Sacramenta* Ecclesiae: ex optimis recentioribus studiis S. Scripturae et Traditione liturgica Concilium profundius describat ac definiat eorum *naturam* et characterem *liturgicum et socialem.* Inde practicae deducantur resolutiones circa eorum ritum celebrandi, huius temporis mentalitate magis adaptatum. In specie:

1) Ex *baptismo parvulorum* aboleantur ritus desumpti ex adultorum baptismo, v. gr. exorcismi, allocutiones. Baptismum ex iusta causa privatim administratum iam non suppleatur quoad caeremonias.

In baptismo *adultorum* caeremoniae liceant dividi per plura temporum spatia et gradatim applicari uti in catechumenatus ritibus anti-

quis. Abiurationes minuantur, praesertim quoties agatur de « haereticis » nonnisi materialibus.

2) Sacramentum *confirmationis in periculo mortis* unusquisque sacerdos valeat ac liceat administrare, quia vigens ordinatio admirationem parit apud fideles.

3) Quoad Ss.mam *Eucharistiam*: *a*) Visis opinionibus et studiis recentioribus opportunum videtur ut dogma de transubstantiatione et de reali praesentia profundius e fontibus fidei interpretaretur. *b*) In celebratione Missae omnes aboleantur *duplicationes,* v. gr. in sollemniori celebratione celebrans iam non recitet introitum, lectiones Epistolae et Evangelii, offertorium, etc. Lectiones ex S. Scriptura per quadriennium dividantur, ut quantum potest omnes eius divitiae fidelibus patefiant. *c*) Leges de *ieiunio eucharistico* ita simplificentur ut et sacerdotes et fideles illud quoad cibum et potum servent per *unam tantum horam* ante Eucharistiam celebrandam aut Communionem recipiendam.

4) Quoad Sacramentum *Poenitentiae*: Clarius illustretur fundamentum *confessionis s. d.* « *devotionalis* » et frequentioris, distinctio quoque inter administrationem Sacramenti et directionem spiritualem. — Confessio *hebdomadalis* sacramentalis religiosorum ac religiosarum iam non *praescripto* urgeatur. — Leges de *confessariis religiosarum* melius generalibus legibus adaptarentur.

IV. In re *Morali* optarem ut Concilium, viso influxu crescenti s. d. « ethicae situationis », profundius clariusque definiret *principia fundamentalia* legum moralium christianarum seu Evangelii; nominatim in materia sexti praecepti magis clarificentur *ultima principia legis castitatis* et luxuriae oppositae.

V. In re *Liturgica*: in genere optarem ut S. Liturgia Ecclesiae magis *adaptari* liceret sensui culturali huius temporis et populorum diversorum. Simplificetur imprimis ritus *consecrationis ecclesiae.*

VI. In re *Iuridica*: 1) *Ius poenale* imprimis circa censuras, excommunicationes, modum puniendi huius temporis mentalitati adaptetur. 2) Minus frequenter ac leviter *iuramenta* exigantur, ne detrimentum causetur reverentiae erga Nomen Dei ac monita Evangelii (*Matth.* 5, 33; *Iac.* 5, 12). 3) Revisio urget legis de *censura librorum.* 4) Circa *matrimonium*: praeter solutiones vinculi in favorem fidei et dispensationes super rato, quae in animarum salutem melius tribunali vel commissioni dioecesanae vel provinciali relinquerentur, etiam *processus de nullitate* methodo multo expeditiori tractentur et absolvantur. 5) Quoad legem *caelibatus*: in casibus sacerdotum ad statum laicalem reductorum facilior inveniatur modus miseros illos adiuvandi et ab hac lege dispensandi; Episcopis forsan concedi potest facultas dispensandi, quoties, debitis

factis inquisitionibus et depositionibus peritorum in arte phychiatrica, ipsis pro sua conscientia pateat, in singulis casibus, huius legis adimplementum fore moraliter impossibile.

✠ PETRUS A. NIERMAN
Episcopus Groningensis

3

EXC.MI P. D. IOANNIS P. HUIBERS
Episcopi Harlemensis (Haarlem)

Una cum ipso responsum dedit

EXC.MUS P. D. IOANNES VAN DODEWAARD
Episcopus tit. Clismatenus, Coadiutor c. s. Harlemensis

Harlemi, die 30 decembris 1959

Beatissime Pater,

Infrascripti Episcopus Harlemensis eiusque Episcopus Coadiutor humiliter proponunt Sanctitati Vestrae vota hisce litteris annexa intuitu Concilii Oecumenici instantis.

Interim auspicantes orantesque ut Omnipotens Deus large infundat Spiritum Sanctum Suum cordibus Sanctitatis Vestrae omniumque, qui rem tam magni ponderis praeparent.

Permanemus Sanctitatis Vestrae famuli humillimi ac devotissimi

✠ IOANNES P. HUIBERS
Episcopus Harlemensis

✠ IOANNES VAN DODEWAARD
Episcopus tit. Clismatenus

De re dogmatica et morali

1. Iterum clare circumscribatur structura Ecclesiae:

Romanus Pontifex gaudet « potestate vere episcopali, ordinaria et immediata tum in omnes et singulas ecclesias, tum in omnes et singulos pastores et fideles, a quavis humana auctoritate independens » (*C.I.C.* can. 218 § 2).

Episcopi « sunt Apostolorum successores atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis » (*C.I.C.* can. 329 § 1).

Parochus « est sacerdos vel persona moralis cui paroecia collata est in titulum cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda » (*C.I.C.* can. 451 § 1).

Laici, qui per sapientiam, consilium influxumque eorum certe pro incremento tam interno quam externo Ecclesiae multum operari possunt, id tamen semper sub ductu hierarchiae ecclesiasticae faciant. Eorum facultas munusque sic dictae Actionis Catholicae clare describatur ratione habita speciatim doctrinae « sacerdotii universalis fidelium ».

2. Canon 1248 vindicetur speciatim quod ad dies dominicas attinet.

3. Cum multae ecclesiae protestanticae et vel ipsa « World Counsel of Churches » (W.C.C.) usum mediorum anticonceptionalium in actu matrimoniali approbaverint, doctrina catholica iterum inculcetur (cf. Litt. Enc. *Casti connubii,* Pii P. XI: Denzinger 2240).

4. Pontificia Commissio de Re Biblica aliquas normas reddat de usu « generum litterarium » speciatim quod ad Novum Testamentum attinet.

De re liturgica

1. Inculcentur, quae dicta sunt in decreto S. C. Rit. de loco tabernaculi (*A.A.S.* 39-1957-425-426). Tabernaculum semper sit in aliquo altari.

2. In Missa *lecta,* quando lector aptus deficit, licitum sit sacerdoti celebranti epistolam et evangelium praelegere populo in lingua vernacula, omissa lectione in latino.

3. In Missis *sollemnibus* sequatur praxim Ordinis Hebdomadae Sanctae instauratae (1956): « ea omnia, quae diaconus vel subdiaconus aut lector, vi proprii officii cantant vel legunt, a celebrante omittuntur » (Instructio II, 6).

4. Sic dictum « ultimum Evangelium secundum Ioannnem » in fine Missae non omittatur nisi in festo Nativitatis Domini (3ª Missa).

5. Inculcetur S. Missam esse cum sacrificium tum convivium. Modum excedunt qui characterem Convivii nimis primo loco ponunt.

6. Caeteroquin in admittenda lingua vernacula in S. Liturgia magna commoda linguae latinae et incommoda linguarum vernacularum nequaquam parvi pendantur; sensus verborum in linguis vernaculis valde fluctuat.

Ius canonicum

1. Extensio facultatum quinquennalium Ordinariorum locorum. In facultatibus quinquennalibus assumantur facultates quoad omnes dispensationes, quae a S. Sede concedi solent, ea conditione, ut annua relatio de concessis dispensationibus ad S. Sedis mittatur.

2. Reservatio collationis beneficiorum saltem curatorum, de qua in can. 1435 § 1, n. 1° et 4°, restringatur saltem in hunc modum, ut Ordinarius loci beneficia paroecialia vacantia ipse conferre valeat, etiamsi vacent ob causas in memoratis canonibus enumeratas. In praxi hodierna saepe in conferendis talibus beneficiis nimia mora interponitur.

3. Solutio vinculi matrimonii in favorem fidei. Relatio de peractis investigationibus hisce in casibus ab Ordinario loci cum voto suo Summo Pontifici proponatur omissa perscrutatione actorum a Dicasteriis Romanis.

4. Processus super matrimonio rato et non-consummato. Derogetur regulis Supr. Congr. S. Officii diei 12 iunii 1942 in hunc modum, ut medici probati et catholici quaestiones de intima vita matrimoniali directe proponant partibus et *deinde* referrant Sacerdoti delegato et Defensori vinculi. Hoc modo evitari possent perturbationes praesertim mulierum, quae praesentibus duobus vel tribus sacerdotibus aegre ferunt interrogationem de rebus intimis suae vitae, saepe, ut videtur, in detrimentum claritatis responsorum.

5. Facultas praebeatur assumendi in Tribunalibus ecclesiasticis laicos probatos et iuris canonici peritos, ob penuriam sacerdotum, qui talibus officiis praesto sint.

6. Sacra Romana Rota componatur ex auditoribus diversarum linguarum ita, ut traductio Actorum Tribunalium primae et secundae instantiae in linguam latinam, gallicam vel italicam — cum temporis et pecuniae iactura — in posterum omitti possit.

✠ IOANNES P. HUIBERS
Episcopus Harlemensis

✠ IOANNES A. E. VAN DODEWAARD
Episcopus tit. Clismatenus
Coadiutor c. s. Harlemensis

4

EXC.MI P. D. PETRI I. M. MOORS

Episcopi Ruremondensis (Roermond)

Roermond, die 3 decembris 1959

Eminentissime Domine,

Litteris Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico diei 18 iunii 1959 acceptis, consilio virorum ecclesiasticorum et prudentium usus, omni sollicitudine ea argumenta collegi quae occasione Concilii Oecumenici instantis opportune proferenda duco.

Verbis quae litterae laudatae continent fretus, revera cum libertate et sinceritate locutus sum, non reprehensionis studio incitatus sed pastorali sollicitudine zeloque animarum ductus respiciensque Ecclesiae statum et adiuncta in his regionibus.

Quae omnia nunc Eminentiae Tuae et Pontificiae Commissioni offerens, Deum omnipotentem precor ut labores praeparationis Concilii Oecumenici benedicat eosque ad eventum ipsius Concilii felicem et prosperum multum afferre faciat.

Hac occasione nactus summae reverentiae ac existimationis sensus pando et permaneo

Eminentiae Tuae Reverendissimae
in Domino addictissimus

✠ PETRUS I. M. MOORS
Episcopus Ruremondensis

A) *En général*

1. En général il serait à souhaiter que l'Eglise cherche à s'adapter sous plusieurs rapports au patron culturel d'aujourd'hui.

L'aspect de l'Eglise devrait changer en ce sens que l'homme moderne n'y doit plus trouver si souvent des choses qui — en soi peut-être non sans valeur — proviennent d'une culture surannée et survécue et qui ne nourrissent ni ne stimulent plus son sentiment religieux, mais parfois même le choquent et le blessent.

2. En rapport aussi avec la réunion de la chrétienté déchirée, ce serait d'un grand intérêt que l'Eglise catholique veuille se montrer largement disposée à s'occuper des questions et des doutes que la « réformation » exprime d'un sérieux tout à fait chrétien à l'égard de beaucoup

de formes et de pratiques extérieures sous lesquelles l'Eglise se manifeste. N'y aurait-il pas moyen de créer de plus larges possibilités de contact oecuménique que celles qui existent? A ce propos il mérite considération d'examiner la possibilité de donner l'occasion à certains porte-parole non catholiques, mais chrétiens, de faire connaître en personne au concile général leurs objections et leurs espoirs à l'égard de l'Eglise. La doctrine des « vestigia Ecclesiae » hors de l'Eglise ne devrait-elle pas être examinée en ce sens qu'on admette la possibilité que des éléments de la vérité aient également pu vivre et se développer hors de l'Eglise, éléments dont on n'a pas pris conscience dans l'Eglise même, ou pas d'une façon suffisante.

3. Vu que la spiritualité actuelle se concentre de plus en plus sur la personne du Christ et qu'on prête moins d'attention aux diverses dévotions il serait à souhaiter qu'on soumette à un contrôle plus sévère et c. q. qu'on restreigne ou même supprime des usages et des pratiques qu'il faut situer à la périférie de la religion. Nous visons à certains aspects du culte des reliques de la pratique des indulgences, des pèlerinages, des fêtes des Saints, des neuvaines et d'autres choses. On devrait fixer davantage son attention sur la possibilité que certaines coutumes pourraient être maintenues principalement pour leur profit financier; sur la question si ces coutumes ne sont pas accompagnées de pratiques voisines de la superstition; si elles sont fondées sur une base théologique et historique assez solide; si dans certains milieux on ne leur donne pas plus d'importance et de propagande qu'à la prédication de la Parole et à la pratique des sacrements, surtout de l'Eucharistie. En général il faudrait prendre des mesures et donner des directives tendant à déplacer l'accent qui souvent pèse d'une façon disproportionnée sur ce qui appartient à la périférie, vers des pratiques religieuses plus centrales.

4. En vue de ce qui précède il nous semble désirable qu'on apporte une attention spéciale au culte de la Sainte Vierge. Tout en rendant iustice au culte de la mère de Dieu, il faudrait se méfier de pratiques injustifiables.

5. Par rapport aux résolutions et aux décrets du gouvernement central de l'Eglise le point de vue italien ne devrait pas trop prévaloir. Nous avons l'impression qu'on pourrait tenir compte davantage de la mentalité et de l'évolution religieuses des autres pays. Un service officiel de renseignements religieux qui servirait à prévenir des traductions fautives et des commentaires incompétents paraît urgent.

6. Comme les peuples évoluent vers une plus grande conscience de soi-même, il serait à souhaiter qu'on rende davantage justice aux jeunes

peuples chrétiens et aux pays missionnaires par rapport au gouvernement de l'Eglise, en portant celui-ci sur un plan plus international.

7. Vu que l'évolution mène ensuite vers une plus grande reconnaissance de la personnalité individuelle, la voix du laïque demande plus d'attention. Que le renouvellement de la conception ecclésiale et la prise de conscience générale des laïques puisse mener à ce que la législation montre clairement que le laïque ne soit pas seulement l'objet de la charge des âmes mais qu'il soit aussi le collaborateur et le co-responsable dans la tâche et dans la mission de l'Eglise.

8. Le vêtement des prêtres, des religieux et des religieuses demande une simplification et des formes plus pratiques qui s'adaptent mieux aux exigences actuelles de l'hygiène et du trafic.

9. S'adaptant à la mentalité de notre temps le Saint-Office devrait être en fait et dans ses apparences un véritable organe pour le ministère des âmes. Quand il s'agit d'une personne celle-ci doit, conformément à la doctrine de la correptio fraterna, avoir le droit d'être entendue amplement et de se défendre. Que le Saint-Office envers celui qui soit effectivement récalcitrant prenne ses mesures.

10. Tant pour des raisons dogmatiques que pour rendre possible un ministère des âmes et un gouvernement qui s'adapte mieux aux circonstances des lieux et des temps, à la culture particulière et à la propre mentalité religieuse, il est désirable d'envisager à nouveau les rapports entre le Pape et les Evêques. Que ceci puisse mener à une plus grande décentralisation qui mette plus en relief la fonction de l'Evêque:

a) d'abord dans le domaine du culte religieux. Qu'on donne aux Evêques la faculté de régler eux-mêmes jusqu'à certaines limites le culte religieux dans leur évêché;

b) dans le domaine de la législation ecclésiastique. Que la législation ecclésiastique générale soit simplifiée, qu'elle se perde moins dans les détails de façon à donner plus de possibilités aux Evêques et aux conciles provinciaux dans l'adaptation de la législation aux circonstances;

c) dans le domaine de l'administration ecclésiastique on pourrait donner aux Evêques une faculté plus large à donner des dispenses en ce qui concerne les lois ecclésiastiques générales. Il va sans dire que l'application des lois ecclésiastiques dans son évêché doit rester pour l'Evêque son soin principal, mais cette conception de son ministère n'implique-t-elle pas que l'Evêque est le plus apte à juger si oui on non une dispense est à sa place dans chaque cas particulier. Qu'on donne à l'Evêque le droit de dispense *super matrimonio rato tantum* ainsi que la faculté d'accorder *in favorem fidei* la solution du lien du mariage.

Qu'on donne à l'Evêque une plus grande indépendance en ce qui concerne l'administration des biens de l'Eglise. Qu'on abolisse les réservations existantes concernant les nominations.

11. Qu'on tâche d'effectuer que le clergé devienne plus movible. Il ne doit pas être possible que dans certaines régions de l'Eglise il y ait un surplus de prêtres tandisque d'autres contrées risquent de se perdre par la pénurie des prêtres, à cause de laquelle une mission adaptée n'est pas possible.

12. En vue aussi de ce qui précède on peut se demander s'il n'est pas nécessaire d'envisager à nouveau l'organisation actuelle des ordres et des congrégations religieux. Ce serait un grand bien de parvenir à une certaine centralisation des institutions religieuses existantes. La dispersion actuelle en nombreuses institutions religieuses mène à une dissipation de forces et a comme suite qu'une répartition pratique, d'après un plan conçu, devienne si non impossible en tous cas fort difficile.

13. Si une telle centralisation pouvait se réaliser, il y aurait toute raison de mettre au point dans cette nouvelle constellation (ce qui serait possible également dans la situation existante) les rapports entre l'Evêque et les religieux. Dans l'intérêt de la cure d'âmes et pour atteindre un gouvernement plus efficace, il est nécessaire qu'on formule plus clairement et plus conséquemment le principe de l'exemption; que cette exemption perde sa valeur au moment où il est question de la cure d'âmes des religieux à l'égard des diocésains, sous quelque forme que cette cure d'âmes se présente.

14. Le droit paroissial s'appuiant encore sur la notion médiévale des bénéfices exige absolument une révision; cette révision devrait se baser d'une part sur le principe de l'unité fondamentale de l'Eglise diocésaine et d'autre part sur l'évidence que c'est la paroisse en premier lieu qui a la charge primaire des âmes dans cette église diocésaine. Dans cet ordre d'idées il serait opportun de considérer si le principe que le clergé diocésain est essentiellement au service de l'évêché, ne pourrait mener à une plus grande mobilité adaptée aux nécessités et aux besoins de l'évêché. A la lumière de ces mêmes principes il faudrait envisager les rapports financiers à l'intérieur de l'évêché. Dans ce domaine il y a des rapports qui ont besoin de correction. Le système des « taxae » et « iura stolae » ne cadre plus avec la mentalité de nos jours. Ensuite le système actuel peut mener à une distribution trop inégale des biens temporels parmi les différentes paroisses. Ce serait un grand avantage si l'unité et la solidarité de l'évêché pouvaient se manifester mieux aussi dans l'organisation des rapports financiers.

15. Par rapport aux finances il doit être possible de trouver un

mode qui permette à l'évêché d'exprimer plus nettement et d'une façon plus efficace sa co-responsabilité dans la tâche de l'Eglise universelle et des missions.

16. La loi des livres prohibés n'est plus adaptée à la mentalité actuelle. L'heure ne serait-elle pas venue de faire prévaloir les considérations de la théologie morale aux considérations juridiques à l'égard de la catégorie de livres *ipso iure prohibiti?* Autrement dit, la « praesumptio periculi communis » pourrait être remplacée, du moins en grande partie, par un jugement basé sur les circonstances concrètes de la personne en question.

17. Quelques désiderata concernant les prescriptions pour les sacrements: *a*) Que chaque prêtre eût la faculté de conférer le sacrement de la confirmation en cas de péril de mort. La prescription actuelle par laquelle on dépend de la présence du curé, a pour le croyant quelque chose d'incompréhensible. *b*) Que la période du jeûne eucharistique soit réduite tant pour le prêtre que pour le croyant à une heure avant le commencement de l'office. *c*) Le droit conjugal pourrait être simplifié sur certains points: les « impedimenta minoris gradus » (à l'exception du can. 1042 § 2, 5°) pourraient être supprimés. Les prescriptions pour la délégation juridique pourraient être simplifiées. *d*) Les prescriptions concernant la juridiction de la confession des religieuses devraient s'adapter en grandes lignes aux prescriptions générales. *e*) Ne pourrait-on envisager la possibilité d'une dispense pour le célibat des prêtres dans des cas de laïcisation clairement psycho-pathologiques?

18. Simplification du droit concernant les procès ecclésiastiques. Le procès matrimonial notamment se perd trop en formalité par quoi la conclusion qui par la force des choses devrait être rapide, est tirée inutilement en longueur; on pourrait parvenir à une abréviation importante de la procédure en supprimant la prescription disant que le *defensor vinculi* en première instance est obligé d'office d'aller en appel contre la sentence affirmative; qu'on laisse par contre à sa conscience le droit de juger s'il doit aller ou non en appel. Les inconvénients d'un caractère trop formaliste se font valoir à plus forte mesure dans les procès de béatification et de canonisation.

19. Révision du droit pénal. De plus en plus on sent les poenae vindicativae comme étant en désaccord avec la nature de l'Eglise qui est une communauté charitative; elles devraient être réduites par conséquent à un minimum. Que par rapport aux censures on tienne compte de la situation sociologique; qu'on parte de la question si dans la constellation actuelle il est à craindre qu'un tel délit se commette. Les prescriptions pour l'absolution des censures devraient être soumises à une révision.

B) *Concernant la liturgie*

1. La célébration de la Sainte Eucharistie:

a) La structure de la Sainte Messe devrait être plus nettement accentuée par le lieu où l'on célèbre le culte de la Parole et le lieu du sacrifice (ambo, scamnum, cathedra, autel).

b) Qu'on élimine toutes les doublures.

c) Que le culte de la Parole se fasse si possible dans la langue vulgaire partout où ceci puisse se faire.

d) Qu'on admette un cycle de péricopes pour les dimanches, distribuées sur quatre ans, de sorte que la pleine richesse de l'écriture sainte puisse se manifester.

e) Qu'on envisage la possibilité de recevoir la Sainte Communion sous deux espèces à certaines occasions comme à l'occasion de l'ordination, du mariage et à d'autres occasions spéciales. Tout ceci avec l'autorisation de l'Evêque.

f) Qu'on crée la possibilité de la concélébration à certaine occasions p. e. pour des retraites, des congrès, dans les collèges, dans les séminaires, dans les communautés religieuses. Ceci avec l'autorisation de l'Evêque.

g) Jeûne eucharistique (voir sous A, n. 17-*b*).

h) Institution de la préface de l'avent.

2. Le Baptême:

a) Révision des rites du Baptême.

b) Par rapport à la révision du baptême des enfants et du baptême des adultes nous aimerions voir que le baptême des adultes soit conféré gradatim comme au temps du catéchuménat ancien.

c) Les exorcismes des rites du baptême devraient être réduits et les abjurations au moins être mitigées ou mieux encore abolies.

3. La Confession.

La prescription concernant la fréquence de la confession des séminaristes, des religieux et des religieuses (saltem semel in hebdomada) devrait être changée en un conseil comme celui qui vaut pour les prêtres.

4. Les ordinations:

a) Les quatre ordres mineurs devraient être révisés ou peut-être même réduits à un ordre.

b) Ne pourrait-on faire de la fonction du diaconat une fonction indépendante qui puisse être remplie également par un homme marié, il va sans dire, après l'autorisation de l'Evêque.

5. L'année liturgique.

La liturgie de la veillée pascale est trop longue pour être célébrée

dans les paroisses. Il nous paraît également important d'introduire plus encore la langue vulgaire dans la liturgie de la veillée pascale.

6. Révision et simplification radicale des rites de la consécration d'église.

7. Le bréviaire.

Révision:

a) Faire distinction entre la récitation de l'office au chœur et la récitation privée.

b) Quant au bréviaire des prêtres qui ont un ministère des âmes, une forme comme celle qui est admise dans la Semaine de Pâques nous semble recommandable.

c) Revoir les rapports entre le « Proprium de Tempore » et le « Proprium Sanctorum » en faveur du « Proprium de Tempore ». Qu'on prenne comme directive que les fêtes des Saints qui aient un caractère régional ou local, ne soient célébrées que localement, tandisque les Saints d'une importance ecclésiastique universelle soient célébrés partout.

d) Une amplification du principe exprimé dans l'office de Pâques selon lequel le prêtre qui prend part à la veillée pascale soit dispensé des matines et des laudes.

✠ PETRUS I. M. MOORS
Episcopus Ruremondensis

5

EXC.MI P. D. MARTINI A. JANSEN
Episcopi Roterodamensis (Rotterdam)

Rotterdam, 1 decembris 1959

Eminentissime Princeps,

Infrascriptus Martinus Antonius Jansen, Episcopus dioecesis Roterodamensis in Neerlandicis Provinciis mittit hisce adnexis omni cum sinceritate consilia et vota, quae pastoralis sollicitudo zelusque animarum suggerant circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Interim ad deosculandam sacram Purpuram reverenter inclinor.

Eminentissimi ac Reverendissimi Domini addictissimus famulus

✠ MARTINUS A. JANSEN
Episcopus Roterodamensis

A)

1. Generaliter optandum videtur, ut Ecclesia, quoad plures res, se magis ad culturam hodierni temporis accommodet. Conspectus Ecclesiae in eum sensum mutetur, ut nostri homines non ita saepe tales res inveniant, quae — licet per se forsitan non absque pretio — nihilominus, ut procedentes e cultura prisca et obsoleta, sensum religiosum eorum neque stimulant neque nutriunt, quin potius nonnumquam vulnerant vel offendunt.

2. Etiam a proposito reconciliationis Christianitatis dilaceratae magni ponderis est, ut Catholica Ecclesia se maxime paratam praebeat, ut eas quaestiones et ea dubia accuratius cognoscat quae « Reformatio », cum omni gravitate Christiana, imprimis quoad multas res externas et consuetudines Ecclesiae, in medium profert. Nonne ampliores possibilitates contactus oecumenici creari possunt quam quae in praesenti adsunt? A proposito huius rei consideratione dignum est ut ea possibilitas examinetur ut quibusdam oratoribus Christianis non-Catholicis opportunitas detur ut ipsi in Generali Concilio difficultates suas, c. q. sperata sua, quoad Ecclesiam significent. Nonne doctrina de « vestigiis Ecclesiae » extra Ecclesiam in eum sensum quoque considerari debet: factum esse posse ut extra Ecclesiam elementa veritatis adsint et evoluta fuerint quae intra Ecclesiam nequaquam, vel insufficienter, innotuerint?

3. Siquidem spiritualitas hodierna magis magisque Christocentrica, minus vero devotionalis, facta est, optabile videtur ut usus et consuetudines, quae potius in « peripheria » sitae sunt, quales: venerationes reliquiarum, usus indulgentiarum, processiones a Sanctuariis, festa Sanctorum, novenae, etc. severius inspiciantur, c. q. limitentur vel penitus aboleantur.

Plus ad eam rem attentos esse nos oportet, annon istae consuetudines imprimis lucri pecuniarii gratia serventur: annon usibus prope accedentibus ad superstitionem mixtae sint: an fundamentum theologicum et historicum sufficiens subsit ibi: annon in quibusdam circulis maior auctoritas et propagatio contingat iis quam praedicationi Verbi, et Sacramentorum — imprimis S. Eucharistiae — usui.

Generaliter consilia iniri, vel normae indicari, debent quae pondus, saepe inaequaliter « peripherico » attributum, in usus religiosos plus centrales transferendum augeant.

4. Ea luce illustrata etiam reconsideratio cultus Marialis opportunissima videtur. Cunctis iuribus venerationis Genitricis Dei reservatis, caveatur ab usibus qui nequaquam iustificati sunt.

5. In sententiis et decretis Moderationis Centralis Ecclesiae opinio

Italica ne nimium praeponderet. Magis mentalitas et evolutio religiosa in aliis regionibus respicienda est. Apparatus informativus ecclesiasticus authenticus, qui traductiones vitiosas et interpretationes non competentes antevertat, urgenter optabilis videtur.

6. Siquidem evolutio rerum, inter populos, in maiorem conscientiam — sui inclinat, id optatur ut nationes Christianae iuniores quoque, et regiones missionariae, in Moderatione Ecclesiae — majore distributione internationali facta — plus proficiant.

7. Siquidem evolutio rerum insuper in maiorem agnitionem personae individualis inclinat, etiam ad vocem laici — magis — attentos esse nos opportet. Notio quoad Ecclesiam renovata, et generalis conscientia de re in laico nata, eo ducat ut etiam in legislatione clare significetur laicum non tantum obiectum curae animarum esse, verum etiam co-gestatorem (co-responsabilem) munere et missionis Ecclesiae eundem esse.

8. Vestitus sacerdotum et religiosorum simplificatione indiget, et formis magis practicis: quae postulatis hodiernis hygienicis, et conversationis inter homines, amplius respondeant.

9. S. Officium — congruenter etiam mentalitati hodierni temporis — de facto sit, et foras videatur quoque, verum instrumentum curae animarum. Persona in casu, convenienter doctrinae de correptione fraterna, potestatem habeat oportet ut satis ample audiatur et se defendat. Si quis reapse invitus sit, S. Officium vim suam exerceat.

10. Non solum dogmaticas ob causas, verum etiam ad curam animarum, et moderationem, talem providendam quae magis condicioni loci et temporis, et culturae et mentalitati religiosae propriae consentiat, optandum est ut relatio inter Summum Pontificem et Episcopos iterum consideretur. Quod ad maiorem decentralizationem proficiat, et eo ducat ut munus Episcopale magis prodeat:

a) Primum omnium in re liturgica. Episcopis facultas detur, ut, intra fines determinatos, ipsi consulant.

b) In legislatione ecclesiastica. Optandum est, ut legislatio generalis ecclesiastica simplificetur, et minus in res per singula introëat, ita ut plus spatii legislationi Episcopali, vel Concilii Provincialis, magis ibi conditioni rerum adaptatae, fiat.

c) In administratione ecclesiastica. Episcopis facultas dispensandi maior, quoad leges generales ecclesiasticas, dari possit. Ante omnia nimirum curent leges generales in dioecesi sua persequendas. Nonne vero, ab altera parte, id implicat ipsos eos competentes esse ut iudicent an dispensatio aliqua iustificata sit? Facultas dispensandi super matrimonio rato tantum Ordinario detur, necnon facultas ut in favorem fidei solutio

vinculi matrimonialis detur. In administrandis bonis ecclesiasticis Ordinario maior independentia fiat. Reservationes vigentes adhuc, quoad nominationes, aboleantur.

11. Maiori mobilitati cleri opera detur. Ne fieri possit, ut in nonnullis regionibus Ecclesiae nimium cleri sit, aliae regiones vero in periculo sint ne quoad Ecclesiam pereant vel opera missionaria adaequata ibi fieri nequeant e defectu sacerdotum horrifico.

12. Etiam a proposito eorum, quae supra diximus, ea quaestio proponi potest annon necesse sit organizationem Institutorum Religiosorum vigentem iterum considerare. Magnum commodum esset si concentratio quaedam Institutorum Religiosorum praesentium fieri posset. Dispertitio praesens in Instituta Religiosa absque numero ad dissipationem virium conducit: unde sequitur ut distributio systematica — si non impossibilis — at certo valde difficilis reddatur.

13. Si concentratio eiusmodi fieri posset, omnis causa esset ut in hac nova situatione (quamquam: in praesenti quoque) relatio inter Religiosos et Ordinarium iterum consideretur. Curae animarum, et moderationis efficacis, gratia necesse est ut clarius, et consequentius etiam, principium formuletur exemptionem ibi finem capere ubi cura animarum, quodam modo, a parte Religiosorum, quoad dioecesanos dici potest.

14. Ius paroeciale etiam nunc in notione mediaevali *beneficii* nititur, et urgenter revisione indiget. Quae revisio ab una parte a principio unitatis fundamentalis ecclesiae dioecesanae proficisci debet, ab altera parte ab ea agnitione quod paroecia institutum curae animarum primarium ecclesiae dioecesanae est. Relate ad hoc considerandum est, annon principium istud: « Clerum dioecesanum fundamentaliter ipsi dioecesi inservire », ad mobilitatem magis facilem, et necessitatibus et desideriis dioecesis adaptatam, ducere oporteat. Iisdem principiis illustratae res pecuniariae intra dioecesim considerari debent. Hac parte varia condicio rerum correctione indiget. Systema quoad taxas et iura stolae cum mentalitate hodierna non amplius concordat. Praeterea systema vigens ad distributionem nimis inaequalem temporalium bonorum per varias paroecias conducere potest. Magnum commodum esset, si unitas et solidarietas dioecesis etiam in rebus mutuis pecuniariis ordinandis melius manifestari possent.

15. In rebus mutuis pecuniariis ordinatio talis fieri posse debet, quae clarius et efficacius co-responsabilitatem dioecesis quoad munus Ecclesiae Universalis et opus missionarium manifestet.

16. Librorum lex mentalitati hodiernae non iam adaptata est. Nonne tempus adest, ut — nominatim quoad genera librorum, qui ipso iure

prohibiti sunt — considerationes morales theologicas iuridicis praevalere faciamus? Ut aliis verbis dicam: loco praesumptioni periculi communis hic — at saltem notabilem in modum — diiudicatio inde e concreta conditione rerum personae in casu fieri possit.

17. Nonnulla desiderata quoad ius Sacramentorum haec sunt:

a) Facultas, ut in articulo mortis Confirmatio administretur, cuivis sacerdoti detur. Dispositio vigens, qua res dependet e praesentia vel absentia parochi fidelibus incomprehensibile quidquam est.

b) Periodus ieiunii ante S. Communionem et sacerdotibus et fidelibus ad unam horam ante initium caeremoniae reducatur.

c) Ius matrimoniale quibusdam partibus simplificari possit. Impedimenta minoris gradus (excepto can. 1042 § 2, 5°) omitti possint. Dispositio praesens delegationis iurisdictionis simplificari potest.

d) Dispositio iurisdictionis confessionalis pro S. Sororibus Religiosis — in eum modum ut summatim dispositionem generalem sequatur — optanda est.

e) Nonne possibilitas dispensationis super coelibatu, in casibus clare psycho-pathologicis, considerari possit?

18. Simplificatio iuris processualis.

Nominatim processus matrimonialis nimium formulis indulget, ita ut confectio causae, quae e natura rerum cito fieri deberet, absque ulla necessitate retardetur. Notabilis abbreviatio processus iam obtineretur, si praeceptum, quod defensorem vinculi primae instantiae obligat ut ex officio a sententia affirmativa appellet, tolleretur: et ipsius defensoris vinculi iudicio in conscientia relinqueretur utrum appellet necne. Eaedem obiectiones — naturae nimis formalisticae scilicet — magis etiam quoad processus beatificationis et canonizationis valent.

19. Revisio iuris poenalis.

Poenae vindicativae usque magis tanquam non consentientes naturae Ecclesiae — quae communitas amoris est — sentiuntur, itaque ad minimum reduci debent. A proposito censurarum ratio habeatur situationis sociologicae: atque inde igitur proficisci debes, utrum in ista situatione rerum rationabiliter timeri possit ne delictum aliquod se offerat. Dispositio absolutionis a censuris revisione indiget.

B)

1. Celebratio S. Eucharistiae:

a) Optatur ut structura S. Missae clare manifestetur *loco,* ubi cultus Verbi celebratur et *loco sacrificii* (ambo, scamnum, cathedra, altare).

b) Omnia dupla eliminentur.

c) Cultus Verbi lingua vernacula habeatur, ubicumque commode fieri poterit.

d) Quadriennis cyclus pericoparum diebus Dominicis creetur: ita ut integrae divitiae Scripturae melius manifestari possint.

e) Possibilitas S. Communionis sub duabus speciebus suscipiendae nonnullis fiat occasionibus, quales sunt: Ordinatio, celebratio Matrimonii aliaeque speciales caeremoniae. Omnia ad iudicium Episcopi.

f) Concelebratio fieri possit certis occasionibus, e. g. in recessibus sacris, in congressibus, in collegiis, in seminariis et in communitatibus religiosis. Ad iudicium Episcopi.

g) Ieiunium Eucharisticum (videatur ad A., num. 17-*b*).

h) Introductio Praefationis de Adventu.

2. Baptisma:

a) Revisio Ritus Baptismatis.

b) In ea revisione optatur ut baptisma adultorum « gradatim » administretur, in modum veteris catechumenatus.

c) In Ritu Baptismatis exorcismi minuantur, et abiurationes ad minimum mitigentur, nisi penitus abolentur.

3. Confessio:

Praeceptum frequentiae Confessionis quoad seminaristas et religiosos (« semel saltem in hebdomada ») mutetur in consilium, quale etiam pro sacerdotibus factum est.

4. Ordinis:

a) Quattuor Ordines Minores revideantur, vel forsan ad unam Ordinationem reducantur.

b) Optandum videtur, ut Diaconatus functio independens fiat: quae etiam a matrimonio coniunctis exerceri poterit e natura rerum ad iudicium Episcopi.

5. Annus Ecclesiasticus:

a) Liturgia Vigiliae Paschalis nimis longa est quam ut in paroeciis celebrari possit.

b) Etiam expedit, ut plus linguae vernaculae in liturgiam Vigiliae Paschalis inducatur.

6. Revisio et considerabilis simplificatio Dedicationis Ecclesiae.

7. Revisio breviarii:

a) Distinguatur inter orationem in Choro et orationem privatam.

b) Quoad preces Breviarii pro curatoribus animarum: forma, qualis in hebdomada post Pascha usitata, valde optata nobis videtur.

c) Relatio mutua inter « feriale » et « festivum » revideatur in

commodum « ferialis ». Hic ea norma sit oportet, ut festa Sanctorum, quae tantummodo regionalis vel localis momenti sunt, tantummodo regionaliter et localiter celebrentur, Sancti vero Universalis Ecclesiae ubique celebrentur.

d) Extensio eius principii fiat, quod in Officio Paschali observatur: principii scilicet quod sacerdos, qui Vigiliae Paschalis partem capit, eximitur a Matutinis et Laudibus.

✠ Martinus A. Jansen
Episcopus Roterodamensis

6

Exc.mi P. D. GUILLELMI P. A. M. MUTSAERTS
Episcopi Buscoducensis ('S-Hertogenbosch)

Buscoduci, die 28 mensis aprilis 1960

Eminentissime Praeses,

Honorificis acceptis precibus, quibus per litteras die 18 mensis iunii 1959 rogatus sum, ut pro Concilio Oecumenico proximo animadversiones, consilia et vota quaedam conciperem, omni humilitate vere submissus, quae hisce inclusa invenietis, Vobis transmitto.

Interim omnia fausta Vobis a Domino adprecor Eminentiae Vestrae addictissimus famulus in Domino

✠ Guillelmus Mutsaerts
Episcopus Buscoducensis

A) *Generalia*

1. Nonne dignius et gratius, relicta negativa anathematis forma, decreta de fide, si qua edantur, elocutione positiva promulgantur?

2. Nonne opportune ea, quae Concilium Vaticanum de Summi Romani Pontificis primatu definivit, amplius supplebuntur, dilucidis verbis describendo, quod Episcoporum sit munus proprium, qui sit eis locus suus, quae iusta eis cum Summo Pontifice intercedat ratio?

3. Nonne quaerere intererit, quae sit clericos inter et laicos in Ecclesia iusta ratio eamque relationem distinctis verbis ita edicere, ut laicis suus in Ecclesia locus positive statuatur?

4. Nonne effici poterit, ut sacrarum Congregationum aditus etiam pluribus nationibus patefiat et in easdem assumantur ii, qui inter non-romanos rerum scientia et usu vere polleant?

5. Nonne salubriter id agitur, ut sacra Congregatio Sancti Officii non solum sit summa in Ecclesia custodia veritatis, sed etiam Institutum, quo prae ceteris Supremus Pater utitur ad consulendum saluti animarum, adeo ut prae iustitia et severitate caritas eluceat magis?

6. Nonne suo iure Concilium Oecumenicum evocabit grande caritatis opus per universum orbem perficiendum, quo in regionibus parum excultis elementariis vitae necessitatibus apte subveniatur?

Magnopere hanc in rem conferet, si postulata sancti evangelii, i. e. parcus vivendi modus, tum sacerdotibus tum cunctis christifidelibus verbis auctoritate gravibus iterum inculcata erunt. Caritas enim hodie quoque christiani nominis nota et insigne sit oportet.

7. Nonne id agendum, ut dioecesium et — intra fines dioecesis — paroeciarum necessitudo mutua verbis commendetur atque affirmetur re, ita ut altera alteri suorum sacerdotum mutua sociaque opera, suarum uberiorum opum subsidio opem praebeat?

Quam in rem magnopere conferre poterunt Africae, Americae, Asiae, Europae, Oceaniae Episcoporum Conferentiae instituendae, cum praesertim hodie iis faveatur inceptis, quibus rerum oeconomicarum et politicarum compactio elaboretur.

B) *Quaestiones Iuris Ecclesiastici*

1. Nonne praesenti *Codice Iuris Canonici* continetur disciplina, quae, quo maiore subtilitate particularia complectitur, eo minore efficacia gaudet?

2. Nonne praesertim iuris matrimonialis simplicior desideratur ordinatio, in qua et quaedam impedimenta minora abrogentur et praescripta publicationum antematrimonialium immutentur?

3. Nonne causae et processus matrimoniales citius ad exitum perduci poterunt cum magno fructu christifidelium, i. a. restringendo numero testium in causis requisitorum?

4. Nonne « Institutorum Saecularium » status accuratius in iure definiendus est?

5. Nonne fieri poterit, ut exhibeantur normae, iuxta quas vita religiosa ulterius mutatis temporibus accomodetur, ita tamen ut votorum et communis vitae ratio apertius eluceat?

6. Nonne necesse est recognoscatur lex librorum?

7. Nonne nova legis ieiunii et abstinentiae desideratur conceptio?

8. Nonne opus est recognito iure poenali, praesertim ubi inflictantur censurae, quae practice numquam usu veniunt?

9. Nonne ea, quae circa confessionem sacramentalem religiosarum in *Codice Iuris Canonici* praescribuntur, recognitione indigent?

C) *Quaestiones Dogmaticae et Morales*

1. Adversus ethicam, quae dicitur « situationis », videtur necesse esse lucide statuere principia fundamentalia theologiae moralis christianae.

2. Nominatim eadem principia denuo accurate describenda esse videntur, ubi connectuntur cum ultimo principio (ultimis principiis) castitatis vel luxuriae oppositae.

3. Nonne opportune voluntas Dei salutifera erga universum genus humanum et erga singulos homines asseretur atque defendetur adversus ea, quae a philosophia, quam « existentialismum » vocant, ponuntur a doctrina christiana aliena?

4. Nonne proderit distinctis verbis explanare intimam Ecclesiae naturam, i. e. Ecclesiae ut est Corpus Christi, ut est Sponsa Christi?

5. Nonne referret Concilium Oecumenicum expressis verbis iterum testificari mentem vere pacificam erga eos, qui ex christianis ab Ecclesiae communione remoti sunt?

6. Quodsi evenerit, ut de « gratia » in specie disseratur, nonne diligenter perpendendo vocabula praecavendum erit, ne gratia tamquam « res » habeatur, verum tamquam communio vitae cum Christo et in Ipso cum Patre, Filio et Spiritu?

7. Nonne intererit accuratius inquirere, qua ratione tria initiationis christianae sacramenta inter se habeantur; item qua ratione, in qua hominum aetate eadem sacramenta in praxi administranda sint; utrum inter se coniuncta an seiuncta ab invicem conferri debeant?

8. Nonne optandum, ut baptismus, si in casu necessitatis conferatur, extra ecclesiam administretur totus?

Quodsi placet quasdam caeremonias confici in ecclesia ad demonstrandum nexum cum Ecclesia ortum, nonne optandum, ut omissa catechumenorum liturgia, cuius vis collato baptismate parum perspicitur, caeremoniae inveniantur novae?

9. Nonne optandum est, ut pro adultis baptizandis nova concipiatur catechumenorum liturgia, qua baptizandus interpositis interstitiis gradatim in Ecclesiam inauguretur?

10. Nonne magno cum fructu ieiunium eucharisticum intra unius

horae spatium ante celebrationem sanctae Eucharistiae tum pro sacerdotibus tum pro cunctis christifidelibus coarctabitur?

Apparet in praxi legem per spatium trium horarum abstinendi a cibis magna secum ferre incommoda, quo etiam fit, ut a sacra communione intra Missam accipienda arceantur haud pauci.

11. Videtur esse optandum, ut dogmata transubstantiationis et realis praesentiae denuo explanentur, diligenter investigando, quid in rem conferre possint inventa et placita hodierna.

12. Videtur esse in rem agere de confessione sacramentali ex devotione instituta nec non et de frequenti confessione sacramentali, qua sacerdotes et religiosi tenentur.

13. Nonne usui erit accuratius inquirere, quomodo inter se habeant sacramenta et ministerium verbi?

14. Nonne effici poterit, ut thema scripturisticum: « terra nova et coelum novum » denuo in luce ponatur, quo maior huius saeculi et conditionis corporalis aestimatio habeatur?

15. Si evenerit, ut disseratur de Maria (expositio notionis Ecclesiae ansam praebere poterit) magnopere intererit ea evitari vocabula, quae a sacra Scriptura et a theologia catholica non solide probantur.

16. Nonne effici poterit, ut Sancta Sedes singulis provinciis ecclesiasticis commendet erigendum « Centrum Catecheticum », cui Centro, sub Episcoporum ductu, res catechetica curae sit?

D) *Quaestiones Liturgicae*

1. Ne diu retardetur sacrae Missae liturgiae reformatio, qua reformatione Missae celebratio forma omnibus clara et perspicua induatur.

2. In ea parte Missae, quae dicitur catechumenorum, amplum locum linguae vulgari dari intererit.

3. Videtur esse a re, ut omnes iterationes abrogentur, non solum lectionum, ut iam fit in liturgia Hebdomadae Sanctae instaurata, sed etiam omnium canticorum, quae sunt scholae et populi.

4. Forsan et utiliter pericoparum (maxime Epistolarum) mutatio quaeretur.

5. Ut preces Canonis Missae clara voce dicantur, peroptato concedetur.

6. Nonne conducet in rem, si permissum erit, ut sacrificium Missae iis celebretur diei horis, quibus adhuc celebrari vetatur?

7. Nonne permitti poterit concelebratio in casibus peculiaribus, cum magnus sacerdotum numerus, ut puta in conventibus, una adest?

8. Videtur esse opportuna ulterior breviarii reformatio, qua idem ad formam simpliciorem redigatur, ita tamen, ut consuetudo recitandi singulis hebdomadis psalterium integrum conservetur.

Hac in re multum profectum erit, si lectiones critice recensae erunt; si lectioni e sacra scriptura desumptae amplior locus datus erit; si lectiones de sanctis eorundem indolem et virtutes potissimum exhibuerint; si lectiones e scriptis ss. Patrum desumptae recognitae erunt.

9. Nonne id agendum, ut calendarium sanctorum reformetur, suppressis iis festis sanctorum, quorum arctior cum quadam regione vel cum quodam ordine nexus exsistit, adeo ut simul Proprio dioecesium amplior locus detur?

10. Nonne suadendum, ut per totum annum festorum sanctorum celebratio fiat facultativa, sicut hodie conceditur pro tempore quadragesimali, adeo ut ad libitum Missa et officium sancti, cuius festum colitur, aut cuius fit commemoratio, aut Missa et officium « de ea » haberi possit, servato praecepto pro universali Ecclesia Missae et officii eorum sanctorum, quorum nexus cum universali Ecclesia perspicuus, ut sunt Apostoli, Doctores Ecclesiae, Summi Pontifices, etc.?

11. Nonne permitti poterit, ut pro officio « de ea », scil. dominicae praecedentis, saepius in hebdomada recurrente, recitatio officii votivi, ut olim fiebat?

12. Nonne magno cum fructu id agitur, ut habeatur maior distinctio inter liturgiam populi et liturgiam monachorum.

Liceat addere exemplum: Ut nihil gravantur monachi ampliore et diuturniore sollemnitate paschali, complectente ipsas duodecim lectiones, ita in liturgia populi praecavendum erit, ne nimia prolixitate devotioni plebis noceatur.

13. Nonne optandum, ut caeremoniae consecrationis ecclesiae recognoscantur et arctiore ritu eadem consecratio compleatur?

✠ Guillelmus P. A. M. Mutsaerts
Episcopus Buscoducensis

7

Exc.mi P. D. BERNARDI J. ALFRINK
Archiepiscopi Ultraiectensis (Utrecht)

N. 2212/59 Utrecht, le 22 décembre 1959

Eminence,

J'ai l'honneur d'envoyer ci-inclus à Votre Eminence quelques pensées et suggestions pour le Concile Oecuménique, lesquelles Votre Eminence a demandé dans Votre lettre du 18 juin 1959 (N. 1 C/59-1420).

Je regrette beaucoup de ne pas avoir trouvé l'occasion de répondre plus tôt parce qu'il me semblait utile de demander les conseils de quelques théologiens et canonistes qui étaient empêchés par leur travaux de me donner leur pensées entre le temps indiqué.

En baisant la Sacre Pourpre de Votre Eminence je me professe avec des sentiment respectueux

de Votre Eminence
le humble serviteur en Jés-Chr.
✠ Bernard J. Alfrink
Archevêque d'Utrecht

Ante omnia Concilium eloquatur, in hisce etiam diebus, in quibus tot homines angore, desperatione, vitae etiam taedio vexantur, Iesum Christum esse spei nostrae fontem simul atque finem ultimum. Apostolicis verbis (cf. *I Cor.* 7, 29-31) admoneat, ut in victu cotidiano sobrietas, quae decet Christifideles, semper exerceatur, in hunc etiam finem, ut iis succurri possit orbis terrarum partibus, quae, deficiente ibi adhuc cultu humano, gravissima hodie egestate cruciantur.

De Ecclesia

Cum in Concilio Vaticano superiore doctrinae de Ecclesia expositio imperfecta relicta sit, fusius de ea agatur ad normam litterarum encyclicarum *Mystici Corporis Christi.*

Ecclesiae proprietates, quae ab eodem illo Consilio sunt indicatae, arctius definiantur.

Apertis verbis doceatur, unitatem et catholicitatem esse alteram alterius quasi complementum, ita ut Ecclesiae unitas nequaquam sit uniformitas, sed unitas in varietate.

Quaeratur porro, an, affirmantes Ecclesiae Sanctitatem, humiliter

tamen simul confiteri possimus eiusdem Ecclesiae membrorum culpam, imprimis quod attinet ad causas discidii illius, quo Christianos hodie inter se separatos videmus. Tali confessione palam fieri poterit, Ecclesiae sanctitate singula quoque eius membra ut sancta sint admoneri; eoque modo Ecclesiae mysterium magis illucescet ecclesiis non-catholicis necnon omnibus iis hominibus, qui Christum nondum agnoverunt.

Ratio etiam, quae inter Ecclesiam universalem Ecclesiasque particulares intercedit, clarius explicetur, serioque investigetur, an Ecclesiae particulares — eae, quarum Episcopi communionem habent cum Summo Pontifice Romano — revera sint maius quiddam quam totidem Ecclesiae universalis particulae; an per eas Ecclesia Christi realiter manifestetur in singulis regnis vel regionibus vel hominum eiusdem condicionis aggregationibus. Cum qua quaestione alteram hanc intime coniunctam esse apparet: Quaenam « autonomia » Ecclesiis particularibus tribuenda esse videatur.

Cum Ecclesia Catholica sit tamquam instrumentum, quo Regnum Dei in terra propagetur, iurisdictio Ecclesiastica (potestates docendi atque regendi) *sacram* prae se ferre debet naturam, ita ut natura illa ab Ecclesiae fidelibus revera semper agnosci possit.

De Curia Romana

S. Officium nostri temporis menti studiisque adaptetur, seque ad ipsam animarum curam esse institutum in externis etiam actibus suis clare ostendat. Sicut ipsa Sacra Scriptura nos admonet, in omnibus casibus correptio fraterna primum semper adhibeatur, iisque quorum causa agitur occasio detur, ut S. Officium et negative (condemnando), et modo positivo utilitatem Ecclesiae prosequatur.

Item optandum magnopere esse videtur, ut Sanctae Sedi praesto sit consilium aliquod perpetuum, apparatu necessario bene instructum, quod res varias ad Ecclesiam pertinentes in lucem edendas curare possit eoque impedire, ne versiones textuum vitiosae vel interpretationes privatae falsaeque in diariis divulgentur.

Forsitan fieri quoque possit, ut modus inveniatur, quo Episcopi de gravibus praesertim decretis certiores fiant, antequam cum diariorum editoribus illa communicentur.

De Episcopis

Concilium clarius definiat Episcoporum munus necnon rationem quae intercedit illud inter et Episcopi Romani primatum, idque tam quod ad Ecclesiae universalis quam quod ad dioecesium singularum spectat regimen.

Claris verbis a Concilio proclametur, universalis Ecclesiae regimen iure exerceri ab Episcoporum collegio, praeeunte Summo Pontifice. Ex quo sequitur, ut ab una parte universalis Ecclesiae salutis periculum in singulorum etiam Episcoporum capita decidat, utque ab altera parte in Ecclesia universali regenda Episcopi omnes suo iure partes suas exercere possint. Hoc autem fieri potest non solum Concilio Oecumenico convocando, verum etiam aliis institutis creandis. Consilia forsan nonnulla perpetua Episcoporum rei peritorum ex tota Ecclesia eligendorum una cum Summo Pontifice et Curiae Cardinalibus munere legislativo pro tota Ecclesia fungi possint. Congregationes autem Romanae potestatem tunc consiliariam tantum atque exsecutivam retinerent.

Singularum dioecesium regimen iure divino singulis Episcopis in communione cum Summo Pontifice obvenire declaretur. Congruum esse videtur, ut singuli Episcopi leges universalis Ecclesiae in sua dioecesi exsequantur pro regionum, temporum morumque diversitate, utque illarum legum dispensationes concedere valeant, cum non ad Ecclesiae partem regendam Episcopi sint delegati, verum pro suo quisque territorio potestatis legislativae regiminisque Ecclesiae universalis sint participes. Quod hodie in Ecclesia Catholica magnopere in unum quasi centrum omnia sunt coacta, nonnihil nocere videtur « immediatae et ordinariae episcopali potestati iurisdictionis » a Concilio Vaticano superiore Episcopis attributae; idemque Concilium primatu Summi Pontificis Episcoporum potestatem confirmari, roborari atque vindicari declarat. Potestatis igitur aliquanta dispertitione et Episcoporum munus proprium et Romani Pontificis Primatum magis elucere potest. Qua quidem dispertitione effecta utile esse poterit Episcopos accuratas saepius ad S. Sedem mittere relationes. (Eadem potestatis dispertitione reservationes quoque, quae hodie in certis muneribus deferendis adhuc vigent, tollendae esse videntur).

Optandum denique est, ut relatio, quae intercedit inter S. Sedis Nuntios atque Hierarchiam localem, clarius circumscribatur.

Ut cura animarum melius exerceatur utque Episcoporum regimen suos producere possit effectus, clarius constantiusque regula illa est retinenda, qua religiosorum exemptio cessat in omnibus iis actionibus, quae animarum salutis causa suscipiuntur.

De Sacerdotibus

Christi sacerdotes, in mundo viventes, de mundo esse non possunt. Periculum tamen quandoque imminere videtur, ne sacerdotes a ceteris hominibus nimium secernantur et ne omnia illa, quae in animarum cura

perficere conentur, iusto effectu careant, eo quod a rebus saecularibus nimis sint alieni. Moneat igitur Concilium Episcopos, ut instituta erigant, quae, ratione habita earum rerum quas theologia necnon scientiae profanae hodiernae investigaverunt, viam edoceant, qua sacerdotum mores eaque omnia, quae in animarum cura sint suscepturi, huius necessitatibus accommodari possint.

Optabile etiam est, ut omnes sacerdotes, qui ad curam animarum exercendam sint destinati, studiis theologicis absolutis, proprie ad hunc finem instituantur.

Quae quidem institutio quo modo sit facienda atque administranda, Ordinarii loci a Concilio statuere sinantur.

Cum animarum curae multum temporis cotidie a sacerdotibus impendi sit necesse, officii divini singulis diebus recitandi brevior simpliciorque desideratur forma, quae non iam illius muneris sit similis, quod in monasteriis totius fere diei tempus usurpat.

Caelibatus sacerdotum in Ecclesia Latina vindicetur. Disceptetur tamen de hac quaestione: an fieri possit ut salvo bono communi sacerdotes nonnulli saecularisati a caelibatus onere liberentur, quando nempe prudentium psychiatrorum catholicorum iudicio sacerdos talis unus vel alter propter difficultates psychicas caelibatum observare non valet.

De Laicis

Clarius a Concilio determinetur locus, quem laici in Ecclesia occupare debent. Tamquam fundamentum in hac re forsitan esse possint ea quae theologi docent — Ecclesiam nempe esse Populum Dei et fidelium congregationem, omnesque fideles munus Christi sacerdotale, propheticum atque regium participare — necnon ea, quae Pius XII docuit de necessitate opinionis publicae in Ecclesia Dei.

Concilii Patres deliberent de quaestione hac: quo modo in rebus magni momenti, quae spectent ad regimen vel Ecclesiae universalis vel Ecclesiarum dioecesanarum, laicis aliquid impertiri possit auctoritatis et potestatis; fortasse collegia quaedam perpetua institui poterunt amplissimorum laicorum catholicorum, qui consiliariorum munere fungantur; de paroeciarum regimine idem valere videtur.

Mulierum item in Ecclesia locus determinetur.

Item Actionis Catholicae locus munusque.

Quaeratur possintne erigi instituta saecularia pro maritis.

Si fieri poterit, Concilium iudicium proferat de quaestionibus illis gravibus, quae multorum hodie laicorum mentes inquietant: laboris quis sit sensus valorque, item professionis cuiusque vel muneris, item prospe-

ritatis oeconomicae et « integrationis internationalis » quae dicitur, quid denique sit sentiendum de liceitate belli, in quo atomorum adhibeatur vis destructiva.

De relatione Ecclesiam Catholicam inter et non-catholicas

Declaret Concilium cum dolore, ipsam etiam Ecclesiam Sanctam Catholicam defectibus suorum membrorum humanis participem esse culpae, qua Christiani ipsi inter se sunt divisi, secessionibusque partium Ecclesiae numerosarum S. Ecclesiae Catholicitatis conscientiam aliquantum esse deminutam. Doctrina de « vestigiis Ecclesiae », quae extra Ecclesiam Catholicam remansisse dicuntur, hoc etiam sensu intellegatur, quod elementa quaedam alicuius valoris extra Ecclesiam Catholicam magis quam intra eam evoluta et clarius agnita esse videntur.

Quaeratur, num fieri possit optandumque sit, ut e Christianis noncatholicis viri quidam amplissimi occasionem accipiant declarandi in ipso Consilio, quibus rebus in Ecclesia Catholica offendantur et quaenam de eadem Ecclesia exspectare se posse existiment.

Hoc etiam in Concilio proclamandum esse videtur: Ecclesiam Catholicam libenter operam suam conferre paratam esse, ut inter omnes Christum colentes unitas restituatur.

Viae insuper investigandae sunt, quibus oecumenicum inter ecclesias commercium propagari possit et augeri.

Adagium illud « extra Ecclesiam (sine Ecclesia) nulla salus » clarius explicetur; ampliusque evolvantur ea quae litterae encyclicae *Mystici Corporis* docent de nexibus, quibus homine non-catholici cum Ecclesia Catholica possunt esse coniuncti.

Congruenter cum reverentia illa, quae Christianum decet erga conscientiae libertatem individuam, Concilium eloquatur, reverentia illa exposci non solum ut veritatem defendamus, verum etiam ut homines errantes toleremus et naturam finesque illius tolerantiae pressius explicet.

De cura animarum

Id agant Concilii Patres, ut Christus ipse magis magisque agnoscatur esse centrum devotionis nostrae atque cultus. Idcirco admoneant, ut cautissime in hac re agatur utque fideles instituantur quoad varios mores atque usus accidentales, qui interdum in nonnullis formis devotionis grassari videntur, v. g. in veneratione reliquiarum, in re indulgentiaria, in sanctuariorum sacrorum cultu, in precibus novendialibus, etc.

Concilium porro admoneat, ut in cura animarum exercenda ea omnia spectentur et — si casus fert — in usum convertantur, quae disciplinae

profanae nostro tempore docent cum de aliis rebus tum imprimis de impubitate spirituali, quae efficit, ut multi Christifideles Evangelium secundum eas formas, quas in historiae decursu crevisse videmus, in vita sua spirituali exprimere vix valeant.

De Sancta Virgine Maria

Hoc etiam recogitent Concilii Patres, facile fieri ut dogmata ecclesiastica de S. Dei Genitrice a Christianis non-catholicis perperam intellegantur.

Quapropter utile erit profiteri, Christum solum esse Mediatorem inter Deum et homines, Mariaeque privilegia eiusque munus partesque in opere redemptionis perficiendo in istius solummodo veritatis luce recte posse agnosci.

Imprimis autem nomina haec: « Coredemptrix » et « Omnium gratiarum Mediatrix » ab acatholicis falsa interpretatione vitiantur, eaeque fidei veritates, quae nominibus istis indicantur, melius perspicientur, si Maria fidelibus proponitur tamquam Ecclesiae prototypus, ancilla Domini, Mater Dei, Divinae potestatis adiutrix humilis, pro omnibus nobis perpetuo interpellans.

De Sacramentis

Sacramenta non sunt ritus, qui operentur « mechanice » ut dicitur, sed sunt actiones symbolicae, in quibus actuosa salutifera Christi operatio ante oculos nostros ponitur simulque exprimitur fides cultusque Ecclesiasticae communitatis, eorum imprimis, qui Sacramentum accipiunt. Tunc igitur solum sacramenta fini suo optime respondere posse videntur, cum ab iis, qui eorum celebrationi intersunt, vere intelleguntur. Ad quem finem necessarium plane est, ut magna ex parte in iis adhibeatur lingua vernacula. Insuper Sacramenta vulgo ita erunt celebranda, ut fidelium coetus in iis partem aliquam habere queat. Haec autem omnia non tam novis legibus, ubique terrarum valentibus, promovenda esse videntur quam tollendis praescriptis iis, quae hac in re progressum impediant. Id agatur ut veteres quaedam aboleantur caeremoniae, quae hodie non iam intelleguntur atque forma aliqua inveniatur multo simplicior ita ut ipsa rituum essentia melius demonstretur.

Concedendum etiam erit, ut caeremoniae magis ipsius regionis populique moribus adaptentur. Episcopis fortasse facultas maior dari poterit, ut — inito consilio cum Ecclesiae universalis rectoribus necnon cum aliis eiusdem regionis Episcopis — novas ingrediantur vias. Gravioribus solummodo mutationibus inferendis impediri poterit, ne multi fideles ab Ecclesiae liturgia magis magisque abalienentur.

De Baptismate

Quaeratur via, qua etiam fidelium coetus huius sacramenti celebrationi actualiter interesse possit.

Ante Baptisma eorum, qui ad fidem catholicam se converterunt, ab his solummodo requiratur confessio fidei positiva (omittatur ergo absolutio a censuris et haereseos abiuratio).

De confirmatione

Facultas huius sacramenti administrandi in periculo mortis omnibus impertiatur sacerdotibus, qui in animarum cura operantur.

De S. Eucharistia

In hoc praesertim sacramento maxime desideratur emendatio aliqua, qua Eucharistiae celebrationis structura clarius perspici possit.

Facultas S. Eucharistiae sub utraque specie sumendae fortasse certis occasionibus (v. g. in ordinatione presbyteri) etiam laicis (v. g. in Missis pro sponso et sponsa) concedi poterit.

Itidem valde optandum est, ut concelebratio admittatur, quando magnus adest numerus sacerdotum.

Ieiunium eucharisticum, praesertim si vespertino tempore Missa celebratur, tam pro sacerdotibus quam pro fidelibus, restringatur, quod attinet ad cibos solidos, ad duas horas ante S. Eucharistiae sumptionem.

De Sacramento Poenitentiae

Ut singulis hobdomadibus hoc sacramentum accipiatur, non praescribatur sed ad summum suadeatur tantum.

Imprimis sororibus religiosis maior libertas in eligendo confessario concedatur.

De Extrema Unctione

Hoc sacramentum non post sed ante S. Eucharistiae sumptionem conferatur, quippe cum sit paenitentiae consummatio.

De Matrimonio

Deliberetur in Concilio, an matrimonii fines talibus verbis exprimi possint, quae magis rationem habeant eorum quae psychologia nostro tempore docet, quaeque melius congruant cum mente fidelium hodierna.

Multi exoptant, ut Concilio expressis verbis condemnet usum earum

rerum, quae conceptionem impediant; inveniuntur enim etiam inter catholicos, qui sententias, de hac re antea latas, immutari adhuc posse exspectent.

De legibus ecclesiasticis

Generatim loquendo ut legislatio ecclesiastica in modum multo simpliciorem redigatur, optatissimum est, imprimis quoties non de iuris determinatione agitur sed de officiis imponendis.

Episcoporum facultates ampliandae esse videntur, v. g. in causis matrimonialibus, in dispensando de impedimentis matrimoniorum, in alienandis bonis ecclesiae temporalibus, in mutuis pecuniis accipiendis, in aliis dispensationibus concedendis.

Emendentur denique leges de libris edendis legendisque necnon Index librorum prohibitorum; damnationes in hac re rarissime fiant et ex parte sapienti Episcoporum relinquantur consilio; libros prohibitos quisnam legere licite possit, non more iuridico statuatur sed lectoris ipsius prudenti iudicio atque conscientiae (inito consilio cum confessario proprio) relinquantur.

✠ Bernardus I. Alfrink
Archiepiscopus Ultraiectensis

8

Exc.mi P. D. HUBERTI J. PAULISSEN
Episcopi tit. Jonopolitani

27 augusti 1959

I. *De caritate christiana*

Per Iesum Christum, primogenitum, fratres et sorores omnes esse debemus. Talem charitatem nobis dedit Pater, ut filii Dei nominemur et simus omnes (1 *Io.* 3, 1).

Caritate Deum amare debemus super omnia et proximum sicut nosmetipsos (*Mt.* 22, 34-40; *R.* 13, 8-10).

Caritas Christi urgeat nos (*II Cor.* 5, 14) primo loco erga domesticos fidei (*G.* 6, 10) sed etiam erga christianos dissidentes, erga fideles omnes atque infideles.

Caritas, quae non quaerit quae sua sunt (*I Cor.* 13, 15), exceptionem non admittit; prae aliis pauperes, aegrotos atque peccatores complectatur. Caritas, quae in cordibus nostris diffusa est per Spiritum Sanctum

(*R.* 5, 5), Summum Pontificem, Episcopos atque subditos omnes unum faciat sicut Pater et Filius et Spiritus Sanctus unum sunt (*Io.* 17, 11, 21-23). Hac caritate operosa totus mundus agnoscat Christum, a Patre missum (*Io.* 17, 21 et 25) atque veram Ecclesiam Catholicam, quae est Corpus Christi Mysticum.

II. *De iure Ecclesiastico*

1. Ius cononicum exigentiis modernis magis adaptetur. Praelucentibus principiis Evangelicis magis simplificetur. (Quod utique non est opus unius diei!).

2. Ratio atque indoles Ecclesiae et Societatis civilis magis determinetur ac utriusque relatio magis circumscribatur.

3. Summi Pontificis et Episcoporum potestas atque relatio reciproca magis delineetur.

4. Auctoritatis et subditorum seu laicorum munera atque officia in Ecclesia magis indicentur.

Ulterius haec ad apostolatum et fidei propagationem applicentur.

5. Restauratio officii diaconatus pro pastoribus nuptis protestantibus, ita ut post conversionem ad Ecclesiam Catholicam ministerium verbi, quod eis carum est, exercere valeant. Ita difficultas magna pro conversione removeretur, imprimis pro iis ex Ecclesia Anglicana.

6. Ut actio missionaria Ecclesiae omni cura incumbat in alumnos africanos et asiaticos adscriptos Universitatibus in Europa.

III. *De Liturgia*

1. Cautis essentialibus in liturgia lingua vernacula atque usus locales latius adhibeantur ac foveantur .

2. Ut ordo restauratus Missae sollemnis, qui in hebdomada sancta valet, ad omnes Missas sollemnes extendatur.

3. Ut praedicatores omni cura incumbant ad valorem christianum statuum perfectionis in Ecclesia.

IV. *De Beata Maria Virgine*

Nisi sit praematurum, tituli Corredemptricis (Redemptoris sociae) et omnium gratiarum Mediatricis iuxta data revelationis simul sumpta fundentur et statuantur.

✠ HUBERTUS J. PAULISSEN
Episcopus tit. Jonopolitanus

HUNGARIA

1

Exc.mi P. D. LUDOVICI SHVOY

Episcopi Albae Regalensis (*Székesfehérvàr*)

Albae-Regiae, die 3 septembris 1959

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Grato animo accepi litteras aestimatissimas Eminentiae Vestrae in praeparatione Concilii Oecumenici sub numero I C/59-1313 die 18 iunii a. c. mihi datas et die 17 iulii acceptas. Proh dolor, per 5 hebdomadas in nosocomio detentus nunc tantum responsum dare valeo, veniam pro tardatione petens.

Animadversiones, propositiones et vota circa res et argumenta, quae in Concilio tractari poterunt, consilio quorumdam sacerdotum meorum peritorum et prudentium, nec non fidelissimorum, utens hisce inadiecto humillime propono.

Magna expectatione, magnoque gaudio oramus quotidie ut Spiritus Sanctus det gratiam suam copiosam Eminentiae Vestrae et Commissioni Antepraeparatoriae in praeparatione futuri Concilii Oecumenici in emolumentum Sanctae Matris Ecclesiae.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae omni, qua par est reverentia et honore.

addictissimus in Christo

✠ Ludovicus Shvoy

Pontificio Solio Adsistens, Episcopus Albae Regalensis

Grato et reverenti animo accepit Dioecesis nostra nuntium Sanctae Sedis Apostolicae de convocando Concilio et felices successus a *Deo optimo maximo* exorat in Concilio Oecumenico inaugurando atque in procuranda Sanctae Ecclesiae unitate.

Programma Concilii quod attinet, mea proposita ut sequuntur reverenter Eminentiae Vestrae submitto.

1. Ad unitatem Ecclesiae efficacius promovendam pastoribus et fidelibus ecclesiae orientalium et sectarum in sinum Sanctae Matris Eccle-

siae redeuntium plane libero et magno animo in rebus mere disciplinaribus occurrendum esset.

2. Cum Sancta Fides nos doceat Virginem Matrem Dei omnium gratiarum esse Mediatricem, ut hanc doctrinam Sacra Synodus sollemniter proponat, valde optandum videtur.

3. Cura incumbit Synodo condemnandi maximum aetatis nostrae errorem, nempe materialismum aeque ac sententias sectasque socialisticas spiritualisticas. Non solum materialismus theoreticus, sed praecipue et practicus fidelium mentes inficit, qui se inordinata prosecutione bonorum temporalium et deliciarum terrenarum se prodit.

4. Sacra Synodus sollemniter determinet et declaret iura Ecclesiae, nominatim ius et potestatem Sanctae Sedis libere communicandi sine placito vel censura cuiuscumque potestatis civilis tam cum Ordinariis, quam cum clero et fidelibus catholicis.

5. Item extensio, terminique iurisdictionis Pontificalis atque Episcopalis apta circumscriptione firmanda esset: « Pastores atque fideles officio hierarchice subordinationis veraeque oboedientiae obstringuntur non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent ».

6. Multi fidelium in toto orbe vivunt a vita religiosa et ab intima unione Ecclesiae remoti si non seiuncti, quibus aequa cura ac separatis consulendum esset. Numquam non curavit Sancta Mater Ecclesia eorum salutem. Hodie quoque instituta plurima, instrumenta technica recentissima, coordinatio Associationum Laicorum, renovatio Constitutionum Religiosorum, vivificatio vitae parochialis, renovatio sacrae Liturgiae, reformatio catechismi, actiones paedagogicae et charitativae, etiam quaedam ordinatio practica disciplinarum theologicarum ad praedicandum verbum in theologia sic dicta kerygmatica aliaque similia hunc finem respiciunt. Quae omnia commendanda essent.

7. Applicanda esset a Concilio Oecumenico coordinatio mediorum et methodorum cum grandi missione Ecclesiae ad hominem nostri saeculi. Desideratur instructio tironum theologiae non solum scientifica, sed maxime practica, ut ita dicam polytechnica, qua ad exemplum aliquarum communitatum Religiosorum, e. g. Salesianorum, Societatis Verbi divini, Societatis Iesu, vel olim Seminarii S. Sulpicii, futuri animarum pastores non solum normas directivas addiscant, sed et habitus facultatesque practicas acquirant.

8. In organismo paroeciali locus adscribendus esset apostolis laicis, quorum sufficienti instructioni consulendum esset. Actio Catholica in hunc finem reformanda et modernisanda esset.

9. Desideratur ulterior progressus Liturgiae decretis Pontificiis iam

feliciter promotae eo sensu, ut assistens populus facilius strictiusque actionibus liturgicis se consociet et participare possit.

10. Optandum esset introductio linguae vernaculae in prima parte Missae quae catechumenorum dicitur, porro in administrandis sacramentis et sacramentalibus.

11. Respectu Officii Divini consulendum esset, ut clerici fructus uberiores ex eo pro vita sua spirituali et praxi pastorali carpere possint. Suadetur reductio psalmodiae latinae saltem ad partem cum obligatione persolutionis partim mane, partim vespere; lectionum autem extensio ad tempus taxatum, sed cum libera electione partis alterius ex S. Scriptura eiusque versionibus aut commentariis probatis, partis alterius ex documentis Ecclesiae (v. *Enchyridia* typographi Herder), ex variis Liturgiis, ex libris SS. Patrum, Doctorum, theologorum probatorum.

12. Sacerdotibus saecularibus respectu bonorum spiritualium ex ea manantium suadenda esset et enixe commendanda vita communis.

13. Cum de derogatione coelibatus haec et alia audiantur, S. Synodus disciplinam nostram haereditariam confirmet consolidetque. Disciplina cleri etiam sensu Synodi Vaticani et Litterarum Encyclicarum Pii Papae IX *Quanta cura* circumscribenda esse videtur.

14. Organisatio et regimen Ecclesiae indigentiis temporis hodierni coaptanda essent. Dioeceses enormae magnitudinis in partes dividendae essent, ut ab Ordinario perspiciantur et facilius gubernentur.

15. Censura atque index librorum prohibitorum revisenda essent, sed et adiunctis modernis (cinematographia, radio, televisio) providenda essent.

16. Omnino necessarium videtur ut castitas connubiorum catholicorum contueatur; abusus et damna sacramentum matrimonii imminentia arceantur et damnentur; educatio prolis christiana vindicetur, solemniter declaranda essent ius et libertas Ecclesiae a divino Fundatore data parvulos et iuventutem in vita christiana et fide catholica imbuendi et educandi tum in scholis, quam in sodalitatibus religiosis.

✠ LUDOVICUS SHVOY
Episcopus Albae Regalensis

ISLANDIA

1

Exc.mi P. D. IOANNIS GUNNARSON
Episcopi tit. Holarensis, Vicarii Ap. Islandiae

Landakot, Reykjavìk, die 29 augusti 1959

Responsum reddo epistolae a Sua Eminentia, Ill.ma ac Rev.ma Cardinali Tardini mihi missae, die 18 iunii 1959, in qua Sua Eminentia quaerit ut mittam aliquas animadversiones relate ad futurum Concilium.

1. Sine dubio hoc Concilium quam maximam contentionem adhibebit ad unionem Ecclesiae Romanae cum ecclesia, quae se orthodoxam vocavit.

Confiteor me in hac re valde imperitum esse, sed suspicor principales difficultates oriri circa infallibilitatem et supremam potestatem Summi Pontificis. Opinor hanc quaestionem forte resolvi si Summus Pontifex sine ulla cessione iuris vel rei dogmaticae, quam maximam auctoritatem det Patriarchis et aliis potestatem habentibus in territoriis qui ad eos spectant.

2. Si agatur de iis qui vocantur « protestantes », quaeratur unio cum aliquibus ex eorum ecclesiis,, mihi videtur valde utile ut paretur et conficiatur melior editio Sacrae Scripturae quam illa quae nunc auctoritatem habet, scilicet Vulgata editio.

Interim Ordinarii locorum haberent facultatem corrigendi aliqua loca Vulgatae editionis in lingua vernacula, si emendationes eorum inveniantur in translationibus approbatis.

Valde optabile mihi videtur quod hoc, quod insumeret multos annos, fieret cum aliqua cooperatione Episcoporum et forsitan cum aliquibus peritis ex aliis ecclesiis.

Emendatio Sacrae Scripturae inciperet circa ea loca, quae ad usum venient in nova editione Missalis Romani, Breviarii Romani, Pontificalis Romani et Ritualis Romani, ita ut quamprimum possint in lucem edi.

3. Missale Romanum posset confici secundum decisiones Concilii (et non secundum decisionem alicuius Ordinis monastici).

4. Item Breviarium Romanum reformetur et valde minuatur, secundum decisiones Concilii. Etiam in hac re nullus specialis Ordo monasticus habeat ultimam decisionem, praesertim, si Ordo habet Officium divinum ut opus principale diei.

Interim Ordinarii loci habeant amplam facultatem dispensandi suos

subditos ex parte vel in toto, secundum varia adiuncta, vel etiam mutare recitationem Officii divini in alias orationes.

5. Facultates Ordinariorum loci valde amplientur in rebus quae pertinent ad speciales conditiones in eorum territoris, ut v. g. vestitus sacerdotalis in eorum territorio, participatio fidelium in societatibus, quae generaliter ut acatholicae habentur, sicut ex. g. Good-Templars, Odd-Fellows, Rotary, Lions clubs, imo detur existimationi Ordinari loci cum eius consilio facultas iudicandi num societas Franco-murariorum in eorum regione prohibenda sit vel non, atque utrum sanctiones canonicae illi applicandae sint.

Etiam aestimatio Ordinarii loci determinet quid in eius proprio dominio considerari debeat « prohibita communicatio in sacris ».

6. Quod spectat ad administrationem sacramentorum (secundum Rituale Romanum) lingua vernacula, secundum textum ab Ordinario probatum, uti possit, exceptis verbis, in quibus forma sacramenti consistit.

Quoad Missam, perpendatur an aliquae partes eius in aliquibus adiunctis possent cum consensu Ordinarii dici in lingua vernacula.

In baptismo, praesertim infantium, exorcismi abbrevientur et mitiores fiant, Ordinario loci facultas sit permittendi baptismum domi factum, etiam extra casum necessitatis.

In communione infirmorum atque in administrando Viatico, sacerdotes secundum casum caeremonias excludere possint, v. g. sacramentum administrare sine candelis accensis.

In administratione Extremae Unctionis sacerdoti facultas detur ut eam administret unica unctione (si possibile in fronte) etiam extra casum necessitatis.

Quod spectat ad sacramentum matrimonii. Hoc sacramentum consideretur a Concilio cum magna cura.

Aliqua impedimenta ut illud « cognationis spiritualis » possent omnino evànesci, sed forte ponatur aliud impedimentum propter errorem, praesertim quando agatur de matrimoniis mixtis, vel inter christianos qui matrimonium inierunt cum errore circa eius indissolubilitatem.

Relate ad ieiunium et abstinentiam a carne certis diebus, Roma det regulam « directivam » et suam liturgiam conficiat secundum illam, sine nimia mentione ieiunii, sed Ordinarii loci dent regulam « praeceptivam », pro eorum territorio.

7. Alia quaestio quae multis videtur magni momenti est utrum possint esse in Ecclesia « diaconi etiam nupti », et personae aliquae, sine intentione progrediendi ad statum sacerdotalem, possint recipere aliquos ordines minores.

Adnexa huic quaestioni venit consideratio quaenam potestas dari

possit mulieribus (praesertim monialibus) in actione catholica et etiam in cultu divino Ecclesiae.

8. Sine dubio Concilium considerabit quaestionem de Indice et de prohibitione librorum, ac revisionem tractatus de sanctionibus Ecclesiae.

Specialis quaestio mihi videtur magni pretii esse, scilicet illa de meliore modo reducendi denuo in sinum Ecclesiae sacerdotes, qui fragilitate humana ab Ecclesia defecerunt.

Multae aliae questiones, ad theologiam moralem pertinentes, certe exsurgent in Concilio, ut v. g. de moralitate circa nova media ad conceptionem praecavendam, etc.

9. Potestate Ordinariorum loci ita ampliata, ministratio aliquarum ex Sacris Congregationibus certe minuitur.

Sed intentio manet quod Roma det directionem, Ordinarii loci vero executionem exerceant secundum illas directivas.

Pars ex illis Sacris Congregationibus posset mutari in novam S. Congregationem vel athenaeum Vaticanum, in quibus essent semper specialistae omnis generis. qui darent informationes directivas in omni disciplina sacra et etiam in omni scientia profana, quae relationem habet cum religione catholica. Delecti clerici, saeculares ex omni dignitate in Ecclesia et religiosi (sed nunquam una societas religiosa sola) conficerent meliorem textum biblicum, incipiendo a Novo Testamento et Psalmis.

Opus illorum clericorum esset etiam confectio tractatuum de rebus quae ad religionem catholicam pertinent, et opera eorum possent in lucem edi in *A.A.S.* vel in alio periodico, qui gauderet simili auctoritate ac *L'Osservatore Romano.*

Tale institutum posset etiam esse officium inquisitionis ad informationem dandam Ordinariis loci.

Haberet insuper auctoritatem facere per litteras inquisitionem inter Ordinarios loci in toto mundo, inquisitionem aliquo modo similem eius quae a « Gallup » nuncupatur.

Non iudicavi mentem esse quaerere meam opinionem circa praeparationem materialem Concilii, ut v. g. locum vel modum et similia.

Si sint aliquae quaestiones quibus non responderim, precor mihi illas notas facere.

Cum omni reverentia vobis omnia fausta exoptans, me profiteor

in Domino addictissimum

✠ Ioannes Gunnarson, S. M. M.
Vicarius Apostolicus Islandiae

IUGOSLAVIA

1

Exc.mi P. D. JOSEPHI UJCIC
Archiepiscopi Belogradensis (Beograd)

Beograd, 8 martii 1960

Eminentissime Princeps,

Litteris Circularibus 18-VI-59 N. I C/59-221 Eminentia Vestra me invitavit, ut vota panderem circa res, quae in futuro Concilio tractari possent.

Longiore infirmitate detentus et senectute debilitatus non potui statim respondere, et rogo ut Eminentia Vestra me excusatum habere velit, si folium meum aliquantum sero venit.

Cum vero magnopere exoptem, quantum pro modicis viribus possum, aliquid ad praeparationem Concilii contribuere, liceat mihi saltem aliqua desideria exprimere.

I. Pars Doctrinalis

1. *Dogmatica*

a) Expediret enuntiare, quantopere *materialismus* noxius sit etiam sub respectu sociali.

b) Expediret tractare illas questiones, quarum solutio, modo irenico peracta, prodesset appropinquationi *Orientalium* ad Cathedram s. Petri.

Non sum « optimista » eo sensu, ut statim « unionem » exspectem; sed apud nos non desunt sacerdotes et praelati orthodoxi, et quidem vere boni, qui sentiant, quantopere utile esset, si omnes Ecclesiae manus iungere possent, ad defendenda principia Christiana contra modernum atheismum.

Etiam fideles orthodoxi agnoscunt merita Ecclesiae catholicae in pugna contra materialismum et atheismum.

Sane, non desunt inter sacerdotes orthodoxos, qui traditionibus saecularibus affecti, animos ab unione alienos ostenderent.

Ceterum, si fateri licet, quod sentio: Concilium, si non obtinebit statim unionem, saltem magnum passum erga eam significabit.

2. *Moralis*

1. Quamvis enuntiationibus S. P. Pii PP. XII fel. rec. quaestio de « foecundatione artificiali » satis elucidata sit, nihilominus forte adhuc expediret, ut iterum tractetur, cum articuli litterari « pro et contra » in hac re de die in diem abundent.

2. Alia quaestio vere salebrosa est de usu « Armorum *atomicorum* » (quae dicuntur).

Quae arma horribilia esse eorumque usum impediendum esse, quis negabit?

Sed si quis miles, qui iam centum annos in coemeterio Magentae iacet, *hodie* videret, qualibus globulis urbes *nunc* ex aëre obruantur, certe exclamaret: « horribile », « nos eramus milites fortiores et humaniores ».

Et tamen, talis oppugnatio ex aëre nobis hodie res solita videtur, et nemo est, qui eam « intrinsecus malam » declaret.

Supponamus: respublica *omega* infert bellum reipublicae *Omikron,* utens armis « atomicis »... quis persuadebit civibus Omikron, ipsis non esse licitum similibus armis respondere? Numquid ab eis postulare possumus, ut se omnino arbitrio hostis tradant?

Quodsi usu « armorum atomicorum » intrinsece malus esset, nec in bello defensivo eis uti liceret!

Concilium, utpote spectatissima auctoritas moralis etiam pro heterodoxis, potest omnes nationes monere, ut in bello desistant ab usu armorum « atomicorum », cum talia arma indelebiles calamitates toti generi humano causent.

II. Ius Religiosorum

Tota quaestio de *exemptione* iam in Tridentino agitata deberet novo subiici examini, ut attritus, qui saepe curae pastorali nocent, evitentur.

1. *Privilegia,* quibus singuli Ordines gloriantur, examinentur; et num hodiernis temporibus conveniant, serene pertractetur.

2. Quae recognita fuerint, in aliquo « Codice Privilegiorum » promulgentur, ita ut authentice sciri possit, quae sint vere agnita, et non tantum a quibusdam auctoribus asserta.

Adfero exempla: auctor noster Crnica O. F. M. (Kanonsko pravo katolicke Crkve I, n. 942) enumerat multa privilegia Franciscanorum, quae mihi prorsus incredibilia videntur.

Quadam occasione meus archidiaconus in aliqua ecclesia conventuali-paroeciali (O.F.M.), vidit sacerdotem publice recitare Litanias S. Antonii. Cum archidiaconus observaret, talem recitationem publicam esse

contra decreta Congr. Rituum, parochus respondit: suos Religiosos habere privilegium!

Iam vero... quis scire potest omnia privilegia, quae concessa fuerunt Religiosis, vel saltem concessa dicuntur?

Sumusne obligati ad credendum privilegiis, si nullibi codificata sunt?

Prout itaque *Leges* clare et aperte in Codice proponuntur, similiter proponantur et *Privilegia.*

3. *Praesentatio parochorum Religiosorum* ad meliores regulas revocetur.

Saepe proponitur pro administranda paroecia aliquis sacerdos, quem Episcopus minime novit; et in praxi frequenter Episcopo nihil aliud remanet, nisi illum acceptare, illo sensu, quem habet dictum italicum: o mangiar questa minestra, o saltar quella finestra.

Rarissime (ne dicam: numquam) evenit, ut Superior Religiosus prius amicabiliter consilia capiat cum Episcopo, num hic vel ille candidatus persona grata futura sit.

Hinc, saltem sequentia statui debent:

Superior Religiosus proponens candidatum pro gubernanda paroecia, significet Episcopo *curriculum vitae* candidati, qualia studia peregerit, quibus dotibus excellat, quibus defectibus laboret... secus Episcopus « rem involutam emet »: comprare la gatta nel sacco.

Item edoceri deberet Episcopus de eis Religiosis, qui qua *cooperatores* (seu vicarii) paroeciales praesentantur, et num habeant examina « triennalia ».

Religiosae. Valde, sed valde optandum est, ut eae Religiosae, quae ad maiora munera in Congregationibus vocantur saltem mediocri *cultura theologica* excellant, in primis magistra Novitiarum.

Si Religiosae possunt subire in publicis Atheneis examina pro munere magistrarum seu professorum, cur non possent aliquae excultae esse in theologicis... vita religiosa indiget scientia theologica.

Insuper omnis Congregatio, saltem in domo provinciali, deberet habere aliquem *consultorem theologicum* ab Episcopo nominatum.

Dependentia Religiosarum ab Ordinario deberet esse strictior.

Vestes earum deberent simplificari, prouti iam Pius XII fel. rec. suggessit.

III. *Disciplina cleri*

Parochi deberent esse *amovibiles.* Illa quae dicitur « inamovibilitas » non congruit nostris temporibus; Episcopus debet habere manus liberas in disponendis sacerdotibus.

Non desunt casus, in quibus per praesentationem Patroni aliquis can-

didatus, vix mediocris, evaserit parochus « installatus »; practice non potest amoveri; si initio adhuc erat rivulus, non dico « torrens », post decem annos fit stagnum.

Fideles assuefacti semper eundem parochum audire, saepius in sermonibus eadem repetentem, nauseam incipiunt sentire et a servitiis divinis abesse.

Episcopi cum 70 annos superaverint, expediret ut acciperent auxiliarem. Cum superaverunt annum septuagesimum, Episcopi ob diutinos gravesque labores plerumque physice ita confecti sunt, ut ab eis vix postulari possit, ut itinera confirmationis (saepe laboriosa) peragant.

IV. *Commissio disciplinaris*

Quaelibet Curia deberet habere Commissionem disciplinarem, cuius esset sacerdotes delinquentes via disciplinari administrativa redarguere, resp. punire.

Quae Commissio deberet habere « regolamentum » praecise exaratum.

Utique pro poenis medicinalibus in transgressionibus minoris momenti, sufficit paterna auctoritas Episcopi.

Sed haec auctoritas tantummodo tunc fructuose exercetur, cum agitur de sacerdotibus *improbulis*.

Quando vero agitur de *improbis,* praesertim si laborant superbia spirituali, res pro Episcopo valde molesta evadit.

Quae adfero pro exemplo, ipse expertus sum:

debui animadvertere in sacerdotem ob inoboedientiam vel malam administrationem bonorum, vel aliam ob causam.

Statim evulgat, se ab Episcopo iniuste exagitari, se innocentem esse.

Credunt amitae, materterae, piae mulierculae, denique devotae religiosae, quae audent Episcopo scribere, illum sacerdotem esse innocentem; concinunt quidam Religiosi, deinde amici sacerdotis murmurantes Episcopum esse tyrannum.

Et quomodo habent se res *vere?*

Ego nec volui, nec potui manifestare obloquentibus, quid sacerdos commiserit. Censebam, patris esse vulnera filiorum cooperire... sed effectus fuit, ut ego iniustus persecutor apparerem.

Talis defectus famae a privato ob rationes sublimiores tolerari potest, sed quando agitur de Episcopo, agitur de *auctoritate* Superioris ecclesiastici.

Sacerdos satis facile obloqui potest de Episcopo, cum sciat Episcopum non esse evulgaturum, quod in archivo servatur.

Ad tuendam igitur bonam famam Episcopi opus erit, ut in transgres-

sionibus maioris momenti, inquirat et agat *Commissio* plurimorum membrorum.

Quando sacerdos viderit, rem suam tractatum iri, non ab uno solo eoque patre, sed a pluribus confratribus, in sessione ex officio, diutius deliberabit, antequam se proclamet agnum insontem a lupo Episcopo exagitatum.

Secundum meam modestam opinionem, talis Commissio valde necessaria est: experto credite Ruperto... eique octogenario.

Etenim in praesentibus fama Episcopi est practice quasi proscripta, cum non possit se defendere nisi aperiendo archivum, quod non est solitum.

V. *Universalismus curiae*

Optandum est, ut ex omnibus nationibus, etiam ex gentibus coloris nigri, assumantur nonnulli sacerdotes in servitium Dicasteriorum Apostolicorum.

Exteris, quandocumque Romam veniunt, valde gratum est, si in Dicasteriis possunt colloqui cum aliquo officiali propriae linguae.

Tali modo etiam negotia facilius et expeditius terminabuntur; et omnes ad Curiam Romanam venientes sentient se esse in domo Patris communis versari.

Donec lingua latina erat practice universalis, res erat facilior; Congregatio Studiorum nuper speciatim commendavit studium linguae latinae, de qua re valde laetatus sum; utinam illae pulcherrimae directivae centesimum fructum afferant!

Cum osculo Sacrae Purpurae, permaneo

Eminentiae Vestrae devotissimus

✠ IOSEPHUS UJCIC
Archiepiscopus Belogradensis

2

EXC.MI P. D. MICHAELIS PUSIC
Episcopi Pharensis (Hvar)

Una cum Episcopo responsum dedit:

EXC.MUS P. D. COELESTINUS BEZMALINOVIC
Episcopus tit. Hadrumetinus, Auxiliaris Pharensis

Hvar, die 7 october 1959

Relate ad postulationem istius Pontificiae Commissionis de die 18 iunii 1959, N. I C/59-608 et N. I C/59-2124, honori nobis ducimus respondere quod sequitur.

Magno cum gaudio accepimus notitiam de Concilio Oecumenico convocando, ac tam nostras quam fidelium huius dioeceseos fervidas praeces fundimus pro felici exitu Concilii.

Nostrum desiderium esset, ut inter alias quaestiones etiam saequentes tractarentur:

1. Largior usus linguae vernaculae in liturgia.
2. Ut saltem Ordinarius loci, ubi invenitur domus provincialis religiosarum, maiorem super istas religiosas potestatem habeat, ad eventuales difficultates facilius tollendas.
3. Ut dies Resurrectionis D. N. I. C. fixe stabiliatur.
4. Forsan melius esset ut numerus Cardinalium adhuc augeretur atque ita maior numerus nationum haberet suum Cardinalem.

Interea cum debita veneratione profitemur dev. in Christo.

✠ MICHAËL PUSIC
Episcopus Pharensis

✠ COELESTINUS BEZMALINOVIC
Episcopus tit. Hadrumetinus

3

Exc.mi P. D. IOSEPHI SREBRNIC
Episcopi Vegliensis (Krk, Veglia)

Krk, die 24 augusti 1959

Gratias agens pro humanissima invitatione huius Rev.mae Commissionis de die 18 iunii 1959 Prot. N. 1 C/59-699 ea quae sequuntur liceat mihi breviter exponere:

Ex corde humiliter infrascriptus episcopus Ioseph Srebrnic salutat Concilium Oecumenicum, nam ipsi persuasum est, tale Concilium propter suam relationem ad orbem universum, propter suam unitatem et apostolicitatem permagnum influxum in vitam religiosam apud omnes populos exercitaturum esse.

Hunc in finem opportunum esset, ut varia themata pertractarentur, uti e. gr. doctrina contraceptionis; neglectio contactus cum Deo in rebus economicis et technicis. Maximi momenti erit relatio Concilii oecumenici ad missiones in regionibus etnicorum et ad activitatem missionariorum in singulis huiusmodi regionibus.

Si respicitur Ecclesia Catholica, munus Concilii esset, ut invitet ad unitatem cum Petro et eius successoribus dissidentes omnes, imprimis eos, qui ex antiquitate conservaverunt elementa, in quibus concordant cum Ecclesia Catholica; deinde eos etiam, qui doctrinis protestantismi imbuti omnino alieni sunt a Religione Catholica, tandem illos, qui in viis inveniuntur, quae sec. verba Christi ad perniciem ducunt.

Optimum esset, si praeparetur nova editio Codicis Iuris Canonici et per Concilium tamquam Ius Ecclesiae universae promulgaretur.

Quam plurimi desiderant, ut maior locus detur linguae populi in liturgia, etiam in Missae sacrificio.

In nova editione C.I.C. episcopis residentialibus et ordinariis in genere maiora iura tribuantur e. gr. extendendo ordinariam eorum potestatem ad praecipua pontificia indulta ipsis tempore belli mundialis elargita.

Can. 819 clarior et amplior fiat. Quem in finem in duas partes dividatur: in parte prima (§ 1) post verbum « Ritus » verba « et linguae » inserantur, quia nos in Missae sacrificio ritu Romano celebrando lingua veteroslava per saecula utimur. In parte secunda (§ 2) usus linguae vernaculae in aliquibus publicis functionibus e. g. in benedictione eucharistica et ss. processionibus expresse nominetur atque legitimus et licitus declaretur, quia talis usus ab immemorabili viget.

Ut causae contentiosae et criminales in processibus iudicialibus expeditius ac celerius ad finem perducantur, maius pondus detur procedurae orali, quae in aulis civilibus dominatur, atque sollemnitates (formalismi) minoris momenti omittantur.

Can. 900 (de reservatione peccatorum) addatur iuxta can. 882 nova linea: « 4° in articulo mortis ».

Huius Rev.mae Commissionis

✠ IOSEPH SREBRNIC
Episcopus Vegliensis

4

EXC.MI P. D. PETRI ÇULE
Episcopi Mandetriensis (Mostar)

Mostar, die 21 iulii 1959

Eminentissime Princeps,

Litteris die 18 iunii 1959 N. I C/59-881 datis a me quaesitum erat ut Pontificiae Commissioni Antipraeparatoriae pro Concilio Oecumenico argumenta aliqua, quae in futuro Concilio tractari possent, communicarem. Liceat itaque mihi votis istius Pontificae Commissionis obsecundando mentem breviter aperire.

I. Cum ultimis praesertim temporibus Beatissima Dei Genitrix Virgo Maria tot ac tanta praeclarissima signa suae benevolentiae ac curae maternae erga Ecclesiam immo et totum genus humanum ostenderit — de quo inter caetera luculenter Lourdes et Fatima testantur — foret optandum ut Concilium ex gratitudine erga augustissimam Dei Matrem doctrinam catholicam de cooperatione B. Virginis cum Christo Domino in opere Redemptionis humanae definiat clare enuntiando quasnam partes eadem Beatissima Virgo ut Socia Verbi Incarnati in nostra reconciliatione tum obiectiva tum subiectiva habuerit habeatque.

Novum festum liturgicum pro universali Ecclesia ista occasione in honorem B. M. V. instituendum apte doctrinam dogmaticam de Cooperatione B. Virginis pro nostra salute exprimeret ac confirmaret.

II. Tractatui de augustissima Christi Matre utilissime adiungi posset alius tractatus de Sponsa Christi h. e. de Sancta Ecclesia, cuius divina constitutio ad exigentias nostri temporis magis enucleanda esset.

1) Imprimis tractandum erit de institutione divina Episcopatus in Ecclesia. Hac occasione sollemniter inculcandum esset, quidquid sit

de praxi primorum saeculorum, ad Successorem B. Petri unice et exclusive ius pertinere nominandi ac instituendi novos Episcopos.

2) Dein etiam relativa autonomia Episcoporum, utique sub suprema auctoritate Pontificis Rom., qua immediatorum ac ordinariorum pastorum suarum dioecesium magis et clarius exponenda erit ita ut omnibus clare appareat iuxta doctrinam Ecclesiae Episcopos vere a Spiritu Sancto positos esse, qui Ecclesiam Dei regerent.

3) Exemptio quoque religiosorum a potestate Episcopi omnino quidem sustinenda erit, ast clarius iuxta exigentias temporis circumscribenda. Imprimis decernendum erit, num et quomodo etiam religiosi exempti obstringantur decisionibus Episcoporum quae forum externum respiciunt, uti sunt v. gr. ordinationes, ne clerici in publicum sine veste ecclesiastica prodeant, ne nomen dent associationibus ab Episcopo reprobatis, et alia similia.

4) Concilium ordinare poterit ut etiam privilegia religiosorum authentice in unum colligantur, saltem ea privilegia quae iurisdictionem episcopalem respiciunt, ut clare sciatur, quaenam privilegia adhuc plenum vigorem habeant.

Forsitan unum alternumve privilegium ob mutatas circumstantias revisioni subiciendum erit. Ita, si fas est mentem sincere aperire, proponere audeo, ut reformetur privilegium olim regularibus concessum absolvendi ab excommunicationibus Ordinario reservatis. Incoveniens et disciplinae in populo christiano servandae nocivum videtur, si in dioecesibus ubi religiosi magnam immo maiorem partem paroeciarum detineant, iuxta memoratum privilegium quilibet vicarius cooperator regularis absolvere valeat *a*) procurantes abortum, *b*) matrimonium ritu acatholico contrahentes et prolem acatholice baptizantes vel educantes, *c*) manus violentas inicientes in personas clericorum vel religiosorum. Si enim a talibus criminibus tam facile venia obtineri queat, timendum ne fideles persuasione imbuantur crimina ista non esse tam atrocia.

Tale privilegium reservandum esset tantum pro regularibus quando missionem ad populum praedicant, non concedendum vero regularibus qui stabiliter curae animarum addicti sunt.

III. Iura quoque et officia fidelium in Ecclesia pressius a Concilio definienda essent et fundamenta dogmatica Actionis Catholicae expolienda.

Dignitas quoque personae humanae vindicanda esset et iura inviolabilia familiae in educanda prole proclamanda cum condemnatione errorum « rassismi » et statolatriae.

IV. Ad rem esset si Concilium sanas regulas praeberet etiam pro « reforma agraria » instituenda quoad bona ecclesiastica apud illas nationes ubi Ecclesia adhuc magna bona immobilia possidet.

V. In dies persuasio magis invalescit populos ditiores vere obligatos esse subveniendi populis retrogradis et indigentibus. Haec obligatio multo plus urgebit si applicetur ad Ecclesiam ubi omnes fideles totius orbis terrarum unum Corpus Christi mysticum efficiunt.

Bonum itaque esset si Concilium maius auxilium inauguraret non tantum pro terris missionum et pro America Meridionali, ubi necessitates maximae sunt, sed etiam pro aliis regionibus indiscriminatim. Adsunt dioeceses numerosum clerum habentes. Sed adsunt etiam aliae, finitimae, eiusdem nationis et idiomatis, quae penuriam cleri patiuntur. Cur illae dioeceses cum numeroso clero non possent tempore Adventus vel Quadragesimae opem ferre dioecesibus suae nationis clero carentibus.

Multae dioeceses in suis thesauris pretiosissima paramenta et vasa sacra possident quae ad nihil fere aliud inserviunt nisi ut a curiosis inspiciantur, dum in multis aliis ecclesiis orbis catholici Christus Dominus in SS. Eucharistiae Sacramento paupertatem vere betlehemiticam patitur. Hac quoque in re Concilium opportunas suggestiones dare posset. Debemus esse catholici non tantum nomine sed etiam re et opere!

VI. Clerus in cura animarum haud paucis in regionibus maximam difficultatem in comparandis libris theologicis, ad ministerium paroeciale sibi absolute necessariis, experitur. Concilium optimum opus faceret si fundationem aliquam provideret quae impressionem librorum theologicorum, maxime necessariorum, pro parochis pauperioribus exiguo pretio vendendis procuraret.

VII. Occasione mortis sacerdotum saecularium facile res ingratae occurrere possunt. Cognati illorum saepe etiam apud iudicem civilem litem movent pro hereditate, quod populum christianum haud raro offendit. Optandum ut Concilium legem ferat — sacerdotes si volunt de rebus propriis disponere, faciant id inter vivos — post mortem omnia bona illorum ecclesiae cedunt.

Haec sunt quae mihi primo obtutu apta esse videntur ut in Concilio proxime futuro tractentur. Si aliqua alia adhuc mihi occurrant non moram faciam ista quoque praeclarissimae Commissioni Pontificiae pro Concilio oecumenico submittendi.

✠ PETRUS CULE
Episcopus Mandetriensis

Mostar, die 19 martii 1960

Eminentissime Princeps,

Invitatus ab Eminentia Tua litteris die 18 iunii 1959 datis Pontificiae Commissioni Antipraeparatoriae pro Concilio Oecumenico mentem aperui de rebus quae iuxta mentem meam Concilio Oecumenico subiiciendae essent in epistola scripta die 21 iulii anni 1959.

In epistola ista Concilium Oecumenicum notas mariologicam, ecclesiologicam et sociologicam prae se ferre debere dixi.

1. Notam mariologicam, in quantum nempe Mariologiam seu doctrinam dogmaticam de beatissima Dei Genitrice Virgine Maria usque ad ultimam perfectionem expolire ac perducere sataget.

2. Notam ecclesiologicam, in quantum doctrinam dogmaticam de Ecclesia in Concilio Vaticano iam adumbratam ulterius omni ex parte evolvet dilucidabitque.

3. Notam sociologicam, in quantum obligationes sociales non tantum inter singulos homines ad normam iustitiae et caritatis christianae vigentes inculcabit, sed etiam relationes sociales in ipsa societate ecclesiastica qua tali existentes deteget et definiet, et quidem non tantum inter singula membra Corporis mystici sed etiam inter communitates in Ecclesia exstantes uti sunt singulae paroeciae, dioeceses, provinciae ecclesiasticae et sic porro.

Unam tamen rem quae multum mihi cordi adiacet in ista expositione memorare omisi quamque nunc addere lubet et quae ad notam Concilii mariologicam refertur. Summopere enim conveniens esse videtur, cum in Concilio sermo de beatissima Dei Genitrice erit ut una simul mentio de eius virgineo Sponso, nempe S. Patriarcha Ioseph fiat.

Ecclesia multiplici ex capite debitrix est istius S. Patriarchae, imprimis et maxime quia S. Ioseph Divinum Redemptorem enutrivit, dein vero quia ipsam Ecclesiam qua caelestis Patronus protexit ac protegit.

Ad gratum animum ostendendum forsitan opportunum esset ut Concilium specialem cultum in honorem patris putativi Domini Nostri Iesu Christi et veri Coniugis B. V. Mariae necnon Protectoris S. Ecclesiae statueret, illum nempe quem aliqui theologi cultum protoduliae vocant.

Insuper, ut in futura liturgiae reformatione nomen S. Ioseph in Canonem Missae et quidem immediate post nomen B. V. Mariae inseratur. Decens enim omnino videtur ut in sacrosancto sacrificio quod aeterno Patri offertur illius quoque viri mentio fiat qui Patrem aeternum in terris speciali modo repraesentabat et qui sacrosanctum Corpus quod in Missa offertur enutrivit ac paterno amore fovit.

Neve dicatur in Canone Missae tantum martyres locum obtinere et

S. Ioseph martyrem non fuisse. Sanctus etenim Ioseph spiritu vere martyr exstitit simili modo ac Beatissima Virgo quam Ecclesia iure merito Reginam martyrum praedicat, quia omnibus martyribus plus pro Christo passa est. Post Beatissimam enim Virginem vix ullus sanctus inveniri poterit qui tam multa tamque gravia pro Christo Domino perpessus sit sicuti S. Ioseph, imprimis in Bethleem, dein in Aegypto, postremo in Nazareth. Nec inverosimile est illum ideo praematura morte e vivis sublatum esse quia litteraliter tot doloribus, angustiis ac laboribus circa Divinum Infantem attritus erat.

De cetero, etiam S. Ioannes, Apostolus et Evangelista, etsi morte violenta non sit mortuus, tamen locum in Canone Missae obtinet.

Summopere ergo desidero, si Sancto Patri ita placuerit, ut in Concilio Oecumenico una cum Beatissima Virgine tractatio fiat etiam de eius castissimo Sponso, S. Ioseph Patriarcha.

✠ PETRUS COLE
Episcopus Mandetriensis

5

EXC.MI P. D. SMILIANI CEKADA
Episcopi Scopiensis (Skoplje)

Scopiae, die 5 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Obsecundans nuper editis litteris circularibus Tuae Eminentiae (Prot. N. I C/59-1280) de die 18 iunii anni currentis, quibus ut praeses Pontificiae Commissionis antipraeparatoriae pro Concilio Oecumenico episcopos totius orbis catholici invitaveras, ut quam primum suggererent laudatae Commissioni res et argumenta, quae in Concilio Oecumenico, a Papa Ioanne XXIII iam indicto, tractari possent, propono aliqua — animadversiones, consilia et vota —, quae pro vita Ecclesiae eiusque progressu, attentis hodiernis condicionibus, non parvi momenti mihi esse videntur.

I. *Capita doctrinae*

Ad componendum systema authenticum totius doctrinae catholicae persolvere iuvabit materiam in Vaticano propositam, sed propter interruptionem Concilii non usque ad finem perductam. Tamen abstineatur a novis definitionibus dogmaticis, nisi hae veritates fidei, in christianitate

communiter agnitas, spectaverint: quia definitio dogmatica alicuius veritatis quoad externam evolutionem relative recentis — e. g. Mariam esse mediatricem omnium gratiarum — poterit afferre haud exiguas difficultates conatibus unionis christianitatis in Ecclesia Christi assequendae, quod — ut notum est — pertinet ad fines primarios huius Concilii Oecumenici.

II. *Disciplina cleri*

Apud clerum insistendum erit in disciplina ecclesiastica integre observanda: etiam quoad vestimenta, quia alicubi invaluit mos, ut sacerdotes extra ecclesiam vel extra claustra vestimentis omnino laicis uterentur (speciatim religiosi). — Sustentatio honesta clericorum debet praeprimis in tuto poni, in omnibus vero aliis exigatur decor clericalis necnon simplicitas evangelica. — Apud studiosos sacrae theologiae ad roborandam eorum scientiam fundamentalem et necessariam, in seminariis et Universitatibus colatur methodus scholastica et adhibeatur lingua latina, studiosi autem theologiae instituantur imprimis in dogmate et re morali, praemisso solido cursu philosophiae scholasticae. Hodie studiosi theologiae in praelectionibus nimis occupantur materiis secundariis — philologia, artibus, ascetica, historia comparativa religionis et ceteris huiusmodi —, ita ut iam non datur tempus necessarium pro praelectionibus et opere in re dogmatica et morali. A clara scientia utriusque materiae multum pendet etiam formatio ascetica cleri.

III. *Disciplina populi christiani*

Ad minuendum numerum apostatarum necnon ad debellandum indifferentismum inter ipsos catholicos baptizatos praescripta can. 751, resp. can. 750 § 2, extendantur etiam ad catholicos baptizatos indifferentes, qui etiamsi in Ecclesia catholica baptizati officia sua religiosa omnino neglegunt: communionem paschalem, missae sacrificium diebus dominicis et festivis, educationem religiosam prolis, ecclesiasticam formam matrimonii, confessionem publicam religionis catholicae, relationes cum sacerdotibus et Hierarchia. Cf. Directorium Episcopatus Galliae.

IV. *Magna problemata temporis hodierni*

Oportet indicare vias atque decernere normas, quae sequendae sunt relate ad maxima problemata mundi hodierni: unionem Ecclesiarum christianarum, Communismum, Indifferentismum etc.

V. *Episcopatus eiusque auctoritas*

Maximi momenti erit in Concilio Oecumenico accuratius definire et ordinare materiam de Episcopis eorumque partibus in Ecclesia Christi. Non solum in campo mere doctrinali, sed etiam in campo practico. In Ecclesia catholica ab omnibus agnoscitur divina institutio Episcopatus eiusque positio hierarchica. Sed cum pervenitur ad applicationem potestatis hierarchicae episcoporum, tunc oriuntur plurimae difficultates, speciatim ex capite exemptionis regularium, religiosorum vel monachorum cuiuscumque generis. Hoc est communis querela omnium episcoporum, etiam talium ,qui quod eorum personam attinet nullas exigentias honoris vel praestigiarum habent.

Multa sunt, quae in hac re desiderari possunt. Episcopi considerantur ut repraesentantes Ecclesiam, qui ad pompam augendam vel ad sollemnitates decorandas indispensabiles sunt, sed cum de exercitio eorum potestatis agitur, tunc res aliter se habet. Ita saepe evenit, ut sorores religiosae per viam facti, etiam in locis Sacrae Congregationi de Propaganda Fide subiectis, erigant domus religiosas sive formatas sive non formatas, nullam curam habentes neque de beneplacito Sedis Apostolicae neque de Ordinarii loci consensu in scriptis dato (can. 497).

Accidit interdum, ut novae ecclesiae paroeciales, si paroecia religiosis sit concredita, ab eorum Superiore Religioso, non praemonito Ordinario loci, benedicantur. Quod occasionem praebet huic praxi, est minime praecisa distinctio inter Ordinarium loci et Ordinarium in genere, cum ambo nomina saepissime in Codice Iuris Canonici usurpentur.

Porro can. 1356, qui tributo pro seminario obnoxiam declarat — quavis appellatione remota et abrogato quolibet privilegio — quamlibet religiosam domum, etiam exemptam, nisi solis eleemosynis vivat..., nobis fere ridiculus videtur, cum nemo episcoporum audeat hoc suum ius urgere contra superpotentia instituta religiosa. Curia Episcopalis non raro indiget mediis necessariis ad sustentanda seminaria et sobolem sacerdotalem educandam, consumitur in egestate, si non vult mendicari vel petere subventionem a Sancta Sede, et fontes sustentationis, canonice agniti, practice inaccessibiles sunt potestati Episcoporum. Propter bonum pacis plerique Episcopi communiter neque conantur hanc rem ordinare ad normam iuris canonici.

Ita fit, ut clerus saecularis numero decrescat, dum clerus regularis, pro cuius sobole formanda haud exiguae facultates consumuntur, in dies crescat et numerosior fiat. Ideo episcopi locorum practice incapaces sunt, ut omnes paroecias provideant sacerdotibus e clero saeculari, provisio autem paroeciarum clero regulari multis difficultatibus obnoxia est, qua-

rum principalis est duplex iurisdictio, cui clerici religiosi in cura animarum positi subiciuntur, de facto autem neque uni neque alteri perfecte subsunt. Si in hac re meam sententiam aperire mihi liceat, haec dicam:

Vel *omnia media movenda sunt, ut clerus saecularis numero augeatur non deficiente eius praestantia doctrinali et morali, vel systema administrativum Ecclesiae mutandum erit, ita ut principales partes in regimine dioecesium et in provisione paroeciarum religiosis tradantur.*

VI. *Systema beneficiale*

Systema beneficiale, quale hodie iuridice viget in Ecclesia, obsoletum est. Ipsum originem ducit ex structura societatis feudalisticae medii aevi, constat autem ex individuis subiectis vel organismis oeconomicis, qui omnimoda autonomia gaudent. E. g. beneficium alicuius paroeciae vel ecclesiae est individuum subiectum, cuius fructus adhiberi possunt tantum in utilitatem respectivae paroeciae vel ecclesiae.

Hoc systema ex duplici capite temporibus hodiernis inopportunum videtur.

Pro primo: sunt regiones, immo etiam respublicae, ubi beneficia ecclesiastica consequenter ad radicales mutationes, quae introductae sunt in vitam socialem nationis, fere non existunt vel, si existant, omnino disproportionata sunt suo fini obtinendo. In his regionibus Ecclesia eiusque personae multo plus vivunt de eleemosyna fidelium quam de fructibus beneficiorum.

Ex *altera parte*: ubi traditionale systema beneficiale adhuc incolume mansit, hoc systema evidenter subiectum est defectibus, qui in damnum aequitatis naturalis vergunt necnon ordinariam functionem organorum Ecclesiae difficilem vel etiam inefficacem reddunt.

Quales mutationes in hac materia introducendae sint, neque mihi ipsi omnino clarum est. Non pauci episcopi diversa conati sunt: eorum experientia minime spernenda est. Inter episcopos Jugoslaviae maximum successum hac in re habuit episcopus Ladislaus Budanovic de Subotica, qui ante duos annos decessit de vita. Illi bene successit adaequare reditus sacerdotum secundum normam honestae sustentationis, quae autem superflua inveniebat, adhibere ad sublevandam inopiam minus habentium vel ad instituta ecclesiastica promovenda.

Forsan et ego aliqua concreta in hac materia proponam. Modo vellem tantum hoc inculcare:

Functio beneficiorum ecclesiasticorum sit minus individua, magis autem socialis eorumque fructus serviant toti communitati (Dioecesi) secundum necessitates probatas, de quibus iudicabit Ordinarius loci vel superior communitatis (collegii, capituli vel sim.).

Hoc est principium tantum, cuius concreta applicatio non facile semper invenietur. In omni casu Ordinariis locorum liceat, consulta Sede Apostolica, facere tentamina, quae sibi opportuna videbuntur ad inveniendas novas formas vitae oeconomicae in Ecclesia paulatim stabiliendas. Per se patet, omnia haec tentamina sobrie esse facienda cum unico fine: ut promoveatur vita religiosa et Ecclesia quam optime respondeat suae missioni inter homines.

VII. *Ad marginem rerum*

Hoc tuta conscientia audeo dicere:

Abrogatio vel reductio titulorum, cum quibus nullum verum vel actuale officium in Ecclesia sit coniunctum, quique tituli Ecclesiam hodiernis temporibus democraticis et practicis risui exponunt simulque nimis extollunt eius elementum humanum, certo certius nullum damnum inferret Ecclesiae Christi.

Scripsi, quae opportuna vel necessaria mihi videbantur. In omnibus semper Sanctae Ecclesiae eiusque supremae auctoritati promptus oboedire maneo Eminentiae Tuae devotissimus servus

✠ SMILIANUS CEKADA
Episcopus Scopiensis

6

EXC.MI P. D. MATTHAEI GARKOVIC

Episcopi tit. Adraseni, Administratoris Ap. Jadrensis (Zadar)

Una cum Episcopo responsum dedit:

EXC.MUS P. D. MARIANUS OBLAK

Episcopus tit. Flaviensis, Auxiliaris Jadrensis

Zadar, die 15 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Ad mentem Rescripti Istius Commissionis antepraeparatoriae pro futuro Concilio oecumenico humiliter sequentia obiecta tractanda proponimus:

1. Ut Pascha certa die quotannis celebretur.
2. Ut Ordinarii locorum quoad opus pastorale maiorem ingerentiam in religiosos habeant.

Item maiorem potestatem quoad religiosas ad eventuales abusus statim eliminandos et ad officia pastoralia secundi ordinis implenda.

3. Ut Ordinarii locorum maiores facultates, propter difficile commercium cum S. Sede, habeant.

4. Ut lingua vulgaris in partibus Missae ordinariis et variabilibus a populo recitandis vel canendis adhibeatur.

In osculo Sacrae Purpurae devotissimi:

✠ Matthaeus Gargovic
Episcopus tit. Adrasenus, Administrator Ap. Jadrensis

✠ Marianus Oblak
Episcopus tit. Flaviensis

7

Exc.mi P. D. FRANCISCI FRANIC

Episcopi tit. Agathopolitani
Administratoris Ap. Spalatensis et Macarscensis (Split i Makarska)

Split, die 9 septembris 1959

Honori mihi est ad Litteras Vestras, d. 18 iunii h. a. sub N. 1 C/59-2126, mihi transmissas, quas Litteras accepi hodie, postquam reversus sum ex bimensili itinere apostolico per paroecias huius dioeceseos, meae curae concreditae, respondere.

Humiliter sincereque aperio mentem meam de re a me quaesita et sequentia puncta discutienda in concilio oecumenico proponere audeo.

1. Edere encyclicam de B. Maria Virgine, in qua titulus Corredemptricis, si possibile est etiam in sensu strictiori, B. Virgini tribuatur.

2. Definitionem dogmaticam facere, contra errores quorumdam modernorum, potestatem episcopalem esse a iure divino, non solum ecclesiastico, et episcopos esse iure divino supra sacerdotes.

3. Melius potestatem et ordinem episcopalem explicare et ita auctoritatem episcoporum confirmare. Exemptionem religiosorum relate ad episcopos expresse restringere ad solas *personas* et potestatem episcoporum in cura animarum relate ad religiosos fortius confirmare.

4. Restituere aliquo modo potestatem primatialem in unoquoque Statu, sed ita, ut istam potestatem Concilium episcoporum, forsam metropolitanorum, vel episcoporum ad hoc a S. Sede nominatorum, exerceat. Ita maior concordia et unanimitas in regendis dioecesibus in terri-

torio uniuscuiusque Status fieret. Propono, ut ista « potestas primatialis » possit sacerdotes ex una dioecesi ad aliam transferre ita, ut sic dicta « autarchia episcopalis » minuatur et incardinatio sacerdotum in unam dioecesim fiat minus rigida.

5. Ut Conferentiae episcopales in unoquoque Statu possint leges ferre, quibus legibus et episcopi in propriis dioecesibus et « Potestas primatialis » obtemperare deberent.

6. Ut facilius parrochi inamovibiles, canonici et episcopi secundum necessitates transferri possint.

7. Numerum Patrum Cardinalium augere usque ad numerum 100 ita, ut omnes nationes, aequali modo, in Sacro Collegio, per suos Cardinales, partem habeant.

8. Ut omnes Patres Cardinales quotannis congregentur in concilium ad problemata Universalis Ecclesiae discutienda.

9. Ut instituatur « Consilium laicorum » electorum ex toto mundo, quod Consilium congregari possit alternis vel saltem quaternis annis ad problemata Actionis catholicae laicorum discutienda.

10. Ut Concilium oecumenicum episcoporum decennis annis congregetur.

11. Ut ritus missae reformetur ita, ut laici magis in missa participent.

12. Ut tota missa celebrari, omnia sacramenta administrari omnesque consecrationes ac benedictiones distribui in linguis vernaculis uniuscuiusque nationis possint.

13. Concelebrationem concedere et erectionem unius altaris in una ecclesia fovere.

14. Reformationem Breviarii ad finem perducere, praesertim cum Matutino meditationem, cum Vesperis lectionem spiritualem, cum Completorio examen conscientiae connectere.

15. Simplificationem libri Pontificalis facere: *a*) indumenta episcopalia: callotam (« Soli Dei »), tunicellas et cappam magnam abolere; *b*) genuflexiones, etiam in S. Liturgia, coram episcopo prohibere; *c*) ritum consecrandi ecclesias et altaria breviorem facere.

16. Omnes titulos honorificos in Ecclesia auferre, praeter titulum *frater* (e. g. frater sacerdos, frater episcopus, frater professor, frater doctor ect.) et titulum *Pater* seu *Papa,* qui tantummodo pro Vicario Christi in terra remaneat.

17. Sacerdotibus dioecesanis seu saecularibus statum perfectionis agnoscere, quia de facto vivunt in virginitate, paupertate (saepe saepius in maiori paupertate quam religiosi) et oboedientia. Propono, ut promissio celibatus in subdiaconatu et promissio oboedientiae in presbyteratu votis virginitatis et oboedientiae expresse coaequentur. Quoad pauperta-

tem propono, ut in ritu diaconatus addetur promissio paupertatis canonicae, quae promissio expresse coaequari deberet cum voto paupertatis. Forma vero huius paupertatis canonicae bene definiri deberet in novo *Codice I. C.* Vi huius novae promissionis omnes sacerdotes deberent rationem reddere episcopo semel in anno de administrandis bonis ecclesiasticis et privatis; episcopi vero talem rationem reddere Summo Pontifici deberent.

Interim religiosissimos sensus observantiae meae profiteor, quibus permaneo

✠ FRANCISCUS FRANIC
Episcopus tit. Agathopolitanus
Adm. Ap. Spalatensis et Macarscensis

8

EXC.MI P. D. CYRILLI BANIC

Episcopi tit. Coronensis, Administratoris Ap. Sebenicensis (Sebenik)

Sebenici, die 13 augusti 1959

Eminentissime Domine, Reverendissime Princeps,

Ad litteras Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico de die 18 iunii 1959 Prot. N. I C/59-2680 humiliter nostram mentem aperimus:

1. Sancta Sedes ob varias rationes concedit Episcopis amplas facultates extraordinarias, speciales immo specialissimas, at putamus magis expedire magnam partem harum facultatum transferre in ordinariam potestatem Episcopi, cum iam videatur potestas episcopi satis esse coarctata.

2. Dimidiam partem paroeciarum nostrae dioecesis administrant religiosi qui gaudent exemptione a potestate Episcopi. Eorum superiores saepe suae potestatis faciunt etiam curam animarum, et subditi eorum magis eis obtemperant, quam episcopo, qui positus est regere Ecclesiam Dei. Unde oriuntur difficultates, lites, scandala.

Etiam religiosae amplam a potestate episcopi exemptionem habent unde disciplina earum saepe relaxatur ac pietas friget cum sibi ipsis sint traditae.

Inde putamus exemptionem religiosorum ac religiosarum coarctandam esse.

3. Nos Croatae gratissimi sumus erga Sanctam Sedem, cum ab Ea iam anno 1640 nobis sit concessum privilegium et licentia uti Rituali

Romano in lingua nostra vulgari, at nunc a Concilio Oecumenico confidenter expectamus eandem licentiam uti Missali Romano in eadem lingua, prouti et aliae nationes idem desiderant, ut omnis lingua laudet Dominum, iuxta celebre dictum Papae Innocentii IV Philippo episcopo Segnensi « quod sermo rei, et non res est sermoni subiecta ».

Eminentiae Vestrae Rev.mae addictissimus

✠ CYRILLUS BANIC
Episcopus tit. Coronensis
Adm. Ap. Sebenicensis

9

EXC.MI P. D. JOSEPHI LACH

Episcopi tit. Dodonaei, Auxiliaris Zagabriensis (Zagreb)

Zagabriae, die 12 martii 1960

Pontificiae Commissionis antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico invitatione honoratissima, die 18 iunii anno 1959. Prot. N. I b/59-2672 data, benignissime hortatus honori duco, quod mihi nonnulla hisce proponere licet, de quibus in Concilio Oecumenico, inquantum haec utilia videbuntur, tractetur.

1. Problemata, quae schola hodierna secumfert tum quoad ea, quae scientiam necessario acquirendam attinent, tum in iis, quae methodum erudiendi itemque animos iuventutis educandos spectant, exigunt, ut in singulis civitatibus vel regionibus ecclesiasticis secretariatus perpetuus scholarum (ad studia promovenda) erigatur. Cui secretariato collegium, quod episcopis tribus ad quinque constet, praesit.

Cuius secretariatus sit ea, quae in scholis religiosis necessario reformanda et immutanda videbuntur, proponere, ut hae scholae tum in doctrina tum in educatione gradum necessitatibus aetatis hodiernae parem attingere possint.

Cura specialis adhibenda est de illis scholis religiosis, quas vulgo medias dicunt, seu de seminariis alumnorum minoribus, ut discipuli earum omni eruditione necessaria instruantur, qua animi alumnorum imbuti non solum ad ulterius studiis in scholis theologicis superioribus seu in facultatibus incumbendum habiles evadant, verum etiam in ceteris disciplinis, quae maioris momenti sunt, quae vero hominem hodiernum capiunt, scientiam necessariam acquirant.

Ut autem secretariatus scholarum ad studia promovenda officio suo satisfacere valeat, constare debet hominibus in singulis disciplinis bene eruditis, qui constanter prae oculis habeant omnes scholarum immutationes tam intra civitatis propriae fines, quam extra eos, et de his omnibus referant oportet melioraque proponant.

Quae omnia collegium episcoporum, quod secretariatui praesit, probe consultet et deinde suas sententias definitas episcopis ad consultationes congregatis ad approbationem ferat.

Decreta in coetu episcoporum tum totius alicuius civitatis tum provinciae ecclesiasticae separatim sumptae ita approbata obligare debent omnes episcopos talis territorii (vel civitatis sive regionis cuiusdam ecclesiasticae).

2. Exhortationis p. m. Pii Papae XII ad clerum habitae, quae ab illis verbis *Menti Nostrae* initium sumit, consilia secutus puto condicionem sacerdotum materialem toto orbe terrarum in praesenti postulare, ut episcopi obligentur, ut sacerdotum suorum pro casu morbi, senectutis, invaliditatis (impotentiae) et infirmitatis sociali cautioni, quam assecurationem dicunt, provideant.

Quae cautio explenda atque exsequenda est, aut, ubi hoc possibile, per cautionem civitatis socialem, aut, si id fieri non potest, propria sacerdotum cautione sociali.

Cautio socialis debet auxilio iuvare unumquemque sacerdotem, imprimis, si curetur in nosocomiis, dein etiam in curatione eius domestica. Quod auxilium potest ferri interminate, nullis terminis positis, i. e. quamdiu morbo quis opprimitur, aut potest esse ad certum temporis spatium restrictum. Hoc tempus determinatum tanti tamen spatii debet esse, ut ex certo morbo curatione ordinaria convalesci possit. Ex. gr. spatium trium ad sex menses per annum.

Pro casu invaliditatis vel senectutis singulis sacerdotibus tanto auxilio caveri oportet, ut summe necessaria ad sustentandum habeant.

Omnino impotentes sacerdotes, ut sunt caeci vel apoplexia laborantes, locandi sunt in domibus ad sacerdotes infirmos sublevandos.

Talis domus debet esse instructa omni necessaria suppellectili et armamentis ac instrumentis medicinalibus, quae status omnimodae infirmitatis exquirit.

Domus utatur, oportet, infirmariis et officialibus specialiter eruditis ita, ut sacerdotes infirmi omni necessaria cura fruantur.

Facilior sustentatio exigit, ut huiusmodi domus sint interdioecesanae. Nam omnino impotentes sacerdotes in singulis dioecesibus ordinarie multi non sunt.

Ad cautionem socialem conferre debent:

1) Ipsi sacerdotes; 2) paroecia pro suo sacerdote ita, ut ad hunc scopum segregetur pars eleemosynae datae; 3) pars eleemosynarum, quae in locis sacris alicuius nationis, a peregrinantibus multo frequentatis, colliguntur; immo pars eleemosynarum e locis sacris internationalibus, si talia in aliqua civitate existant.

Dioeceses, quae paucos tantum sacerdotes numerant, ob socialem sacerdotum cautionem associari debent, ut saltem quingenti (500) sacerdotes in singulis cautionibus simul sint.

Admodum Reverendae Pontificiae Commissioni in Christo addictissimus

✠ IOSEPHUS LACH
Episcopus tit. Dodonaeus

* * *

Zagrabiae, 11 aprilis 1960

A Reverendissimo Domino Dr. Georgio Gracanin, theologiae fundamentalis professore in facultate theologica Zagrabiensi rogatus, ut ad Pontificiam Commissionem sententias eius in Concilio Oecumenico, si ita placebit, tractandas mitterem, honorarium duco, quod hoc facere possum.

Materia ex theologia fundamentali:

Ultimis temporibus doctrina traditionalis de credibilitate religionis christiano-catholicae diversimode impugnatur ex parte aliquorum catholicorum qui docent sequentia:

1. Miracula Iesu Christi in Synopticis narrata sunt « amplificationes », « creationes oratoriae » (gallice: des « enjolivures »).

2. Idem est dicendum de miraculis de quibus est sermo in V. Testamento.

3. Duo prima capita evangelii s. Lucae sunt narrationes legendariae vel, ut dicunt, « midrash ».

4. Scriptor biblicus potuit docere falsa etiam in rebus fidei et morum dummodo non haberet intentionem docendi.

Admodum Reverendae Pontificiae Commissioni in Christo addictissimus

✠ IOSEPHUS LACH
Episcopus tit. Dodonaeus

10

Exc.mi P. D. FRANCISCI SEPER

Archiepiscopi tit. Philippopolitani in Thracia, Coadiutoris Zagrabiensis (Zagreb)

Zagabriae, die 23 octobris 1959

Obtemperando quaesitis in aestimatissimis litteris huius Pont. Commissionis die 18 iunii a. c. sub N. I C/59-2573 datis (quae die 6 augusti huc pervenerunt), reverenter exhibeo quasdam suggestiones circa argumenta in futuro Concilio oecumenico tractanda.

Primo quidem: sicuti in Conciliis oecumenicis hucusque habitis errores verae fidei adversantes tunc temporis grassantes damnati sunt, ita et futurum Concilium damnare deberet errorem perniciosissimum praesentis temporis qui ultimum fundamentum fidei evertere intendit, materialismum nempe atheum. Eminentissimus Cardinalis noster, qui suam mentem scripto patefacere non valet, mihi imposuit ut hoc suo quoque nomine proponerem.

In re morali et sociali:

1) materialismus practicus qui, bonis spiritualibus posthabitis, tantum de prosperitate materiali et technica, sive individuali sive collectiva, sollicitus est, quique ex adverso doctrinis evangelicis opponitur;

2) clara principia theoretica et normae practicae quoad onanismum coniugalem cuius praxis per totum mundum late diffunditur, imo ab aliis confessionibus christianis nedum licita, sed et principiis evangelicis minime opposita declaratur;

3) de bello, praesertim modernis armis technicis ducendo, uti medio illicito et inepto ad quaestiones inter nationes solvendas;

4) de iustitia sociali, ut magis magisque clarescat Ecclesiam catholicam de classibus « inferioribus » sollicitam esse.

Quoad disciplinam et ius canonicum:

1) capitula canonicorum praesentis temporis condicionibus — cum beneficia sensu antiquo in pluribus nationibus desint — accommodanda sunt et simili modo ac plura capitula recens in regionibus Americae constituta ordinanda;

2) lex abstinentiae et ieiunii minime abolenda, sed simplificanda, eo fere modo quo ex decretis S. Sedis post ultimum bellum datis dispensari permittitur. Notandum apud magnam partem fidelium verum conceptum ieiunii desiderari vel cum abstinentia confundi, ita ut in multis

regionibus ieiunium proprie dictum intra saepta domorum religiosarum relegatum sit;

3) exemptio et privilegia religiosorum nostris temporibus restringi deberent. Auctoritas Episcoporum, qui sunt successores Apostolorum quosque Spiritus Sanctus posuit ad regendam Ecclesiam Dei, quoad religiosos in praxi fere ad nihilum reducitur. Quot sunt Episcopi qui sacerdotibus dioecesanis carent et a religiosis multas vocationes habentibus difficile aliquod adiutorium in ordinaria cura pastorali obtinent. Dum Codex de potestate Episcoporum dispensandi sacerdotes saeculares a Breviario recitando (vel commutandi in alias preces) omnino silet, guardianus v. g. franciscanus bene novit se habere potestatem dispensandi fratres sibi subditos vel commutandi obligationem Breviarii in recitationem paucissimarum precum. Cur soli religiosi, qui quoad orationem plus praestare deberent ac sacerdotes saeculares, privilegium habere debeant recitandi Breviarium « mentaliter », ut quidam affirmant? Cur iuvenis sacerdos regularis, eo praecise quod sit regularis, maiorem deberet habere potestatem absolvendi et dispensandi, quam sacerdos dioecesanus provectae aetatis et in cura animarum magis expertus? Plures similes casus enumerari possent;

4) praescripta iuris de censuris et de absolutione a censuris nimis complicata sunt ideoque simplificanda. Pauci confessarii haec praescripta memoria tenere capaces sunt;

5) officium divinum a clericis in maioribus ordinibus constitutis ad normam can. 135 iuxta *proprios* libros liturgicos recitandum est. Praesenti tempore saepius accidit ut sacerdotes, sive dum exercitiis spiritualibus vacant sive ob spiritum liturgicum fovendum, cum religosis vel monachis aliis libris liturgicis utentibus divinis officiis in choro assistunt. Nonne et hic deberet valere principium: officium pro officio? Cur deberet sacerdos qui cum monachis per longas horas officium divinum iuxta Breviarium monasticum decantabat, easdem horas iuxta Breviarium Romanum iterare?

Dum supra allatas suggestiones reverenter praesento, ea qua par est observantia me profiteor

✠ FRANCISCUS SEPER
Archiepiscopus tit. Philippopolitanus
Coadiutor Zagrabiensis

LETTONIA

1

EXC.MI P. D. ANTONII URBSS

Episcopi Liepaiensis (Liepaja)

Montserrat, 23 ianuarii 1960

Eminentissime Princeps,

Obtento scripto Eminentiae Vestrae Reverendissimae de die 4 ianuarii 1960, quo mihi tribuitur facultas exponere, quae in futuro Concilio Oecumenico utile tractari poterunt, audeo suggerere, ut canon 336 § 2 *Codicis Iuris Canonici* certo supplemento augeatur.

Status quaestionis

Recta ratio postulat, ut praedicatio Verbi Dei lingua auditoribus nota et quantum possibile acceptabili et grata fiat. Adversa praxis ad maximos abusus, immo, absurditates referenda est. Attamen, proh dolor, in certis maioribus aut minoribus territoriis ecclesiasticis apud personas, quae ibi sive iurisdictionem, sive administrationem exercent, deprehenduntur interdum sub hoc respectu nocivae tendentiae.

Aliqui pastores, etiam in sublimioribus Sacrae Hierarchiae gradibus constituti, conantur limitare aut totaliter excludere in instructione populi usum certarum linguarum, dialectorum atque idiomatum propriorum plebis, idque faciunt ob crassum nationalismum, malesanam politicam aut, simpliciter, ut potentibus huius mundi placeant.

Et quid in tali casu accidit? Praedicatum Verbum Dei totaliter aut ex parte sua efficacia caret. Sequitur insuper abalienatio fidelium a ministris sacris, oriuntur inter pastores et oves dissidiae, dissensiones atque odia, inter ipsam plebem scissiones. Maior omnium calamitatum est diminutio pietatis et religionis apud credentes. Ex huiusmodi abusibus a patribus spiritualibus admissis quaedam sectae suum originem sumpsisse probatum est.

Si hoc maximum malum non evenit, alia mala succedunt. Ecclesia, mater omnium nationum et tribuum, propter malam intentionem ab insipidis pastoribus deductam in praxim, qua iura propria fidelium quoque modo in hac materia violant, in opinione et aestimatione plebis multum damnum patitur.

Desideratum supplementum

Audeo suggerere, ut canoni 336 § 2 post voces: « fidelibus praecipue pueris ac rudibus » texto inserantur verba: « Illorum proprio idiomate, prout ipsa natura rei aut circumstantiae exigunt ». Qua interpolatione admissa respectivus mentionatae paragraphi locus sonabit: « ut fidelibus, praecipue pueris ac rudibus, *illorum proprio idiomate, prout ipsa natura rei et circumstantiae exigunt,* pabulum doctrinae christianae praebeatur ».

Explicatio terminorum

Adhibeo verbum « idioma », quo omne genus verbi oris in oppositione ad « linguam », sub qua voce generatim intelligitur sermo perfectus, cultus, qui ordinarie magnam diffusionem territorialem et in scriptis habet quique est legibus protectus et pro officiali in certis statibus declaratus.

Si adhibemus verbum « idioma », intelligimus non solum linguam, sed etiam dialectum, dictionem, expressionem, simplicem humilem sermonem, remissioris interdum apud certos aestimationis, analogumve cum alio existente, quocum conventionem certam et relationem habet.

Prout ipsa natura rei exigit... Natura rei exigit, ne praedicatio et instructio sua efficacia careant. Sed hoc accidit, si praedicator Verbi Dei ignarus linguae populi aut hanc spernens alloquitur eum ignota aut difficiliter intellectu lingua.

Aut circumstantiae exigunt... Tales circumstantiae existunt verbi gratia, si plebs suo modo loquendi intime adhaeret, sive timet, ne pastores animarum, alienam linguam in praedicatione adhibentes, denationalisationem promoveant.

Necessitas supplendi praedictum canonem

In parte quarta *C.I.C.,* in qua tractatur de Magisterio Ecclesiastico saluberrime continentur leges de religiosa populi, puerorum et iuventutis institutione. Ibi episcopi, parochi et religiosi praecipiuntur et exhortantur, ut doctrinam revelatam exponant, Verbum Dei praedicent, de catechetica instructione populi curent et doctrinam christianam populo debita arte et modo tradant, et quidem:

... ut magistri *fideliter* doctrinam exponant... Munus praedicationis *salubriter* exsequantur... *Peculiari omnino* studio ad Sacramenta praeparent... *Uberius ac perfectius* catechismo pueros excolant... *Sermone ad captum accommodato* utantur et sic porro (cann. 1322-1336). Non tamen occurrit explicita mentio linguae propriae populi.

— An vox « sermo » hic adhibitus exprimat ideam linguae auditorum?

— Videbimus.

In expressione « sermone ad captum accommodato » (can. 1332) verbum « sermo », ut patet ex contextu, primarie significat locutionem aetati, sexui, conditioni intellectuali et sociali adaptatam — explanationem claram, perspicacem, regularem adhibitam. Solum *implicite* significat locutionem quotidianam, currentem ordinariam hominum — idioma nativum, linguam nationalem propriam populi.

Nemo dubitat quin pastoribus consciis suae obligationis et, simpliciter, mentem ab extravagantibus ideis liberam habentibus, specialis lex de lingua in evangelizatione populi adhibenda minime sit necessaria. Sed abusus, de quibus mentio fuit supra, hinc illinc sat frequenter occurrentes, exigunt, ut explicita lex de lingua in praedicatione et institutione religiosa adhibenda claris verbis in *Codicem Iuris Canonici* inseratur.

Puto omnino sufficientem existere rationem, ut canon 336 in § 2 verbis, a me infrascripto suggestis, suppleatur.

Dum haec scribo Sacram Purpuram deosculans Eminentiae Tuae Reverendissimae addictissimus in Christo maneo

✠ ANTONIUS URBSS
Episcopus Liepaiensis
Solio Pontificio Adstans

LUXEMBURGUM

1

EXC.MI P. D. LEONIS LOMMEL
Episcopi Luxemburgensis (Luxembourg)

Luxemburgi, hac die 30 septembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Princeps,

Grato corde Episcopus, Clerus, Populusque Luxemburgensis nuntium acceperunt, Summo Pontifici gloriose regnanti in mente esse, concilium oecumenicum coadunare, quo vita interior Ecclesiae novum vigorem splendidioremque gloriam hauriat ita ut sive fratres separati sive ipsimet infideles facilius Matri amantissimae quae est Ecclesia Catholica, obvenirent.

Ad hoc concilium praeparandum Summus Pontifex Eminentiam Tuam Reverendissimam vocavit quae ideo litteris mihi ultimis diebus mensis iulii a. c. datis, me sicut et ceteros episcopos rogavit, ut voluntati Suae Sanctitatis obsequens, Tibi communicarem animadversiones, consilia, vota circa res et argumenta quae mihi in futuro Concilio tractanda videbantur.

Consilio cum quibusdam viris ecclesiasticis peritis collato, in foliis adnexis optata mea notavi et omni cum modestia Eminentiae Tuae Reverendissimae diiudicanda subiicio.

Felici hac occasione nactus, Eminentiae Tuae Reverendissimae me in Christo Domino

addictissimum profiteor
✠ LEONEM LOMMEL
Episcopum Luxemburgensem

I. *De Ecclesia*

1. Constitutio dogmatica de *Fide,* in Concilio Vaticano elaborata, perficienda esset expositione doctrinae de *Spe,* praesertim in bona supernaturalia (contra errores naturalismi et materialismi doctrinalis et practici, magis magisque omnes campos humanae societatis pervadentes); sicut inculcanda esset doctrina de *Caritate,* quae pro Christi discipulis deberet esse « vinculum perfectionis », unitatis, pacis sive in vita familiali, sive sociali, sive internationali (contra falsitates nationalismi, raci-

smi, communismi), ita ut revera Ecclesia fiat « signum levatum in nationes » constantia fidei, puritate dilectionis ac sinceritate pacis atque hoc modo et fratres separatos et eos qui extra sunt portam Ecclesiae sibi congreget.

2. Itemque constitutioni dogmaticae primae de Ecclesia scilicet de primatu Romani Pontificis adiungendum esset caput quo explicetur *Ecclesia* quatenus est:

novus populus Dei, sub Christi Regis suavi potestate coadunatus;

corpus Christi mysticum semper cum Christo in passione, sicuti semper cum Ipso est et magis adhuc erit in gloria (cf. *Rom.* 8, 17);

typice praefigurata in Beata Maria Virgine, Dei Genitrice, « quae evidenter est Sancta Ecclesia » (Cyrillus Alexandr., hom. 4 in *Conc. Eph., P.G.* 77/996 *C*).

II. *De homine*

3. Sub luce rationis naturalis, corroboratae revelatione divina, proclamantur veritates de origine et de natura personali ac sociali hominis, de eius dignitate ac libertate, quae maiorem in christiano accipiant nobilitatem.

Enuntiantur iura obligationesque quae inde defluunt quoad sanam vitam in familia christiana et in societate sive ecclesiastica sive civili, nationali et internationali, ducendam.

III. *De regimine et disciplina*

4. Ecclesia clarius definiatur ut societas electa et vere catholica, sensu pleno verbi ad intra et extra, ita ut omne quod est bonum omni libertate recipiat nec alia ex parte ulli formae s. d. civilizationis sive nationalis sive socialis intrinsece cohaerens appareat, sed eluceat in nationibus tamquam societas supernationalis et independens, clericis et laicis constans (cf. *C.I.C.,* can. 107), ex toto orbe terrarum omnes fidei, spei et caritatis vinculo in unum congregans usque dum « omnia et in omnibus Christus » (*Col.* 3, 11).

5. *Episcoporum* itaque status iuridicus clarius statuatur et eorum potestas tum ordinis tum iurisdictionis firmius « innuatur, roboretur et vindicetur » (Concil. Vatic., *De Ecclesia,* cap. 3).

Quare: aliquae saltem facultates ex s. d. quinquennalibus in potestatem ordinariam Episcoporum recipiantur;

amplificetur potestas Episcoporum visitandi et dirigendi Congregationes religiosas praesertim laicales et hoc maxime quoad administrationem bonorum temporalium;

augeatur potestas Episcoporum rationem rogandi ab operibus piis sicuti caritatis et similibus.

6. Omnibus *Clericis* (etiam religiosis) inculcetur cura de animabus fidelium et infidelium habenda.

Clarius vero dicantur relate ad parochos, decanos, episcopos, iura officiaque eorum e clero e laicis, qui praesunt vel tamquam moderatores adstant associationibus fidelium ultra fines paroeciae, immo dioecesis existentibus, uti est v. g. Actio Catholica et similia.

7. Alio ex capite etiam iura officiaque *laicorum* in Ecclesia rite enumerentur, ita ut appareat laicis propriam competere rationem in Ecclesia etsi non quoad directam sacramentorum administrationem (si excipias matrimonium) nec Verbi Dei praedicationem, sed tamen quoad apostolatum in societate humana exercendum et intra Ecclesiam praeprimis quoad bona administranda.

8. In genere optandum est, ut *Codex Iuris Canonici* in quibusdam partibus simplificetur atque necessitatibus et conditionibus nostrae aetatis melius accommodetur. Sic in capitibus de Religiosis, de Matrimonio, de Indulgentiis, de Librorum prohibitione, de Beneficiis, de Processibus, de Poenis.

Attamen Concilio Oecumenico de hac re agendum non esset, sed potius speciali Commissioni Episcoporum et peritorum ex universo mundo constitutae.

IV. *De re liturgica et de pietate*

9. Prosequenda est *restuaratio liturgica* ab ultimis Romanis Pontificibus feliciter inchoata et quidem secundum sana principia organica, ita ut sacrum Missae sacrificium, instructione et communione fidelium integrum, in medium ponatur ante omnes alias legitimas formas pietatis vel devotionis.

Itaque in *divino sacrificio renovando omnes* (sacerdotes, chorus cantorum, fideles) suam partem agant quin alter alterius partem assumat, nisi in casu verae necessitatis:

Quare: *Kalendarium* clarificetur in dispositione et simplificetur in numero festorum (pro universa Ecclesia tantum Sancti retineantur qui totam Ecclesiam respiciunt);

Dies Dominica uti est memorialis dies paschatis et ideo dies redemptionis, renovationis in spiritu christiano et proinde sanae laetitiae christianae altius proponatur;

Excerpta ex libris Veteris et Novi Testamenti fidelibus legenda ita seligantur ut melius adiunctis hodiernis ac menti captionique fidelium adaptentur;

Preces s. d. fidelium seu deprecatoriae denuo in missa instituantur et quidem lingua vernacula v. g. post versum Offertorii, numero vero paucae, pro diversis autem vitae vicissitudinibus variae;

in *Canonem* nomen Sancti Ioseph inseratur;

Breviarium conditionibus cleri aptius adhuc correspondeat, praesertim eo quod in horis parvis unus tantum Psalmus recitetur, qui momento diei vel anni accommodatus sit;

et quod pro festis maioris momenti e patribus graecis et latinis lingua latina desumantur lectiones; pro aliis festis minoris momenti ex aevo postpatristico, immo moderno et quidem in lingua vernacula cuiuscumque breviarium recitandis.

V. *De S. Scriptura*

Bonum esset si clericis et laicis lectio librorum S. Scripturae recommendaretur sicut et meditatio ita ut in lege Dei die ac nocte meditantes quod legerint, credant, quod crediderint, doceant, quod docuerint, imitentur.

✠ Leo Lommel
Episcopus Luxemburgensis

LUSITANIA

1

EXC.MI P. D. EMMANUELIS A. DE CARVALHO

Episcopi Angrensis (Angra)

Angrae, 31 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Relate ad argumenta, in futuro Concilio tractanda, meum est dicere:

1. Disciplina cleri, iuxta Canones, sustineri debet; ac proinde, Seminaria institutionem scientificam virtutibus stabilitam tradere debent, ut optimi milites aciei Christi, his temporibus, esse possint. Si disciplina iuxta ideas recentes laxatur, in pugna, sacerdotes impetum inimici non sustinent.

2. Disciplina populi christiani:

a) Lex ieiunii et abstinentiae coarctari debet, prout in Decreto S. Congr. Concilii diei 28 ian. 1949 habetur.

b) Communionis Paschalis praeceptum, ut in can. 858, §§ 1 et 2, ad libitum Ordinarii loci antecipari vel prorogari ad quodlibet tempus debet.

3. Pontificale et Breviarium Romanum ad requisita recentiora accommodari debent.

Dum haec Eminentiae Tuae Rev.mae communico, Sacram Purpuram deosculor et me profiteor

addictissimum in Domino

✠ EMMANUEL DE CARVALHO
Episcopus Angrensis

2

Exc.mi P. D. DOMINICI DA APRESENTAÇÂO FERNANDES
Episcopi Aveirensis (Aveiro)

Aveiro, die 31 augusti 1959

Exc.me ac Rev.me Domine,

Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico responsum dare mihi pergratum est.

I. *In re dogmatica*

a) Doctrina de Mystico Christi Corpore: iterum exponatur atque definiatur ut dogma Fidei, et sic Divina Ecclesiae Christi Auctoritas contra naturalismum diversi coloris, quamvis larvati, vindicetur; et talis doctrina suum locum in Tractatu de Ecclesia Christi accipiat.

b) Doctrina de Novissimis: cum enim passim simpliciter negetur vel saltem in dubium vocetur, iterum exponenda ac definienda et poenae comminandae contra negatores. Tandem aliquid de Limbo et de salute aeterna infantium sine baptismate decedentium auctoritative dicatur.

c) Doctrina de Sacratissimo Iesu Corde: simpliciter definiatur, independenter a revelationibus Sanctae Margaritae Mariae factis.

d) Doctrina de Beata Maria Virgine Mediatrice Omnium Gratiarum: exponatur atque definiatur.

e) Aliquid de Immaculato Beatae Mariae Virginis Corde auctoritative exponatur et, si fieri potest, definiatur.

f) Item de Laicorum Sacerdotio.

II. *In re morali-iuridico-sociali et disciplinari*

a) Conceptio christiana de homine contra plura philosophica ac scientifica Systemata a veritate aberrantia auctoritative exponatur: Socialismum, Marxismum, Exsistentialismum, Positivismum, Idealismum, Super-Realismum, etc.

b) Conceptus de homine et de eius positione in Societate Civili-Politico-Oeconomica prae exigentiis vitae christianae secundum Ecclesiae Christi doctrinam dicatur ac definiatur.

c) Determinetur pressius quid Laici sint in Ecclesia Christi et quaenam sunt eorum officia ac iura.

d) Dicatur stricte quid sit Actio Catholica: nonne aliquid novi specifice diversum a piis unionibus et confraternitatibus? Concilium dubiis finem imponat. Ergo auctoritative declaretur et statuatur quid sit Actio Catholica in Ecclesia Christi et eius obligatio pro fidelibus laicis.

e) Poenae in specie et accuratius contra Societates machinantes contra Ecclesiam Christi statuantur et, quantum fieri potest, eorum enumeratio, quoad exsistentes, habeatur.

f) Tonsura supprimatur, habitus ecclesiasticus simplificetur, tunica talaris tantum in officiis sacris utatur. Quoad ordines religiosos, habitus simplificentur; eorum activitas ad apostolatum et vitam apostolicam aptetur et legibus aequis statuatur, eorum exemptio ita moderetur ut Ordinariis Locorum facilius quoad curam animarum, praedicationem, vitam apostolicam subiiciantur.

g) Reformatio iam incepta Breviarii et Horarum canonicarum adhuc magis perficiatur.

h) Administratio Sacramentorum sit in lingua propria cuiuscumque populi ideoque Rituale Romano vertatur in linguas vulgares, sub inspectione Sedis Apostolicae.

i) In administratione Confirmationis vel Chrismatis potestas Parochorum augeatur.

j) Tempus ad implendum praeceptum paschale sub quadam regula relinquendum Locorum Ordinariis ut pro sua prudentia augeant vel in aliam anni liturgici partem, v. g. Adventum, utilius transferre valeant.

k) Impedimenta matrimonii, scilicet cognatio spiritualis et tertius gradus consanguinitatis in linea collaterali simpliciter supprimantur.

l) Leges de ieiunio et abstinentia adhuc magis mitigentur vel in alios poenitentiae modos mutentur.

m) Labor apostolatus pro Ecclesiarum separatarum unione ad veram Christi Ecclesiam promoveatur ac honoretur.

III. *In re liturgica*

Iam plura dicta sunt. Sed alia innoventur:

a) Cum, apud fere omnes populos, celebratio Matrimonii habeat magnum momentum sociale et familiare, ritus celebrationis Matrimonii, licet brevis, habere maiorem maiestatem ac sollemnitatem debere videtur.

b) Reformatio definitiva Breviarii Romani et Missalis Romani abbrevietur.

c) Celebratio Missae in lingua latina persistat; sed ordinariis Locorum

ut quibusdam in sollemnitatibus taxative enumeratis celebrare vel auctorizare celebrationem Missae in lingua vulgari possint potestas tribuatur.

Pro tempore, haec sunt quae in Concilio Oecumenico tractanda quoque sunt. De pluribus aliis alii dicent de ratione sua et Sedes Apostolica omnia videbit et ultimum ac definitivum verbum ponet.

Interim me profiteor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
Servus humillimus in Domino

✠ DOMINICUS DA APRESENTAÇÃO FERNANDES
Episcopus Aveirensis

3

EXC.MI P. D. IOSEPHI DO PATROCINIO DIAS
Episcopi Beiensis (Beja)

Beiae, die 20 octobris 1959

Eminentissime Princeps,

Ad Litteras respondens diei 18 iunii 1959, quas sub N. 1 C/59-211 Eminentia Vestra ad me mittere dignatus est ut ad normam can. 223 animadversiones, consilia vel vota exhibeam pro Oecumenici Concilii argumentis adparandis, volo imprimis meam ac mihi commissi cleri et populi significare laetitiam pro tanto tamque felici eventu, ex quo, prout meae insidet menti, nova aurea aetas merito sperari potest, non pro re christiana publica tantum, sed et pro universo etiam orbe.

Spes enim mihi arridet ut e Concilii conatibus optatissima tum demum unitas christiana evincatur, saltem ad Orientales quod attinet. Mea ergo sententia est ut commune votum, communes et assiduae ad Deum preces prosequantur utque omnia ac singula sedulo disponentur ut dissidentes christiani fratres, qua par est diligentia ac prudentia, ad unitatem revocentur. O beatos nimium queis iamdiu devios per invia fratres in unum Dominicum ovile iterum commeantes contemplare continget!

Pro mea erga Ss.mam Dei Matrem filiali devotione, vehementer exopto ut in Concilio illae tractentur veritates quae ipsius Dei Matris gloriam et cultum augere adhuc valeant: quas inter eminet universalis B. V. M. Mediatio, cuius dogmaticam definitionem in votis esse arbitror totius populi christiani.

Melior etiam cleri distributio a Concilio quaerenda esset quae no-

strorum temporum necessitatibus et exigentiis aptius responderet. Itemque esset clericorum vita communis magis fovenda.

Interim et ego impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Vestrae, cui fautissima quaeque a Domino adprecor.

Eminentiae Vestrae
add.mus

✠ Iosephus Do Patrocinio Dias
Episcopus Beiensis

4

Exc.mi P. D. ANTONII B. MARTINS IUNIOR
Archiepiscopi Bracharensis (Braga)

Bracarae, d. 3 septembris a. 1959

Em.me ac Rev.me Domine,

Litteras Eminentiae Vestrae Rev.mae, diei 18 iunii 1959, Prot. N. I C/59-247, circa futurum Concilium Oecumenicum, accepi quibus gratanter respondeo.

Mea humillima opinione, auditis iis qui hac in Archidioecesi Bracarensi maxime rei dogmaticae et disciplinari vires addicunt, futurum Concilium Oecumenicum ageret:

A) *Circa doctrinam theologicam et moralem*

1. *De mediatione Mariae Sanctissimae.*

In Concilio Oecumenico huius saeculi, quod Marianum Saeculum vocabitur, aliquid coronae gloriae Mariae Sanctissimae addendum est. Doctrina de mediatione Beatae Mariae Virginis opportune proponi et generaliter definiri poterat.

2. *De indissolubilitate externa matrimonii.*

Concilium quamdam extensionem, ob causas gravissimas, doctrinae canonis 1119 ad matrimonia rata et consummata decernere posset. Nam, Romanus Pontifex, etiam praeter casus in Privilegio Paulino praevisos, potestatem habet matrimonia legitima consummata solvendi, quod, etiamsi illa matrimonia intrinsece indissolubilia sint, vi canonis 1125 fit. Videtur ergo non repugnare quod, ob causas gravissimas, etiam matrimonia rata et consummata, saltem si ipsa valida declarentur vi praecepti canonis 1014, solvere possit.

3. *De puritate fidei.*

Doctrinae Atheistae, Materialistae et Modernistae, in suis recentioribus manifestationibus sedule examinentur, noviterque profligentur, et normae universales ad ipsas expugnandas renoventur.

4. *De relationibus inter Ecclesiam et Statum.*

Usquedum possint extendi Auctoritatum Ecclesiasticarum, et suorum subditorum qua talium, activitates sociales inter opifices, exercitium caritatis socialis et magisterium etiam in profanis disciplinis, quin Status arguere sua invadi iura possit, modo prudentiori statuendum est.

B) *Circa disciplinam cleri et populi christiani*

1. *De Codice Iuris Canonici.*

Revisio *Codicis Iuris Canonici* urget ut abrogata vel substantialiter conversa actualizentur.

Sed alia iam pridem possunt disputari, nempe:

— provisio paroeciarum debet fieri ad nutum Episcopi, servata aequitate et iustitia, ob difficultates ingravescentes aliter procedendi nostris temporibus;

— Synodus Dioecesana sicut Concilia Provincialia ad iudicium prudens Episcoporum vel Metropolitarum celebranda sunt, quin determinata temporis periodus imponatur;

— legi de audiendo sacro satisfaciant qui missae adsunt ubicumque legitime celebretur, etiam in oratoriis privatis;

— tempus confessionis et communionis annuae, in iure praefinito, ad urgendum non ad finiendum sit;

— causae pro divisione et dismembratione paroeciarum sicut pro translatione sedis beneficialis debent ampliari;

— normae sequendae ab Ordinariis in processibus administrativis, in Codice desiderantur;

— de personis iuridicis moralibus collegialibus et non collegialibus notiones vel concepta definiantur;

— Actioni Catholicae locus vel specificatio inter Associationes Fidelium tribuatur...

2. *De vita liturgica.*

Motus renovationis optime inceptus vitae liturgicae populi christiani complendus est.

In administratione Sacramentorum et Sacramentalium, lingua vernacula, saltem in partibus secundariis, adhibenda videtur.

Participatio activa fidelium in sacro audiendo et omnibus in actis liturgicis, modo possibili, fovenda est.

Nova disciplina super ieiunio eucharistico plauditur; etiam super Missa Vespertina sed completa libertas quoad hanc quin necessarius sit recursus ad Ordinarium, et communio vespertina extra missam adhuc postulatur.

Caeremoniale Episcoporum et Pontificale Romanum etiam actualizatione et simplificatione congruentibus nostris temporibus indigent.

3. *De sacerdotibus et religiosis.*

Normae rigidiores et praesertim uniformes ad Seminaria Dioecesana et ad Instituta formationis sacerdotum regularium statuendae videntur.

Mores, vita pietatis et apostolatus tum sacerdotum tum religiosorum utriusque sexus curam specialem Concilio mereri debent.

Estne instituendus Diaconatus ut status permanens cum facultatibus in iure praevisis vel amplioribus, ne in sacerdotium nisi Diaconi sufficienter probati in publica vita apostolatus et aetate maturiori vocentur?

Personis Deo sacratis, habitus peculiaris traditionalis in functionibus ecclesiasticis et in vita communi, et vestis simplicior uniformis sed congruens naturae personarum, in vita externa non repugnaret.

4. *De fide et moribus populi christiani.*

Sollemniter, modestia christiana, castitas et sanctitas laudentur et terminis claris ad universalitatem fidelium definiantur; vitia pagana in societate christiana immixta, praesertim contra sanctitatem matrimonii, profligentur.

Institutio fidelium tum puerorum tum adultorum, synthesis veritatum utrisque tradendarum, media aptiora nostris temporibus adhibenda et Ecclesiae universalis cooperatio ut haec obtineantur, res sunt tractandae.

En, Eminentia Reverendissima, quae referenda de re acta censeo, dum me profiteor

Eminentiae Vestrae Rev.mae
Addictissimum in Domino servum

✠ ANTONIUS MARTINS
Archiepiscopus Bracharensis

5

EXC.MI P. D. ABILII A. VAZ DAS NEVES

Episcopi Brigantiensis (Braganza)

Brigantiae, 20 aprilis 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Opportune ab Eminentia Vestra Reverendissima litteras accepi eo fine ut ad Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico quaedam mitterem animadversiones quae, meo iudicio, quidquam ad Concilium Oecumenicum conferrent.

Hae ad me pervenerunt in aestivis vacationibus cum auxiliares mei a civitate episcopali aberant. Interim tempus utile transiit quin suggestiones efflagitatas, quae considerate perpendendae erant, apparare valuerim.

Cum iterum roger ut quamprimum suggestiones praefatas mittam, nunc adlaboravi quae una cum hac epistola Eminentiae Vestrae Reverendissimae allego, licet non magni sint.

Excusationem impetrans ob hanc procrastinationem, summa qua par est devotione permaneo Eminentiae Vestrae Reverendissimae obsequentissimus et addictissimus.

✠ ABILIUS VAZ DAS NEVES
Episcopus Brigantiensis

Quoad doctrinam

1. Nostris hisce temporibus sui commodi minime autem alieni curatio disiunctioque spirituum in hominibus ubique produntur; nationes vix in unum consentiunt; in institutionibus normae secum unitatem apportantes desiderantur; ipsaemet familiae hoc malo afficiuntur: hoc sane ex animi satanica sublatione ob fidei in Deum inopiam caritatisque profluit. Ipsam intra Ecclesiam quae una, sancta, catholica, apostolica et Romana exsistit huius aurae mendosae sensus capitur. Mihi igitur videtur digna quae studeatur planeque pertractetur doctrina unionis, « Ut sint unum », optime ab Evangelista Sancto Ioanne proposita ita ut doctrina haec evangelica in omnium cordibus perfectius invalescat, scilicet Episcopis cum Romano Pontifice, sacerdotibus cum Episcopis, fidelibus cum paro-

chis, subditis cum superioribus filiisque cum parentibus plene consentientibus.

Aliis verbis. Ubique terrarum in Ecclesia hanc doctrinam vividiorem tamquam humani generis principium generans atque uniens reddendam esse adopinor.

Quoad disciplinam clericorum

2. Animum advertendo ad magnam actuositatem quam hodie in magnis dioecesibus apostolatus hodierni labores postulant Episcopi, mea opinione, a sexagesimo quinto aetatis anno in gubernatione dioecesium substituendi sunt aut saltem uno vel pluribus coadiutoribus donandi.

3. Quoad visitationem Ordinariis a *Codice Iuris Canonici* in can. 343 § 1 praescriptam censeo sacerdotes visitatores, idoneitate praeditos, esse instituendos qui ab Ordinario delegati absque caeremoniis ritualibus visitationum illarum possent inspicere ac stimulare vitam paroecialem singulis in pagis paroeciam constituentibus, quia in visitationibus canonicis vix omnia peragi possunt praesertim cum dioecesis est ampla et tempus deficit.

4. Clerus paroecialis, speciatim ruralis, morali tutamine indiget in paroeciis potissime quae ab urbanis centris multo distant; idcirco puto necesse esse sacerdotem designare qui absque connexione ulla cum visitatore canonico clericis ut moderator spiritualis assidue auxilio esse possit.

5. Ad tutamen necnon congruentiorem rei familiaris administrationem optandum est ut parochi rurales vitam communiter degant quia generatim est facilitas ad pagos accedendi et labor apostolicus in « equipe » peractus fructuosior est ac iucundior.

6. In Seminariis Maioribus curriculum Theologiae ad quinquennium pertrahendum est ut alumni disciplinis quae nunc plurimae sunt iterum profundiusque vacent et ad Ordines Sacros exercitiumque apostolatus mediatione ac studio aptius se praeparent. Hoc optandum est nam quadriennio quo nunc Theologiae cursus absolvitur tempus ad numerosas disciplinas addiscendas non abundat et alumni ab interiori vita, qua nunc temporis candidati ad sacerdotium eminere debent, avocantur.

7. Studia humanitatum quae in Seminariis Minoribus peragi solent, mea opinione, utiliter aequiparanda sunt iis quae in scholis Status aguntur ita ut sacerdotes laicis haud inferiores in scientiis profanis, sacris deinde disciplinis efficientius, prout necessitas aetatis nostrae postulat, vacent.

8. Praesentia clericorum in theatris, cinematographis, aliisque domi-

bus publicis recreationis et distractionis, itemque radiophonicorum televisionisque instrumentorum necnon propriarum autoraedarum usus regulis aptis subiiciendus est ne clericorum laicorumque bona exsistimatio detrimentum capiat.

9. Ecclesiae leges quoad clericorum negotiationem aut mercaturam explicitiores esse debent.

Quoad disciplinam fidelium

10. Quae Summus Pontifex f. m. Pius XII tradidit de virginitate et de institutis votorum simplicium pro laicis arcte cum episcopis et parochis coniunctis, iterum atque iterum fidelibus inculcanda sunt ut adminiculum ad vitam laicorum perfectiorem valde conferens et via penetrationis apostolicae. Mea opinione instituta haec saecularia votorum simplicium subesse debent ductui Ordinariorum in quorum dioecesibus existunt et operam navant quamvis Instituto Pontificio foederentur.

11. Quoad Actionem Catholicam a Divina Providentia pro nostris temporibus et quidem cum tam felici exitu suscitatam ad apostolatum exercendum ex parte laicorum in unione cum Hierarchia Ecclesiae, censeo eius normas in corpore Iuris Canonici esse includendas attamen ad formam simpliciorem omnium captui perviam redactas.

✠ Abilius vaz das Neves
Episcopus Brigantiensis

6

Exc.mi P. D. ERNESTI SENA DE OLIVEIRA

Archiepiscopi Ep. Conimbricensis (Coimbra)

Conimbricae, 30 septembris 1959

Parcas mihi si tam sero respondeo Litteris mihi missis die 18 iunii (I C/59-383).

Cum hic pervenerunt, aderam in Nosocomio causa patiendi quemdam interventum chyrurgicum, e cuius effectibus tantum nunc incipio esse liber.

Ideoque tantum nunc partim respondere possum ut praebeam aliquas suggestiones de quibusdam rebus acturis in Concilio Oecumenico.

Attenta deficiente valetudine, sequentia tantummodo indicabo, praesertim autem punctum quod disciplinam coelibati ecclesiastici respicit:

I. *De dogmate et doctrina*

a) In iis, quae ad dogma spectant, in genere dicam aliqua, ut mihi videtur opportunum, definienda essent, v. g. de Beatissima Virgine Maria.

Quia tamen Romanus Pontifex summe intendit reditum nostrorum fratrum separatorum ad unitatem Ecclesiae, definitio nonnullarum illarum veritatum forsitan pro nunc minime expediret nam esse poterat impedimentum ad illum effectum consequendum;

b) Quoad doctrinam catholicam generatim consideratam velim ut in Concilio posito assumatur firma et clara adversus magnos hodiernos errores, praesertim adversus marxismum et existentialismum, damnando sollemniter tales errores ita ut Sancta Mater Ecclesia magis ac magis ostendatur coram omnibus tanquam « columna et firmamentum veritatis ».

II. *De re morali*

1. De diversis finibus matrimonii.

Velim ut in re morali accuratim studeretur et forsitan definiretur quod, praeter finem primarium seu specificum matrimonii, id est procreationem, sunt alii fines, qui matrimonium iustificant, dummodo ne excludatur finis specificus.

Nam, ut constat, ita est magna confusio in mentibus, hodiernis temporibus, ut quidam censeant ut senes et steriles matrimonium vetandum esset, quod idem est ac asserere Ecclesiam hactenus erravisse in tali ac tam gravi materia.

2. De aliis circa matrimonium.

Mihi videtur maximi momenti de aliis rebus ad matrimonium spectantibus (circa quae iam Summus Pontifex Pius XII, felicis recordationis, plurima dilucide docuit) opportunum verbum a Concilio proponi. De iis, si expediat, opportune amplius dicere possem.

III. *De re liturgica*

Optimum esset, si Concilium, pergens in reformationibus et innovationibus nuper factis, curet ut christifideles plus participent in vita liturgica.

Si necesse sit, opportune concretius rursus de iis loquar.

IV. *De rebus disciplinaribus circa coelibatum*

Coelibatus, res maximi momenti in disciplina ecclesiastica, attente, ut mihi videtur, considerandus esset in Concilio Oecumenico.

Tantum loquor de coelibatu clericorum.

1. Est mihi res indiscutibilis coelibatum servandum esse pro Prae-

sbyteris et Episcopis. Hoc exigunt, praeter alias rationes, sanctitas et foecunditas apostolatus et ministerii Praesbyterorum et Episcoporum.

2. Magnum periculum tamen mihi videtur Praesbyteratum conferre iuvenibus, qui vix attigerunt 24 annos. Hoc occasio fuit ut multi ceciderint irretiti in periculis vitae hodiernae, quod christifidelibus est magno scandalo et Ecclesiae nocumento.

3. Ideoque, puto expedire ut Sancta Ecclesia, per aliquot annos, et aliquando pro semper, poneret in exercitio Ordines Minores et Maiores infra Praesbyteratum, praesertim autem Diaconatum. Itaque modo stabili, per aliquot annos et aliquando definitive, Diaconus esset primus Coadiutor alicuius paroeciae seu aliquarum paroeciarum, cui cooperationem, praesertim in paroeciis maioribus, dare posset Subdiaconus vel etiam Clerici in Minoribus.

Ille Diaconus de facto cum Parocho cooperare posset quoad multa in ministerio paroeciali, iuxta facultates a iure ipsi commissas, v. g., in exercitioni sui ordinis, in cultu publico sollemni, in administratione sollemni baptismi (can. 741), in administratione Sacrae Communionis (can. 845, § 2), in praedicatione (can. 1342, § 1).

Concedi ei etiam posset ut praeesset matrimoniis et funeribus.

Officium eius esset item, praesertim in magnis paroeciis, per se vel per Clericos auxiliares (Subdiaconos et Minoristas) curare de Registro paroeciali, speciatim, de processibus matrimonialibus conficiendis, de catechisandis pueris et etiam adultis, de visitatione infirmis, de adsistentia operibus apostolatus, et beneficentiae, de scholis paroecialibus, etc.

Perdurante hoc ministerio, Diaconi et coeteri Clerici sese profundius incumberent studio Theologiae Pastoralis, moderantibus Parochis et Magistris in re peritis. Praeterea accurate sese darent rursus videndi ea quae in Seminario didicerunt. Seminarium non oblivisceretur Subdiaconos et Clericos in Minoribus esse filios ipsius, qui per aliquot tempus degere debent in exercitio, sed qui rursus in Seminarium redire debent.

Ita ostenderent luculenter tales clerici utrum promovendi ad coeteros Ordines an amovendi sint.

Hoc, ut apparet, a Superioribus, exigeret magnam sollicitudinem, vigilantiam et perfectam organizationem.

4. Selectio et specificum ministerium Praesbyterorum.

a) Selectio:

Si Ordinario ita videretur, Diaconus pro semper maneret Diaconus in ministerio una cum parocho unius vel plurimarum paroeciarum tamquam Coadiutor.

Sed si, cum 30 seu plus annos natus esset, iudice Ordinario, ostendisset diaconus signa certa idoneitatis physicae, intellectualis, moralis et praeser-

tim fidem, zelum et fervorem et perfectam observantiam castitatis, Praelatus posset eum promovere ad Praesbyteratum.

Tunc, saltem per sex menses, antequam Praesbyteratum acciperent, praeparationem specialem in Seminario haberent in rebus quae ad doctrinam et pastoralem spectant.

b) Ministerium specificum Praesbyterorum:

De Praesbyteris eligerentur Parochi.

Unus praesbyter praeesset 3 seu 4 vel adhuc pluribus paroeciis in unoquoque Vicariato foraneo.

Unusquisque Parochus, praeditus mediis conductionis et telefonio cum coeteris paroeciis unitus, eas frequenter inviseret, in Dominicis ut illuc litaret, sed etiam diebus ferialibus ad sacrum illic celebrandum, ad confessiones christifidelium audiendas et etiam ut cogat Clericos et cum illis colloquatur de perfectione spirituali et pastorali, et accuratim inspiciat laborem et vitam Coadiutorum et auxiliarium.

Praeterea, omnes Parochi uniuscuiusque Vicariatus foranei una cum Sacerdotibus peritis (v. g. Professores Seminarii et alii), promoverent formationem ampliorem culturalem, spiritualem et pastoralem Clericorum Vicariatus.

Unusquisque Parochus litare possit, mane et vespere, in dominicis et festis de praecepto, ter, quater seu amplius, ut casus suadeat, Ordinario audito et consensienti.

Possent litare saltem bis in coeteris diebus hebdomadae, item Ordinario consensienti.

5. Observationes de proposita reformatione.

Hoc, ut clarius dicam, addam:

A) Quoad Minoristas, Subdiaconos et Diaconos spectat:

a) Alumni Seminarii, a primo anno theologico, ad Ordines Minores ascenderent, si signa dedissent disciplinae, probi sensus, bonorum morum, pietatis et apostolici zeli, uno verbo, verae vocationis;

b) Studia abrumperent, in fine primi anni theologici.

Perdurante primo anno, ut dictum manet, alumni acciperent, saltem, aliquos gradus Ordinum Minorum.

Ponerentur ut Minoristae in ministerio, forsitan per unum annum, in paroeciis bene et rite dispositis, quod esset prima experientia dotuum Clericorum;

c) Postea alumni in Seminarium redirent ut facerent secundum et tertium annum cursi Theologici.

Ad Subdiaconatum ascenderent et rursus redirent in paroeciam ut ibidem per unum vel duos annos probationes darent verae idoneitatis;

d) Postea in Seminarium redirent causa faciendi quartum annum theologicum. Si digni putarentur, acciperent Diaconatum;

e) Postea singuli Diaconi collocarentur ut Coadiutores singulorum Parochorum qui praeessent diversis Paroeciis et ibidem, per multos annos, per se et per auxiliares eius, si essent, opera praestarent, de quibus supra IV, n. 3;

f) Clerici in Minoribus, Subdiaconi et Diaconi, qui ostenderent se indignos esse ut ascendere possent ad Praesbyteratum, reducendi essent, in determinatis adiunctis, ad statum laicalem.

In quibusdam adiunctis autem, id est, si, non illis obstantibus, sese ostenderent probos, prudentes, pios et zelosos, capaces vivendi honeste et sancte ut boni patresfamilias, possent, si ita placeret Ecclesiae, pergere in exercitio Ordinum et etiam, in quibusdam adiunctis, eis concederetur facultas Matrimonium contrahendi.

B) Quod ad Praesbyteros spectat:

Cum Praesbyter — proh dolor! — deficeret graviter in obligationibus sui status et scandalo esset christifidelibus, reduceretur in statum laicalem, et forsitan, saltem in quibusdam adiunctis, dispensaretur a lege coelibatus.

Si aliquando, post diuturnam experientiam, sese ostenderent probi, zelosi et capaces vivendi honeste et sancte ut probi patresfamilias, possent, si ita Ecclesiae expediret, exercere Ordines inferiores Praesbyteratui. Tamen perpetuo privarentur ab exercitio Praesbyteratus et specialiter a celebratione Missae et ab audiendis confessionibus.

C) Quae ad rem oeconomicam spectant:

Problema oeconomica quae ad haec omnia attinent, sunt certe non parum difficilia. Forsitan tamen hoc modo solvi possent:

Unusquisque Parochus acciperet totalitatem redituum paroeciarum sibi commissarum (congrua, emolumenta et alia quae consuetudines suadent).

Ipse faceret omnes expensas cum suis Clericis.

Subdiaconi et Minoristae ut alumni Seminarii, acciperent a Parocho tantum mensam et hospitalitatem ut acciperent a Seminario, quod dispensaret a mentalitatibus huiusmodi alumni ut ita ipsi providerent expensis personalibus.

Parochus in Paschate daret illis aliquod ad instar mercedis. Tamen sibi acciperent stipendia quae, occasione festorum et officiorum defunctorum et nihil amplius.

Diaconis, tamen, Parochus daret stipendium condignum quod variabile esset pro diversitate circumstantiarum, v. g., pro diuturnitate laboris praestiti, pro dignitate et reditibus paroeciae vel paroeciarum, pro necessitate speciali alicuius diaconi etc.

Circa haec, omnia facienda essent audito et consentiente Ordinario loci.

Praeterea illi daretur stipendium laboris personalis: concio sollemnis, inservire in Missis sollemnibus, officia defunctorum etc.

D) Quod ad residentiam Parochi et Cooperatorum:

Ubi Parochus residentiam habere debet?

Hoc pendebit a variis adiunctis.

Aliquando in paroecia principali; aliquando in paroecia quae centralior sit relate ad caeteras paroecias.

Ibidem commorationem haberent cooperatores eius, qui quotidie irent ad paroecias quibus incumbunt, ut Parochus disponat.

In aliis casibus, praesertim si paroeciae ab invicem valde distant, expediret habere alias domos paroeciales, in quibus Diaconus habitaret cum suis auxiliaribus.

Aliquando expediret ut Diaconus habitaret in domo paroeciali paroeciae principalis cum suis auxiliaribus et Parochus habitaret in sede Vicariatus foranei et ibidem, si fieri possit, cum coeteris parochis eiusdem Vicariatus foranei.

Omnia ex pluribus adiunctis et possibilitatibus pendebunt et determinabuntur, audito et iudice Ordinario Loci.

Ut patet, si hoc, quod forsan temerarie propono, fieret legislatio Ecclesiae, exsperiri paulatim prius deberet tantum in aliquibus locis eiusdem Dioeceseos ut postea quaedam regulae plus minusve definitivae statuarentur ad propositum modum vivendi firmandum.

De aliis nihil iam dicam, v. g., de tonsura, de habitu ecclesiastico, de quibusdam mutationibus et explicationibus in *Codice Iuris Canonici* introducendis, etc.

Sed ratione, ut supra dictum manet, valetudinis adhuc debilis, necnon ratione brevitatis, nam quod dixi forsitan longius aequo, nihil aliud pro nunc addam.

Si tamen Eminentiae Vestrae Reverendissimae ita placuerit, aliqua circa tales quaestiones in posterum addam.

Sacram Purpuram deosculans magna cum veneratione, me profiteor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
servum verum et addictissimum in Domino

✠ Ernestus Sena de Oliveira
Archiepiscopus Ep. Conimbricensis

7

Exc.mi P. D. EMMANUELIS TRINDADE SALGUEIRO
Archiepiscopi Eborensis (Evora)

Eborae, pridie Kalendas septembris 1959

Eminentia Reverendissima,

1. Colendi documenti (Prot. n. I C/59-481) de proximi Oecumenici Concilii praeparatione, quod Eminentiae Tuae, veluti praeclaro Praesidi Comitatus Antepraeparatorii, a Beatissimo Papa Ioanne XXIII sextodecimo Kalendas iunias, in Festo Pentecostes constituti, mihi mitti placuit, gratulanti animo gratias ago.

Facultatibus huiusmodi venerabilis documenti utens, utinam clariores Sacerdotes huius Archidioecesis consulere possem, praecipue Canonicos Capituli Ecclesiae Cathedralis, capitulari congregatos consessu. Proh dolor! laboris anno continui fessi, ipsi inter ferias nunc absunt.

Cum autem usque in finem mensis augusti has mittere notas meum est, solos reperi Excellentissimum ac Reverendissimum Episcopum Auxiliarem huius Archidioecesis Reverendissimum Rectoremque Seminarii, quos alloqui potui.

Ut magnanimo Eminentiae Tuae invitamento respondeam, tantum has scribo notas, quas coeterum inutiles fateor, etiamsi erga Apostolicam Sedem obsequium fidelitatis devotionisque maxime significent.

Inter magnum conventum, qui Deo opitulante congregandus est, quaestiones tum doctrinae cum disciplinae mihi videtur esse tractandae, quoniam utraeque candentis cruciaeque actualitatis sunt. Hoc praeclarissimorum Romanorum Pontificum a Concilio Vaticano usque ad nostram aetatem instructionum idem ac in canones versio esset.

2. *a*) Vestigiis inhaerentibus augustarum Litterarum Encyclicarum nuper editarum *Ad Petri Cathedram* Beatissimi Papae Ioannes XXIII, *Ecclesiae unitas* velut quaestio centralis mihi cernitur. Revera omnes aliae, utpote eminentiores nostris temporibus, scilicet pax, iustitia socialis, humanae dignitas personae, hominis finis ac origo illam circumvertuntur.

b) Praeiudiciis obnubilati, qui magis in dies coguntur, atque passionibus tumultuantibus infitentibusque moti, homines « valorum » mensuram inverterunt. Radix huius pungentis processus psycologici, moralis religiosique, falsa erga veritatem positio est, nec unitas sine veritate subsistere potest.

Hinc necessitas veritatis tractandae essentia, origine, corollariis, seu

opus « analisis » religiosae, psycologicae socialisque sub fidei lumine, elementibus iuvantibus empiricis. Itaque huiusmodi processus sic evolvendus esset: cognitio veritatis, amor veritatis, effectus veritatis.

c) Deus principium ac causa veritatis est. Eum cognoscere, diligere, amplecti effectio est unitatis per cognitionem, amorem effectumque veritatis.

Iesus autem Christus Deus visibilis in mundo est. Iesus Christus centrum totius veritatis per unitatem est.

Unitas solummodo in Christo fit. Actualitas abscondita ac efficiens Corporis Mystici Christus est. Ita alliciens hoc cernitur dogma ut communistae illud sibi rapiant, quamvis sacrilege deforment. Reapse Comitatus Executivus Unionis Rerumpublicarum Socialistarum Sovieticarum sic docuit: « Lenin mortuus est, sed ille unoquoque factionis membro vivit. Unumquodque factionis membrum particula Leninis est. Tota familia nostra communista incarnatio collectiva Leninis est ».

Hoc expurgato textu quolibet pantheistico sensu, sicuti christiani tradunt auctores Ecclesia docet: « Christus amplius non moritur; unoquoque Corporis sui Mystici membro vivit. Unumquodque membrum vita Christi realiter participat. Tota familia christiana incarnatio continuata collectivaque Christi est ».

Ecclesia Mysticum Corpus est, in quo, secundum doctrinam Litterarum Encyclicarum *Mediatoris Dei,* iuxta Sanctum Thomam Aquinatem (III, q. 8, art. 3) Christus caput est primo ac praecipue eorum qui sibi unit per gloriam; deinde eorum qui actu sibi unit per caritatem; deinde eorum qui actu sibi unit per fidem non caritate formatam.

Corpus Mysticum formam habet socialem, cuius supremum caput visibile Romanus Pontifex est. Ex Christi institutione, Episcopi in Dioecesibus suis, Romano Pontifici uniti, duces sunt. Itaque Summus Pontifex, Dei gratia, principium et causa christianae unitatis in mundo est. Ubi Papa, ibi Ecclesia universalis Christi. Ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita aeterna.

d) Mundus, Evangelii inopia, in agonia positus est. Atqui quia mundus aut non est christianus aut christianus esse desinit (circumstantia temporalis) et quoniam christianus membrum Christi est, ergo membrum integrum Corporis Christi Mystici (circumstantia essentialis) apostolatus corollarium necessarium ipsius vitae christianae, quae Baptismate iniciatur, Chrismate perficitur atque Poenitentia Eucharistiaque roboratur.

Necesse est igitur ad mundum evangelizandum sanctitatem personalem promovere ac efficere, atque apostolatum actuare ac actualem reddere, ut adimpleantur, secundum Apostoli sententiam, quae desunt passioni Christi.

Hoc apostolatus capite essentia, necessitate ac effectibus inspectis, de apostolatu hodierno, maxime de Actione Catholica, notiones distincte tradere deceret.

3. *a*) Haec « synthesis » doctrinalis « synthesim » disciplinarem, iuxta normas Litterarum Encyclicarum *Humani Generis* Pio XII, postulat. Siquidem primus disciplinae gradus mentis dominium est.

Nec oblitus nec despectis progressu evolutioneque qui in dies magis comperiuntur, quaedam principia immutabilia sunt. Eorum ignorantia ac despectus, superbiae vel novitatum amoris causa in rerum confusionem, de quo illud nobile documentum, ducunt.

b) Rebus in liturgicis eadem lamentabilis confusio pluries sic inspicitur ut ipsa doctrina saepe graviter laedetur. Nec ipsa Sacra Synaxis eidem rebelli indisciplinae excipitur. Oportet igitur hac in materia principiorum normarumque definitionem tradere explicitam. Certo certius principia normaeque non desunt. Attamen obsoleta plurimis videntur, qui rerum innovationem contendunt, procedentem non a summo sed ab imo, atque collocantem Hierarchiam coram factis absolutis habitibusque statutis.

c) Iuxta disciplinam liturgicam opus est normas statuere quoad artem religiosam. Documenta orta ab Auctoritate, etiam Sanctae Sedis, cuiusdam artis modernae monstra damnavere. Non est nostrum canonibus artem religare praeteritis, cum genus proprium unicuique temporum respondeat. Verumtamen omnino reiiciendae sunt ineptiae, quae saepius ridiculae sacrilegaeque evadunt, maxime in picturis sculpturisque. Sed etiam in architectura audaciae exstant, quae nedum inutiles, sed noxiae irreverentesque cernuntur.

d) Etiamsi minimum videatur quod praesentiam clericorum fideliumque socialem spectat, magni est momenti. Iuvat notare quoad certa minuta, utpote habitum ecclesiasticum tonsuramque, sacros canones adhuc leges Ecclesiae esse. Licet opus sit mutationes introducere iuxta rationem vivendi actualem, statutis essentialibus, quid mutandum esset sine characteris specialis Sacerdotis laesione, qui in mundo est, sed non est ex mundo, sicut dixit Dominus, determinare decet.

Quaedam normae generales de fidelium habitu, praecipue femineo, valde desiderantur, cum saepe obliviscantur corpus templum Spiritus Sancti esse Dominumque graviter condemnasse quos scandali occasionem praestant.

4. *a*) Doctrinae normarumque disciplinarum expositio, cum enucleatio officii adimplendi sit, iamiam praevaricatorum censura absoluta est. Tamen, iuxta Traditionem, necessitate peccati directe damnandi ortam, necesse est errores moresque anathematizare. Itaque actualis Liberalismus

religiosus, qui in templa sacrariaque Deum Christumque suum relegare conatur, omnes cultus externi significationes impediens, haec praesentia actualis huiusmodi erroris, actualem damnationem, iam clare redactam in *Syllabo* ac in Concilio Vaticano, postulat.

b) Magis quam unquam alii homines, negantes Christi divinitatem, etiam humanitatem, insaniere. Oportet anathematizare illos qui contra fidem historiamque in tantum prorumpunt peccatum.

c) Numquam atheismus horum temporum dimensiones diabolicas assecutus est. Hic atheismus, qui contra religionem erigitur, mediante marxismo, sanctum Dei nomen omnesque religiosas significationes in civitate, in familia, etiam in conscientiis individuis delere conatur. Non simplex revolutio oeconomica socialisque, sed etiam nefanda disciplina philosophica est, omnia spiritualia abhorrens.

Ecclesia sancta, quae tam improbam disciplinam saepe ac praecipue verbo impavido Pii XI et Pii XII arguit, certo illam aspectibus contrariis christianismo humanismoque sollemniter damnatura est.

d) Omnes alii « totalitarismi », qui elati elevatione individuorum materiali, Ecclesiae ac ipsius personas humanae iura parvi pendent, etiam damnandi sunt, propter facinus adversus « valorum » hierarchiam, quibus illuminandis vivificandisque summa capita veritates religiosae feriunt.

Verumtamen Sancta Mater Ecclesia, Christi incarnatio continuata in mundo, signata originem essentiamque suam, etiam anathematizans, illa utetur dulcedine qua mitis Iesus peragrans mundum.

Finem imponam. Parce, Eminentia, non melius scripsisse. Hoc autem scribens, praesentiam meam erga Ecclesiam Sanctam idem ac devotionis erga Dominum nostrum Iesum Christum tantummodo significare volui.

Asseverans meam ferventem religiosamque reverentiam, sacramque Eminentiae Tuae purpuram deosculans, me fateor

Servum inutilem et addictissimum

✠ EMMANUËL TRINDADE SALGUEIRO
Archiepiscopus Eborensis

8

Exc.mi P. D. FRANCISCI RENDEIRO
Episcopi Pharaonensis (Faro)

Faro, 29 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteras Vestras diei 18 iunii 1959 (I C/59-489) circa praeparationem Oecumenici Concilii magno cum gaudio accepi. Et quamquam indignus formulandi sententias, consilia et vota, in verbo Eminentiae Vestrae cum omni libertate et sinceritate id faciam.

Doctrinae capita. Ad res doctrinales quod spectat, magno desiderio desidero quod definiatur Dogma de *Mediatione universali Beatae Mariae Virginis,* seu *Almae Redemptoris Sociae.* Nam fides populi christiani videtur admittere omnes gratias per manus Mariae ad nos pervenire. Theologi autem clare vident fundamentum mediationis in facto consensus Virginis in Mysterio Incarnationis et deinde in eius continua et perfecta animae unione cum Mysterio Redemptionis.

Disciplina cleri. Quantum in me est sentire et auscultare desideria populi christiani mihi commissi, uno verbo dicam: *Necessarium esse disciplinam cleri reducendam, inquantum possibile, ad illam perfectionem quae tempore Apostolorum vigebat, in virtute Evangelii.* Et ut facilius pandam mentem meam, de sequentibus capitibus loquar:

A) *Paupertas.* Disciplina nunc vigens est adeo ampla ut in multis regionibus non pateat illa discipulorum Domini conformatio quae in verbis S. Scripturae definitur: *Dominus pars haereditatis meae. Vende quae habes et da pauperibus. Ecce nos dimisimus omnia... domum... agros.*

Multi sunt sacerdotes qui de rebus materialibus magis curant quam de Regno Dei, et saepe saepius mercenarii videntur potius quam pastores. Certe exhortationes Summorum Pontificum ad paupertatis spiritum prosequendum, non omnino inutiles evadunt. Sunt quidam boni sacerdotes vere pauperes spiritu sed videntur necessarium aliquod *Statutum Paupertatis.*

En quomodo ego, in humilibus meis cogitationibus talem Statutum concipio:

1) Sacerdos saecularis, quamvis non sit reducendus ad statum paupertatis religiosae, tamen est aliquo modo segregatus a saeculo et a parentibus.

2) Licitum est ei de altare manducare, sed non videtur licitum de altare seiungere, post mortem ea quae titulo sacerdotii acquisita sunt.

3) Videtur igitur valde utile:

a) quod in unaquaque regione determinetur quantitas pecuniae pro congrua sustentatione;

b) quod in sacerdotali ordinatione promissio obtineatur de superfluo reducendo in unoquoque anno, et praecipue in fine vitae, in favorem Ecclesiae;

c) quod inhabilis declaretur sacerdos ad recipiendas haereditates quae ei possunt venire, necnon ad acquirenda bona immobilia praeter ea quae naturali successione ei obveniant.

Hoc modo mihi videtur omnes Dioeceses magna cum facilitate resolvere posse problemata sustentationis cleri infirmi et provectae aetatis.

Si hoc Statutum possibile non est, tunc videtur magni momenti aliquam formulam assecurationis stabilire in unaquaque natione, quae sacerdotes allevet de praeoccupationibus infirmitatis et senectutis.

Mihi videtur Statutum paupertatis multum facere ut sacerdotes parentibus minus adhaereant et liberiores evadant ad recipienda mandata.

B) *Habitus clericalis.* In regionibus nostris, forsitan ex imitatione aliarum regionum, sacerdotes paulatim habitum clericalem consuetum deponunt. Pauci sunt qui habitum talarem in viis ostendant. Et multi exprimunt desideria sua de reducendo habitu ecclesiastico quantum possibile ad mores laicorum.

Si bene attendimus ad hoc desiderium facile recognoscimus eum non ex recta intentione provenire. Tales enim sacerdotes non ex intentione apostolica ita procedunt sed potius ut facilius spectacula publica, quae clericis dedecent, frequentare possint.

Mihi in Domino videtur clerici, ubi mores civiles id non prohibeant, habitum ecclesiasticum, et si possibile talarem, ostendere deberent. Oportet enim in eorum spiritu magis ac magis incutere eos in mundo sed non de mundo esse. Accedit enim quod populo christiano multum placet videre sacerdotes suos in forma exteriori austeritatis, vere homines Dei et Ecclesiae, ad salutem animarum omnino intentos.

C) *Divinum Officium.* Multi sacerdotes curam animarum habentes sese plangunt de obligatione divini officii in diebus de praecepto. Sancta Sedes videtur iam posuisse principium reductionis, quando in Quadragesima ad tres lectiones reduxit officium nocturnum, et alium principium posuit quando diebus Maioris Hebdomadae aliqua officia vespertina et nocturna pro officio divino computat.

Forsitan optandum esset ut hoc principium ad munera pastoralia, diebus dominicis et de praecepto extendatur, v. g. ut sacerdotes, curam animarum habentes quando 2 vel 3 missas celebrant et aliis muneribus obeunt, ab onere divini officii, statutis clausulis ex parte dispensarentur.

D) *Distributio Sacerdotum.* In Dioecesibus septemtrionalibus Lusitaniae proportio sacerdotum est 1/1.000 fidelibus; in meridionalibus autem est 1/4.000. Nonne possibile erit mutuum auxilium praestare hac in re? Et si hoc auxilium etiam ad res oeconomicas extenderetur?

Lingua vernacula in Liturgia

Multi exoptant ut lingua vernacula, inquantum possibile, introducatur in parte catechetica tum divini sacrificii missae, tum sacramentorum administrationis.

Omnia haec Spiritui Sancto commendo qui Oecumenico Concilio assistet, et Sanctam Ecclesiam docebit.

Eminentiae Vestrae humilis servus
✠ Fr. Franciscus Rendeiro, O.P.
Episcopus Pharaonensis

9

Exc.mi P. D. DAVID DE SOUSA
Episcopi Funchalensis (Funchal)

Funchaliae, 27 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Ad hanc Dioecesim Funchalensem rite pervenerunt aestimatissimae Eminentiae Vestrae Reverendissimae litterae, diei 18 iunii 1959, Prot. I C/59-519.

Laudo Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico institutionem a Summo Pontifice Ioanne XXIII sicut et laudo Eminentiae Vestrae Reverendissimae nominationem in competentissimum dictae Commissionis praesidem.

Meum esse iudico fervidas preces ad Deum fundere ut Commissionis membra inspiret, labores dirigat Conciliumque Oecumenicum benedicat et felicissimum reddat pro universo catholico orbe, quinimmo pro universo humano genere, quod libentissime facio et faciam.

Quoad opiniones, sententias, consilia et vota Excellentissimorum Episcoporum atque Praelatorum, quae in Concilio Oecumenico tractanda erunt, nescio quid dicam. Nam Dioecesis ista longe est a magnis civitatibus sive Europae, sive Africae, sive Americae. Agitur quippe de Insula in medio maris perdita.

Audeo tamen illa proponere quae, ab indicto Concilio, quandoque in animum veniunt, nempe:

1) Christianorum omnium, immo totius generis humani, unificatio cum Christo, in Christo et per Christum, cum Eius Vicario, in Eius Vicario et per Eius Vicarium, ut reapse impleatur ardentissimum illud Divini Salvatoris desiderium: unitas ovilis et unitas pastoris;

2) profunda Catholicae Ecclesiae restauratio et innovatio, tum in corpore tum in anima ac si, hic et nunc, e latere Christi Iesu morientis foras exiisset;

3) reformatio *Codicis Iuris Canonici* ut nostri temporis exigentiis plane adaptetur;

4) reformatio Breviarii, Missalis et Pontificalis romani;

5) Sanctae Missae celebratio a Sacerdote fideles ante se habente;

6) precum finalium in Sancta Missa suppressio;

7) lectio in lingua vernacula saltem Sanctae Missae evangelii et epistolae sicut et in lingua vernacula administratio Sacramentorum Baptismi, Extremae Unctionis et Matrimonii, ut fidelium participatio vitalis reddatur;

8) codificatio sacrae Liturgiae legum;

9) unificatio kalendarii ecclesiastici;

10) Officialis totius Sacrae Scripturae in lingua latina translatio e textibus originalibus;

11) praeceptorum Ecclesiae de ieiunio et abstinentia adaptatio vigenti disciplinae;

12) urgentia ecclesiastici praecepti de communione in totius anni decursu, ut fit cum praecepto de confessione, et non tantum Paschae occasione;

13) sollemnis definitio dogmatica B. M. V. universalis Mediationis;

14) congrua Clericorum invalidorum pensio;

15) reformatio studiorum in Seminariis, praesertim in Philosophia et Theologia;

16) codificatio Sanctae Ecclesiae legum in materia sociali.

Et Deus, etc.

✠ DAVID DE SOUSA
Episcopus Funchalensis

10

Exc.mi P. D. DOMINICI DA SILVA GONÇALVES
Episcopi Aegitaniensis (Guarda)

Aegitaniae, 28 augusti 1959

I. Oratio quotidiana, brevis, obligatoria, etsi sub levi, omnibus fidelibus iniuncta, forsan semel Pater, Ave Maria, Gloria Patri et Credo mane et vespere. Impossibilis est enim vita christiana et vita moralis quidem sine oratione.

II. Necessitas alicuius Catechismi scientis et docti, brevis ad pueros, maior ad iuventutem, et perfectior ad intellectuales. Intellectuales enim, absque studio scienti et docto, etsi brevi, Religionis Divinae, tantum per miraculum eam diligere et exercere poterunt. Terribilis et incredibilis est ignorantia Scientiae Divinae Religionis apud intellectuales. Unde ille animi clamor Em.mi ac Rev.mi Cardinalis Ottaviani, Fatimae: « Etiam apud nationes christianas numerus catholicorum pavide minuit ». Poterat esse Cursus obligatorius a lege sacrata?

III. Coram horribili et criminosa ignorantia Scientiae Religionis, folia et periodica catholica etiam studiosissime apostolica esse debent.

Propterea debent: *a*) edere in lucem, aliquando saltem, capita de magnis dogmatibus et veritatibus moralibus, cum scientia, claritate et charitate scripta; *b*) edere in lucem Cursum aliquem, scientem et doctum, etsi brevem, Religionis, per successiva capita et aliquoties, cum eodem criterio, saltem per columnam unam, vel saltem mediam columnam.

IV. Obligandus non est Sacerdos, saltem sub gravi, magis quam ad unam horam orationis quotidianam. Et cum sit tam necessaria Meditatio, videtur valde conveniens relinquere ad libitum Sacerdotis Meditationem vel partem Divini Officii, exclusis semper: Matutino cum Laudibus, Prima et Completorio.

V. Imminuetur numerus Censurarum, vel saltem donetur maior facilitas earum absolutionis, ad peccatores in gratiam Dei trahendos.

VI. Cum Chorus Canonicorum, saltem in Cathedralibus, sit necessarius, ut obsequium Divinae Maiestati, ut oratio et orationis exemplar, valde convenit ut proximum Concilium Universale, sicut iam fecit C. Tridentinum, Chorum exigat, etsi ad simpliciorem formam redigendo eius leges et structuram. Iam immortalis Pontifex Pius XII, f. m., in postremo

Decreto magno ante eius mortem, die 3 septembris 1958, dixit, sub n. 42: « Retineatur ac foveatur recitatio Divini Officii in Choro ».

VII. Summus Pontifex Gregorius VII, f. m., decrevit ne fideles Sancto Missae Sacrificio ab aliquo Sacerdote notorie concubino assistant.

Etiam divus Thomas, in Summa Theologica (Pars Tertia, q. 82, art. 9) eamdem doctrinam defendit.

✠ DOMINICUS DA SILVA GONÇALVES
Episcopus Aegitaniensis

11

EXC.MI P. D. IOANNIS DA SILVA CAMPOS NEVES
Episcopi Lamacensis (Lamego)

Lamacae, 18 novembris 1959

Em.me ac Rev.me Domine,

Gratissimum mihi est mittere ad Eminentiam Vestram animadversiones quae mihi opportuniores videntur, quaeque per Prot. N. I C/59-716 requisitae sunt.

Tardiores quamvis, ob rationabilia motiva, sincerae et actuales sunt.

Faveat Eminentia Vestra morae indulgere ac me credere quo par est obsequio.

Addictissimus in Domino
✠ IOANNES DA SILVA CAMPOS NEVES
Episcopus Lamacensis

1. Ut mitigetur disciplina can. 132 § 1, coniuncti, quoad Sacerdotes, cum canone 1043, cuius exceptio supprimi posset, itemque cum can. 2388 § 1, necnon cum Decreto *Lex sacri coelibatus.*

Quod si Sedi Apostolicae opportunum non videretur de huiusmodi innovatione mentionem in Codice facere, ut saltem inter facultates habituales Ordinariorum loci haec dispensatio adnumeretur, datis, si expediret, instructionibus, etiam secretis, quod ad executionem.

2. Prae oculis habita diversitate consuetudinum regionalium, quibus innititur can. 136 §§ 1 et 3, perspectaque difficultate urgendae legis quae formulam nimis vagam « decentem habitum » interpretatur, eo vel magis quod clerici ceterarum nationum alii aliter induuntur, optandum esset ut Sancta Sedes, minimo contenta, omnibus clericis usum imponeret tan-

tum, extra sacras functiones, vestium laicis communium, nigri tamen coloris, et torquis romani.

Accedit quod plures Ordinarii locorum, ob venerationem erga antiquissimos mores, aegre ferunt suorum subditorum libertatem hac in disciplina.

3. Cum apud nos sacerdos excursiones, quas dicunt, aut peregrinationes comitans, non parum illis prosit, sive praesentia sua abusus cohibens, sive assistentia religiosa, quae secus ministrari vix potest, mitiganda aut supprimenda viderentur quae in Decreto N. 202/59 *De piis peregrinationibus ad celebriora Sanctuaria moderandis* continentur.

Sunt enim actu difficilia pro pluribus sacerdotibus atque multis nimis odiosa.

4. *a*) Ut totus liber II Codicis reordinetur accurataeque revisioni subiiciatur;

b) ut eiusdem libri Pars III ad maiorem simplicitatem et perspicuitatem redigatur;

c) ut in eadem parte III rite definiantur functiones consiliariorum (assistenti) religiosarum associationum, ubi ipsi parochi non sint;

d) ut in sedem propriam doctrina de Institutis Saecularibus introducatur ac de Actione Catholica ordinanda et regenda probe atque enucleate agatur.

5. Ut ad Codicem transeat nova disciplina de ieiunio et abstinentia, de Confirmatione et Eucharistia.

6. Apud nos ubique, etiam post Decretum *Lisbonen. et aliarum in Lusitania* anni 1918 datum, exsecutioni non datur lex respiciens beneficiorum provisionem, paroecialibus non exclusis.

Quare videretur lex esse abroganda aut urgenda, ne magistris Iuris Canonici difficultati ac alumnis admirationi haec contradictio sit.

7. Opportunum videtur evolvi can. 1524 doctrina socialis quae, post Codicis publicationem, per encyclicas, sermones, nuntios radiophonicos Pontificum dispersa invenitur.

8. Ut Missalis et Breviarii rubricae simpliciore ratione tradantur.

9. Ut ritus et caerimoniae in genere, et potissimum altarium et ecclesiarum consecratio, breviori temporis spatio absolvi possint.

10. Ut canonici et dignitates rocheto utentes non teneantur superpellicium superinduere dum sacra peragunt.

✠ IOANNES DA SILVA CAMPOS NEVES
Episcopus Lamacensis

* * *

Lamacae, die 10 decembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Nuper mihi pervenire fecit ad Oecumenicum Concilium suggestiones quasdam, Theologiae Dogmaticae magister in Lamacensi Seminario et Cathedralis Capituli librarius.

Faveat Eminentia Vestra, si placeat, iis animadversionibus quas die 13 novembris iam misi, eas adiungere ac me credere quo par est obsequio.

Addictissimus in Domino
✠ IOANNES DA SILVA CAMPOS NEVES
Episcopus Lamacensis

Lamego, 8 de dezembro de 1959

Exc.mo e Rev.mo Senhor Bispo de Lamego,

A corporação Capitular de Santa Igreja Catedral de Lamego informada pelo seu digno presidente em esercicio de que V. E. R. Lhe facultava a oportunidade de propor qualquer sugestão a apresentar ao projectado Concilio Ecumenico, exaron na acta da sessão de novembro proximo passado o seguinte parecer: « O Cabido foi de parecer que se restringisse o âmbito de possiveis propostas aos interesses ou problemas propriamente capitulares. Neste sentido foi aprovado o voto de que no futuro Concilio Ecumenico se actualize a legislação do cânon 418, no respeitante a obrigatoriedade das presenças. Acontece com efeito que varias respostas da Santa Sé, dadas em casos particulares, continuam a urgir com muita severidade o dever da assistência canonical a recitação do oficio divino em coro segundo as normas do Direito, tais respostas deveriam aplicar-se a casos similares. Ma no nosso Pais ou ao menos na nossa diocese praticamente os Capitulares não tem prebenda, pois o que recebem obriga-os ao onus de ensino. Non avendo remuneração, entendia-se que o disposto no 428 não devia obrigar sub grave ».

Deus guarde a V. E. Rev.ma

C. P., *Segretário*

1. Cum in votis SS. Domini nostri Papae Ioannis XXIII illud praecipue emineat, congregatio gentium quae se nomine christiano decorantur in suum maximum negotium erit intimam at maturam Sanctae Matris Ecclesiae ita proponere, ut, post Synodum Vaticanam, integra doctrina de Sponsa Christi habeatur. Insignem tractationem de Romani Pontificis Primatu eiusque praerogativis Concilium sub Pio IX adlectum porregit. Nunc ut magnum opus inceptum suam accipiat coronationem optare fas sit.

Ipsi naturae Ecclesiae, quatenus sit Corpus Christi Mysticum, incumbant theologi nosque doceant tum infallibiles illas relationes quibus Christi fideles Patri, Filio et Spiritui Sancto coniunguntur et sibimetipsis copulantur, cum, ut ita dicam, « situationem » authenticam Ecclesiasticae Hierarchiae in uno Corpore Christi.

Expositio haec nequit non esse stricte dogmatica, iuxta fontes divinae Revelationis; sed, ut apparet, quodvis conamen verae unionis prae se fert unitatem fidei circa naturam Ecclesiae.

2. Inter alias quaestiones alicuius momenti, forsitan oporteret rursus ponere in mente et in praxi sententiam illam Ignatii antiocheni de sacerdotio:

« ... Episcopo praesidente loco Dei et presbyteris loco senatus apostolici... ».

Adeo abesset haec consideratio a deminutione episcopalis dignitatis, ut eam valde augeret. Etenim vero assimilatur quod imitatio civilis societatis in detrimentum Ecclesiae persaepe vertit.

3. Ne dispositiones mere disciplinares impediant quominus grex Christi in suum ovile redigatur.

Caelibatus tamen ecclesiasticus adeo cum vita christiana connectitur ut in eo tantummodo per transennam, ad unam generationem..., sit dispensandum. Quod non vetat commiserationem de statu miserando clericorum lapsorum, qui, fidem servantes, pluribus in casibus, possent digne vivere more laicorum.

4. Futurum Concilium Oecumenicum magnas sibi fontes populi christiani conciliabit, si efficaciter promoveat incrementum studiorum in Se minariis et ubique catholicas universitates erigat.

5. Magna illa congregatio bene faciet, si sub Dei Genetricis patrocinio se committat. Non tamen erit optandum quod incipiat per theses mariologicas. Si — audiat me Deus! — unio inveniatur, tum universalis Ecclesia laudes SS. Virgini merito persolveret, dogma de Mediatione Dei Genetricis proponendo.

✠ IOANNES DA SILVA CAMPOS NEVES
Episcopus Lamacensis

12

EXC.MI P. D. IOANNIS PEREIRA VENÂNCIO
Episcopi Leiriensis (Leiria)

Leiriae, 30 decembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Pauca admodum mihi suggerenda veniunt de rebus quae forte in futuro ac auspicatissimo Concilio Oecumenico tractari poterunt.

In paucis his rebus praesentandis non satis attendi ordinem quaestionum logicum sed fere prout res se menti praebuere, de quo veniam peto.

Quaestiones vero particulares ac suggestiones quas considerandas esse putarem hae fere sunt:

De re dogmatica

Momentum et valor dogmaticus revelationum privatarum, non quidem certissime ad Depositum Fidei augendum, cum revelatio publica morte Apostolorum sit clausa; sed forte, et non sine magno timore hoc dicam, revelationibus privatis sedulo ac serio examini subiectis vel subiiciendis et argumentis historicis firmatis magis attendendum in iis praesertim omnibus quae ad vitam christianam fidelium fovendam et nutriendam respiciunt. In genere, videtur inter doctores, et etiam Episcopos non paucos, quoad omnes revelationes privatas summum vigere despectum. Nonne hic habetur fundamentalis despectus Dei qui liberrimus est in donis Suis elargiendis et cum animabus Sese communicandi?

Duplex, ut videtur, scopulus vitandus: et nimia credulitas qua omni spiritui *crederetur* et summa ac velut *aprioristica* cuiuscumque revelationis privatae contemptio.

Munus Beatae Mariae Virginis in Ecclesia strictius definiendum maxime Eiusdem Maternitas Spiritualis, Mediatio gratiarum Universalis necnon generis humani Corredemptio.

Theologia apostolatus laicorum, eorum munus in Ecclesia exponendo et num et quo sensu ipsos prae mente habuerit Christus Dominus in verbis a Matthaeo relatis: « euntes, ergo, docete.omnes gentes, etc. ».

Doctrina tantopere nostris praesertim temporibus apta ad pietatem christianam solide fovendam, « Corporis Mystici » dicta, eandem scil. clarius exponendo ac iniungendo ut in omnibus compendiis tum pro Seminariis tum pro laicis locum teneat.

Quoad catholica dogmata in genere, maximae, puto, esset utilita-

tis rationem ostendere qua reapse, iuxta omnium optata, hodie in Sacra Theologia enucleanda commodius exponenda essent, ut nempe nostrorum temporum mentibus absolutius ac utilius et simul quam tutissime accommodari possent.

Quamvis enim uno ore omnes de huiusmodi optatis loquentur sive in libris sive in publicis conventibus aliisque coetibus et confabulationibus, nemo tamen, quod sciam, viam ipsam stravit. Ratio autem huius defectus reponenda videtur in maximis difficultatibus quae in huiusmodi accommodatione habentur superandae. Optimum sane esset si Concilium iter ostenderet quod inoffenso pede percurri posset.

Accommodatio autem illa legitima certissime est, nam et ipse i. m. Summus Pontifex Pius Papa XII de ea loquitur in gravi Enc. *Humani Generis,* cum dicit: « Quodsi iidem ad nihil aliud intenderent quam ad disciplinam ecclesiasticam eiusque methodum hodiernis conditionibus ac necessitatibus, nova quadam inducta ratione, aptius accommodandam, nulla fere esset causa timendi... ».

De re biblica

Aliqua, et quidem magni ut puto momenti, necessaria videntur.

Et imprimis, quaestio fundamentalis de Sacrae Scripturae inspiratione, praesertim in iis quae ad inerrantiam spectant in tuto ac clariore luce ponendam; post vero, normae exoptarentur apertiores de recta interpretatione primorum undecim capitulorum Libri Genesis et, in genere, quo sensu Libri quidam Veteris Testamenti historici nuncupari possint ac debeant.

De Iure Canonico et Theologia Morali

Can. 1076 § 2: impedimentum consanguinitatis in linea collaterali ad primum et secundum gradum redigere; in impedimento vero affinitatis, pariter lineae collateralis (can. 1077) ad primum dumtaxat — difficile enim est ab huiusmodi nuptiis arcere fideles.

Can. 1096 § 1, in fine, ubi dicitur *secus irrita est,* immutare in *secus illicita est.*

Can. 1247 § 1, dies festi sub praecepto in universa Ecclesia ad dies dominicos et festa Nativitatis, Sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genetricis Dei Mariae et Omnium Sanctorum consultius forte minuerentur.

De re liturgica

Linguam uti dicunt vulgarem permittere in Sacramentis administrandis, in funeribus ac generatim in Processionibus liturgicis; in parte insuper catechetica Missae Sacrificii, ita ut integra *ante-missam,* vel saltem Epi-

stola cum canticis gradualibus etc., Evangelium et Credo patrio sermone dici possint; in quibusdam etiam Horis Canonicis v. g. Prima, Vesperis et Completorio, ut nempe una cum populo facilius recitari valeant.

Publica reddere et simul permittere ut lingua vulgari fiant quaedam Pia Exercitia iam in usu inter fideles, utputa sic dictas *Para-Liturgias* et *Vigilias Biblico-Liturgicas.*

Decernere ut Missa incipiat ab *Introitu* et benedictione sacerdotis absolvatur; Oratio Secreta — super oblatas — cantetur in Missis Sollemnibus, in aliis vero idque etiam quoad totum Canonem alta voce proferri possit; Canon vero ne initium sumat antequam finiatur cantus *Sanctus et Benedictus,* facta insuper facultate Celebranti ac Ministris idem cantandi; in Missis in cantu celebrandis Sacerdos ne recitare teneatur textus ab aliis, Ministris et Choro scil., proferendis, ut iam fit in Hebdomada Sancta instaurata.

Officium Divinum reformare in iis praesertim quae Sanctorale respiciunt et prae mente habere exigentias pastoralis hodiernae ad quasdam Horas Canonicas fortasse imminuendas — vel potius, forsan, distinctionem inducere vel instaurare inter Officium Monasticum proprie dictum, pro iis scil. qui ad Chorum in monasteriis tenentur, et Officium quod privatim recitandum est.

Obligationem directe imponere Clericis, praesertim Sacerdotibus, etsi forte sub levi tantummodo, tertiam saltem Rosarii partem quotidie recitandi, Sanctissimum Sacramentum item quotidie invisendi, orationi mentali, pariter quotidie, per quadrantem saltem sese tradendi, ad Sacramentum Confessionis post dies quindenos, ad minus, accedendi.

Usum albae omnibus permittere, clericis vel laicis, qui munere aliquo liturgico reipsa funguntur — acolythis, scil. lectoribus, cantoribus, etc. — dummodo omnia decenter fiant.

Concelebrationem permittere in Feria Quinta Hebdomadae Maioris, tum si Episcopus praesidet tum si alius quivis Sacerdos.

Sacram Communionem omnibus permittere, etiam Sacerdotibus, qui Celebrationi Paschalis Vigiliae ac Missae intersint etsi postea Missam propriam Dominicae Resurrectionis velint vel teneantur etiam bis vel ter celebrare.

Permittere pariter Episcopo eandem Vigiliam celebranti et postea Missam Pontificalem Paschatis litare nolenti, ut Missam Paschatis devotionis causa celebrare possit.

Vehementer dissuadere vel etiam districte vetare in caeremoniis liturgicis usum sic dicti Organi Electronici.

En, Eminentissime Princeps, quae mihi pro modulo suggerenda venere.

Hoc autem impensissime rogo ut me tot laboribus quotidie obrutum excusatum pro benevolentia et quidem maxima habeas quod tam sero tamque exigue ac sermone non castigato Litteris Tuis obtemperaverim.

Interim Eminentiae Tuae Reverendissimae servum obsequentissimum pariter ac humillimum me subscribo

✠ IOANNES PEREIRA VENÂNCIO
Episcopus Leiriensis

13

EXC.MI P. D. AUGUSTINI I. LOPES DE MOURA
Episcopi Portalegrensis-Castri Albi (Portalegre-Castelo Branco)

Portalegre, le 29 avril 1960

Eminence Révérendissime,

La lettre du 18 juin 1959 — Prot. N. I C/59-1048 — que Votre Eminence a bien voulu m'adresser, m'a trouvé sous le coup d'un accident d'automobile, dons j'ai dû subir les conséquences trois mois durant.

Il m'a semblé après qu'il serait déjà trop tard pour envoyer une réponse encore utile; la lettre, qui m'est parvenue, voici un mois, signée par le Secrétaire de la Commission à laquelle Votre Eminence donne le prestige de Sa haute Présidence, m'a heureusement rassuré.

C'est donc avec la plus profonde satisfaction que p'ai l'honneur de faire parvenir à Votre Eminence quelques suggestions en vue du Concile.

Si le Très Saint Père, à Qui je n'ai pas encore présenté personnellement mes hommages de très filial respect et de vénération très émue, daigne en faire la lecture, j'en receverais une des plus exquises consolations de mon Episcopat.

Je profite de cette occasion pour exprimer à Votre Eminence ma joie ecclésiale pour la grâce que Notre Seigneur a accordée a Son Eglise en Lui rendant une santé si précieuse pour tous.

Avec mes vœux fervents pour une chaque jour plus efficace préparation du Concile — incomparable Espérance chrétienne de notre temps — je prie Votre Eminence de daigner accepter l'expression respectueuse de ma haute estime et de ma vénération cordiale.

✠ AGOSTINHO DE MOURA, C. S. Sp.
Evêque de Portalegre-Castelo Branco

N. B.: Je m'excuse d'écrire en français pour mieux rendre des nuances qu'impose la complexité du sujet.

1. But suprême:

Organisation systématique de l'effort plénier de toute l'Eglise et de chacun de ses membres pour collaborer à l'indéniable et toujours actuelle efficacité de la prière de Notre Seigneur Jésus Christ pour l'Unité, à tel point que l'Eglise toute entière devienne, dans les aspects de sa vie chrétienne, un miroir de l'Unité Trinitaire, « afin que le monde croie... et que le monde sache » (*Io.* XVII, 21, 23).

2. Moyens:

Continuer ou promouvoir partout et en tout la seule réaction salutaire pour des chrétiens, c'est-à-dire, penser et enseigner, vivre et agir selon les exigences de l'unique Réalité qui aura part à l'eternelle Béatitude de Dieu: le Corps Mystique.

A) Penser et enseigner:

I. Refaire, en collaboration œcuménique, la synthèse de la doctrine dogmatique, morale, juridique, liturgique, socio-pastorale, à la lumière toujours éblouissante du Corps Mystique.

II. Imposer cette synthèse comme canevas à tout enseignement religieux à partir du Catéchisme jusqu'aux études universitaires.

B) Vivre et agir:

A la lumière du Corps Mystique faire la révision de toute la législation ecclésiastique, de toutes les coutumes ecclésiales et de tous les aspects concrets de la vie des chrétiens, individuelle, familiale, sociale.

Quelques exemples:

Faire l'unité organique et dynamique du Corps Episcopal aux niveaux national, international-régional (v. g. Europe Occidentale) et mondial, en établissant au Vatican une Secrétaire Œcuménique, dont la mission serait unifier toute l'Action Hiérarchique à ces différents échelons.

Remettre les Religieux et les Religieuses du monde entier dans la Pastorale d'ensemble, en supprimant les privilèges d'exemption autant qu'il est nécessaire pour travailler en Corps Mystique à plein rendement ecclésial.

Supprimer toute marque d'individualisme du Clergé diocésain par l'organisation de la vie commune en esprit de pauvreté personnelle et en plénière responsabilité communautaire. Cette vie commune est contraire à l'insertion de personnes mariées dans le Clergé.

Pousser tous les chrétiens à la compréhension consciente de leur « sacerdoce royal » dans le Corps Mystique qui est un appel permanent à la consécration de leur vie au service de Dieu, soit d'une façon commune par la consécration matrimoniale, soit d'une façon spéciale par la

consécration virginale dans un Institut religieux, dans un Institut séculier ou par insertion directe dans la Communauté Diocésaine au service de la Pastorale Episcopale. Pour cela, il faudrait que le Concile institue des Séminaires pour Chrétiens Militants comme le Concile de Trente en a institué pour les Clers.

✠ Agostinho de Moura, C. S. Sp.
Evêque de Portalegre

14

Exc.mi P. D. ANTONII FERREIRA GOMES
Episcopi Portugallensis (Porto)

Valentiae Edetanorum, 27 aprilis 1960

Em.me ac Rev.me Domine,

Grates imprimis Eminentiae Tuae Rev.mae ago habeamque quam maximas quod humanissime me responsionis defectu ad litteras die 18 iunii 1959 datas, per novas litteras N. I C/59-1055 bis die 21 martii 1960, monuisti.

Re enim vera cum, mense iulio anni proxime elapsi, de consensu ac consilio Sanctae Sedis, temporarium exitum e Lusitania pararem, enixe Episcopo tunc Auxiliari praesentibus iam quibusdam ecclesiasticarum scientiarum professoribus commendavi ut, re cum ipsis aliisque collata, consilia et vota enuclearentur, quibus ad me transmissis et adhuc consideratis, mandatum Eminentiae Tuae Rev.mae adimplere melius possem.

Peregre profectus semel atque bis de re Episcopum tunc Auxiliarem in scriptis interrogavi. Nullo accepto responso, indirecte tandem aliqualiter mihi cursus rerum innotuit, de quo non existimabam amplius loquendum.

Cum, hoc iam mense aprilis incipiente, Administrator Apostolicus per interpositas personas mihi litteras 21 martii datas remisit, nescio quid innuebant de responsione mittenda « secunda via » (quin de aliqua alia via quid firmiter noverim). Tandem aliquando re cum hispanico Episcopo non residentiali collata et litteris istius Pontificiae Commissionis accuratius relectis comperi quaestiones non tam sedes dioecesanas quam personas Episcoporum respicere.

Haec quaeso mihi quasi dictu digna indulgeantur ne minoris aestimationis aut curae reus erga mandatum quo Eminentia Tua Rev.ma me honoravit videar.

Quod munus nunc demum pro viribus et circumstantiis praestabo foliis huic adnexis.

Sensus rursus meos pergratos aperiendo, ad mandata et desideria Eminentiae Tuae Rev.mae gratulanti animo obsequentissimum me profiteor. Quae dum praestolor, omnia fausta a Deo adprecans, me habeas rogo

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mum in Domino

✠ ANTONIUS FERREIRA GOMES
Episcopus Portugallensis

Unio christianorum simul ac verae Religionis profectus peculiaris quasi scopus obiectusque Concilio coaptando ac dirigendo a Summo Pontifice propositi apparent. Huic muneri obeundo maximi emolumenti fore videtur si Ecclesia Dei temporis ac mundi tandem unius nostratibus pateat quasi verus sincerusque tum christianorum omnium tum christiani spiritus universi locus et simul ut aegis ac tutamen summae fidei ultimaeque spei in Deum Creatorem ac Servatorem humani generis.

Omnia itaque videtur ad duplex caput redigi posse, sc. sub lumine duorum ecclesiasticae scientiae tractatuum consideranda, nempe *De Ecclesia* ac *De Deo Uno.*

Per se patet in utroque tractatu plurima, si non omnia, sub respectu tum dogmatico tum morali, liturgico, disciplinari, etc. adeunda; cum vero in Vaticano Concilio quaestiones de Reformatione locum seu potius examinis ac defectionis tempus non habuerint, satius forsan videbitur ad hoc aliquali non minori studio discussiones theoreticas etiam referre. Qui tamen aspectus hoc loco mihi non omnia ac singula ad unguem referenda videntur.

I - DE ECCLESIA CHRISTI

A) *Praesupponenda*:

Aetas seu rythmus constantinianus qui dicitur iam explicuit, quibusdam tantum reliquiis supersedentibus. Omnes ideo fere habitudines Ecclesiae quum ad principes tum ad populos — ipsissima relatione populi ad principatum immutata — novis historice rerum conditionibus erunt accommodanda, quod certo certius in ipsa accidentali Ecclesiae structura mutationes quasdam desiderabit.

Plures immo forsan plurimae temporum ac rerum circumstantiae quae, ab exeunte Medio Aevo maxime vero a Concilio Tridentino, in Ecclesia

motum seu tensionem centrum versus suaserunt iam amplius non valere, quin immo fortasse quamplurimae in contrarium vergere, maxime quae primum scopum Concilii respiciunt, viris historicis non uno nec minimo videntur, quod ad meliorem frugem prae oculis semper habendum erit, in rebus conformandis aut reformandis.

Protestantica haeresis vim internam iam ut talis amisit, normali cursu haeretico peracto; rationes tantum extrinsecae, superbiae ethnicae, nationalismi, individualismi, praeiudiciorum contra Ecclesiam, confusionis eius cum humana cultura maxime latina, obsolescentis aut obsoleti aspectus etc. christianam unitatem remorantur. Idem fere de schismate graeco valent. Plurimae illae rationes in contrarium nunc vertuntur, quarum igitur reliquiae effectusque resolvendi erunt.

Instauratio omnium in Christo seu consecratio mundi nullo modo amplius intelligitur in sensu societatis sacrae seu reipublicae christianae sub catholico principe qui munere religioso fungatur. Secessio ergo quaecumque civilis haeresis aut schismatis causa seu mera politica disquisitio immo vero simplex istiusmodi suspicio valde progressui Religionis officere videntur.

B) *Res tractandae*:

Dogmatica Constitutio *De Ecclesia,* quoad ea quae in C. Vaticano locum non habuerunt, resumenda erit.

De Episcopatu quum ius divinum definiendum ac declarandum tum ecclesiasticum circa modum creationis, constantiae ac decessus stabiliendum. In iure hoc concinnando circa omnia et singula positiva valde desideranda disciplinae unitas in universo catholico orbe; quo faventius accipiendus concursus catholicorum quum in Clero tum in Laicatu existentium eo magis civilium potestatum influxus ab hoc toto negotio removendus.

Instituta ordinataque Ecclesia a Divino Fundatore e summo deorsum, conveniens videtur, iuxta pristinam traditionem ad novas res accommodandam, ut quam maxime designatio eorum qui ex hominibus assumptis pro hominibus constituuntur quasi influatur ab immo sursum. Vox populi, optimi cuiusque procul dubio, in eligendis provehendisque altaris ministris magis magisque audienda; Episcopi assumendi e coetu sacerdotali non sine aliquo concursu aut quasi afflatu ipsorum sacerdotum erunt; in designando Archiepiscopo uniuscuiusque Provinciae Episcopi comprovinciales maximi emolumenti habendi; in deligendo tandem Summo Pontifice aliquis totius orbis catholici influxus Archiepiscoporum salubriter animos afficeret et ut ita dicam oculos omnium obtunderet catholicitate et hierarchia ordinatione totius Ecclesiae.

In hac quasi hierarchica pyramide, ne de Summo Pontifice loquar, potior est creatio Episcoporum. Ad hoc et similia munera Ecclesiasticae Provinciae videntur ad pristinae disciplinae modum ac momentum reducendae immo forsan provehendae, ne a collusionibus nationalibus ecclesiastica vita absorveatur. In prima suggestione seu propositione ad episcopatum promovendorum in unaquaque Provincia Episcopi actu existentes optimi consilii esse possint.

Creatus quomodolibet Episcopus Ecclesiae suae particularis sponsus non verbo tantum sed in vero et reali mystico sensu est habendus ab omnibus utique imprimis autem a semetipso. Traditio Ecclesiae suae, cum peculiari sensu religioso, et prospectus ad futurum necnon et vox ecclesiastica suorum tum sacerdotum quum laicorum sibi assumenda ac exprimenda erunt, « providentes non coacte sed spontanee secundum Deum ». Si ita sint « forma gregis ex animo », non mihi ut insuperabilia incommoda illa quae Ecclesiae ex plerumque provecta quandoque devexa iam aetate episcoporum obveniunt. Sin minus personaliter quasi desuper dati et insuper remanentes se habere volunt, non video quomodo vitari possit « limes aetatis » de quo iam multi loquuntur; quae tamen generalis designatio limitis mihi contra traditionem melioremque sensum episcopatus cedere videtur.

Concilii etiam doctrinam de Corpore Christi mystico expolire et ad captum catholicorum et acatholicorum accommodare, sub specie unitatis, erit.

Ad hoc addenda accurata consideratio doctrinarum de Beatae Mariae Virginis mediatione, de Ipsius munere in opere Redemptionis ac de Maternitate erga Ecclesiam et fideles.

Examini subiicienda videtur necessitas aut utilitas admittendi ad Diaconatum viros matrimonio coniugatos; itidem utrum praestantiora munera virginibus consecratis sint deferenda. Quae quaestiones cum utilitate Ordinum minorum servandorum connexae veniunt.

Disciplina sacramentalis, signate v. gr. de admittendis adultis aut filiis practice infidelium baptismo et communioni, de baptismo haereticorum, de praxi poenitentiali de readmissione aut reductione ad statum laicalem clericorum deficientium, de impedimentis matrimonii ac de eorum relaxatione, de usu ipsius matrimonii, haec et similia utiliter evolventur.

Recollectio et quasi collectiva ratihabitio doctrinarum de re politica et oeconomico-sociali a Summis Pontificibus sensim et pro rerum adiunctis enucleatarum ultimo ac praesenti saeculo, simul ac definitio obligationis moralis eas saltem theoretice profitendi ad integritatem fidei ac morum, magni momenti et emolumenti essent.

Sollemnis pronuntiatio de generali habitudine Ecclesiae ad civilem

potestatem cum formali ac definitiva renuntiatione « directae potestati » in temporalibus necnon et his omnibus iuribus et muneribus quibus Medio Aevo, iuxta publicum ius tunc vigens ac de consensu christianorum populorum functa est, simul cum acceptatione iuris communis sensu democratico intrepretati et tandem cum improbatione formali cuiuslibet oppressionis conscientiae ad modum civitatis sacrae medio-aevalis aut inquisitionis civico-ecclesiasticae, huiusmodi conciliaris pronuntiatio multum procul dubio iuvabit ad spiritualem potestatem augendam quin et ad perviventia praeiudicia explodenda.

Cum apud non paucos, maxime Protestantes, Liberales Graecosque quamplurima vigeant adhuc praeiudicia de Ecclesia quasi mera Imperii romani translatio sit et de Pontificia potestate non quasi vinculum fidei ac caritatis ad confirmandos fratres sed potius quasi species regalis quondam absolutismi, omnia videntur in iure, formulis, locutionibus, caeremoniis et ritibus cuiuscumque gradus Ecclesiae ad spiritalem sensum apprime aptanda necnon et ab omni specie civilium sollemnitatum ne dicam praestigiarum expurganda.

Omnis habitudo Ecclesiae quum ad principatum tum ad populum reconsideranda videtur iuxta mentem et quodammodo praeiudicia temporis. Habitudo ad populos magis magisque videtur habitudini ad principatum praevalere, simul cum conscientiae religiosae personalis non politicae nec nationalisticae progressu. Omnia tum in Concordatis concinnandis, si utiliter concinnetur, tum in relationibus diplomariis aliisque istiusmodi ducendis negotiis, videntur ita limanda ne Ecclesia appareat, etiamsi sub dubia immo mala fide, ut « potentia extranea », Episcopi autem ac si nuntii illius potentiae sive Vaticani (!) ut personae « gratae » aut non gratae habendi sint.

In haec et similia potius quam in rationes dogmaticas impingenda culpa irrationabilis cuiusdam protestanticae ac liberalis praelationis « Ecclesiae spiritualis ».

Sub hoc eodem respectu dispensationes matrimonialium impedimentorum, maioribus quibusdam exceptis, facultates ad benedictiones et indulgentias impertiendas aliaque indulta minora melius ad Curias dioecesanas deferrentur. Taxae, si quaedam, irrogatae multae aut caritatis pietatisve fovendae sensum praeclarum praeseferrent, ad opus satis cognitum et vulgo aestimatum tribuendae.

Censura etiam et prohibitio librorum, quoad modum et praxim, conditionibus temporis libertatique conscientiae, immodice quidem ac morbide quandoque cultae, non satis attendere videtur, adeo ut pluribus prudentibus officere magis in genere Ecclesiae quam in individuo animabus prodesse appareat. Disciplina haec responderet forsan conditioni societatis

in qua nihil sine multiplici privilegio in publicum edebatur, minus autem nostrae e diametro contrariae et quae potius aborreat a conceptu reipublicae christianae. Pro maiori efficacia positiva incommodisque vitandis munus tuendae fidei morumque servadorum potius in definitione ac declaratione errorum contentorum quam in mera prohibitione librorum reponendum. Censura praevia et vigilantia ne ederentur mali libri a Curiis dioecesanis discreto modo efficerentur; appositio *imprimatur* in ipso libro satius facultativa, quasi commendatio, relinqueretur. Index librorum prohibitorum nec efficax, utilis, temporaneus, completus neve spiritui temporis accommodatus videtur; aliter ideo providendum.

II - De Deo Uno

A) *Praesupponenda*:

Christus Dominus Ecclesiae munus commisit non tantum fructus Redemptionis impertiendi sed etiam omnes homines ducendi ad Patrem Creatorem ac Servatorem, cum sensus religiosus naturalis Religionem supernaturalem praecedat condatque.

Universale ac enorme factum atheismi, tum militantis tum torpidi atque serpentis, sub considerata Divina Providentia in historia, aliquid certo certius praenuntiat aut innuit: forsan necessitatem cuiusdem sincerioris, profundioris, operosioris Divinitatis conceptus.

Atheismus philosophicus ac scientificus in historia moderna et contemporanea iterum atque iterum locum cedit « salutis philosophiis » atque « redemptioni scientificae ». Apud non paucos positio negativa est potius contra « deum otiosum » aut contra imminutos vulgo conceptus religiosos.

Primitivi et inculti populi, suis ruentibus superstitionibus ac idolatriis, ad Deum unum potius quam ad Redemptionem proxime accedent. Hoc demonstrare videtur progressus mahometismi pro christiana veritate inter afro-asiaticos populos. Processus ille unificationis culturalis, progressus scientifici ac technici vi hodie celerrimus, adhuc communismo religiose agetur et expoliabitur; quod tandem aliquando sensum primigenium Deitatis liberabit.

Internationales populorum coetus consortionesque, cum non possint iamiam positivam religionem colere, melius coalescere valeant in agnitione Summi Creatoris ac Servatoris ordinis moralis ac iuridici in mundo (qui sensu christiano certissime intelligetur).

Etiam nationes illae quae catholicam traditionem integre servant facilius et stabilius in illo communi fundamento cum magnis populis concurrent, quod suo catholico more profiteant colantque.

B) *Res tractandae*:

Resumenda Constitutio *De Fide Catholica* ut theologicam Fidei notionem pro posse expoliatur et ad sua consectaria ducatur maxime circa irrationalismum, traditionalismum, existentialismum et falsum ac verum humanismum.

Concilii maxime interesse videtur quaestiones solvere de munere Fidei salvifico, de fide necessaria ad salutem, de modo et mensura notitiae veritatum necessariae, de salute Christum non cognoscentium aut perverse iudicantium citra culpam, de valore salvifico primi actus libertatis in infantibus, de lege naturali, de ordine morali universali, de fide et cultu Status civilis.

Moralis habitudo et postulata Fidei profitendae, seu ut hodierno quasi idiomate utamur, viventia existentiaque religiosa valde erunt consideranda: « deus otiosus » civilitatis ac socialitatis modernarum est explodendus, restaurato pristino conceptu fidei *in Deum* seu fidei vivae et salvificae.

Sub hoc eodem respectu etiam disciplina poenitentialis, sacrae exomologesis occasione, sedulo erit consideranda, ratione habita scandali infidelium ac philosophorum non semper irrationalis cum agitur praecipue de maximis facinoribus aut de vita catholicorum conspicuorum in ordinaria iniustitia sive in recidiva immoralitate viventium.

Ordo etiam et valor relativus Dei mandatorum erunt consideranda, sub respectu inversionis quae in praxi operatur inter primam et alteram tabulam, cum consequenti infirmitate ac deviatione huiusce: pronuntiatio sollemnis de recto ordine Caritatis desideratur.

In Liturgia et cultu praestando haec omnia et similia luculenter debent fidelibus infidelibusque constare. In calendario universali festa desiderantur Dei Conditoris humani generis, Auctoris naturalis legis, Servatoris ordinis moralis ac iuridici, Remuneratoris, Divinae Providentiae, gratiarum Actionis pro acceptis beneficiis, Fraternitatis humanae sub Deo Patre (sive Paternitatis Dei).

Cum qualitas seu ut aiunt typus humanus sanctitatis in Canone Ecclesiae, sub specie quarumdam singularitatum maxime autem hierographicorum auctorum non paucorum, apud multos hodiernos non aedificationem sed potius aliqualem suspicionem immo scandalum provocent, facilis patet aditus illis ad cultum Dei Summi promovendum festis. Forsan in Calendario et Breviario Universali retinendi Sancti illi quorum vita, historice utique comprobata incontroversaque, universale exemplar nostratibus adultis atque excultis offerre posset; inducta sicut modo fit

Ordinibus et Congregationibus peculiari cultu pro Dioecesibus, consociationibus, coetibus infantium, iuvenum, foeminarum, etc.

Pronuntiatio etiam sollemnis de Ecclesiae habitudine ad modernos humanismos qui dicuntur sc. de ipsa Ecclesia quasi nihil humanum, iustum, progressivum, personae cuicumque humanae utile respuente sed homines adultos et quam maxime res mundanas et institutiones colentes ac dominantes ad Deum O. M. in Christo manifestatum ducente, talis pronuntiatio multum, ratione habita populorum sub communismo et eorum qui nunc tandem ad civilitatem et cultum vitae oeconomico-socialem accedunt, iuvaret.

Haec maxima capita erant quae mihi, aperto ac sincero pro lubitu animo, videntur Concilio futuro observari.

✠ ANTONIUS FERREIRA GOMES
Episcopus Portugallensis

15

EXC.MI P. D. ANTONII VALENTE DA FONSECA

Episcopi Villaregalensis (Vila Real)

Prot. N.° C. O. 145/59 Villaregali, 27 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Inter res vel quaestiones in futuro Concilio Oecumenico pertractandas, praeter eas quae iam a Summo Pontifice nuntiatae sunt, nempe quaestiones de Ecclesiae unitate, de *C.I.C.* revisione necnon de disciplina cleri populique christiani, puto includendas esse sequentes:

1. Definitio praecipuorum capitum doctrinae christianae circa errores his temporibus grassantes necnon horum condemnatio.

2. Quaestio dicta socialis et iustitiae socialis codicis editio.

3. Revisio Ecclesiae praeceptorum, forte abolendo ieiunii praeceptum, ut minus consonum nostris temporibus, et aliud addendo praeceptum, nempe ut fideles clerum adiuvent in fidei defensione et propagatione.

4. Revisio iuris liturgici eiusque codificatio.

5. Quaestio de ampliore usu linguae vulgaris, tum in sacramentorum administratione, tum in ipsa missae celebratione.

6. Quaestio de adoptione Calendarii perpetui loco nostri Calendarii actualis.

7. Revisio Breviarii, Missalis, Ritualis ipsiusque Pontificalis et Caeremonialis Episcoporum.

8. Revisio ipsius formae consecrationis vini, in qua supprimenda videntur verba « mysterium fidei », potius dicenda post verba consecrationis panis, dum celebrans genuflectit.

9. Quaestio de mediis vel modis melius diffundendi verbum Dei, tum apud nos, tum in terris missionis.

10. Catechismus parvulorum et Catechismus adultorum, uterque cum commentario ad lectionem publicam adaptato.

Ad minutiosiora consilia et vota non descendi, cum fortasse haec potius desiderarentur; at ad haec paranda tempus valde exiguum erat et praeterea, quis sum ego ut Sanctae Sedi vel tam illustri Commissioni quae potius pertractanda sint in Concilio Oecumenico proponam?

Non possum autem non respondere Eminentiae Tuae litteris diei 18 iunii decurrentis anni (Prot. N. I C/59-1451); ideoque — et hac tantum ratione — ausus sum quae supra proposita sunt proponere.

Interim, qua par est reverentia, me profiteor

Eminentiae Tuae
addictissimum servum in Domino
✠ ANTONIUS VALENTE DA FONSECA
Episcopus Villaregalensis

16

EXC.MI P. D. IOANNIS PANICO

Archiepiscopi tit. Iustinianensis, Nuntii Ap. in Lusitania

Prot. N. 77-452 Lisbona, 17 ottobre 1959

Eminenza Reverendissima,

Con riferimento al venerato Dispaccio N. I C/59-1683, in data 13 luglio scorso, e facendo seguito al mio rispettoso Rapporto N. 32-134, in data 22 dello stesso mese, ho l'onore di rimettere alla Eminenza Vostra Reverendissima alcuni suggerimenti, riguardanti argomenti da trattare nel prossimo Concilio Ecumenico. (Allegato)

Purtroppo, per motivi indipendenti dalla mia volontà, non mi è stato possibile inviare prima alla Eminenza Vostra detto documento.

Chino al bacio della Sacra Porpora, prego l'Eminenza Vostra di gradire i sensi del mio profondissimo ossequio, coi quali ho l'onore di confermarmi

di Vostra Eminenza Reverendissima
Dev.mo servo
✠ GIOVANNI PANICO
Nunzio Apostolico in Portogallo

1. Quod nuper Summus Pontifex proxime futurum Oecumenicum praenunciavit, Concilium studeat imprimis unitatis, quae insignis Catholicae Ecclesiae nota semper exstitit, eamque in dies magis magisque firmare atque pro viribus ad exitum adducere in votis esto.

Hoc concupitum ut assequatur, proculdubio perutile videtur, quae adhuc discriminum exstent Latinam inter et Orientalem Ecclesiam, stirpes ac semina prorsus elidere vel poene ad nullum restringere numerum, ita ut et Orientis fideles uni Christi Ecclesiae, quae est Romana, se non tantum adiunctos sed profecto membra esse arbitrentur.

Breviter: unionis vel unitionis conceptus et ratio tandem aliquando unitati feliciter cedat, multiformis ritus sollemnitate servata.

2. Maturitas nunc est, ut persuasum habeo, opus iam a Vaticano Concilio institutum perficiendi, christianae scilicet doctrinae fundamenta praeceptaque iterum confirmandi, certa ac definita asseveratione, ad errores stirpitus exigendos aberrationesque ad frugem corrigendas, quas, in sinu etiam Ecclesiae, de moribus et de civitatis moderatione superius saeculum nobis infortunate pepererit.

Hic commode cadit dogmatice disserere doctrinam de natura et potestate Episcoporum, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam, eorumque iura et officia dilucide exponere.

Hic etiam creber esto Concilium in dignitatem et fastigium Catholici Sacerdotii suo praeconio celebrando, necnon in expresse enucleando munera praesertim Sacerdotum, quibus omnis animarum cura consistit, simul ac rationes, nostris maxime temporibus accommodatiores, quibus inter gentes eorum opus frugifer exerceatur; sed in paroeciis ordinandis principium territoriale omnino servandum est.

Breviter: a saeculis comprobata ratio in pascendo dominico grege praesentibus aptetur necessitatibus animarum, sed et Catholicum Sacerdotium in pristinum splendorem divinamque dignitatem penitus restituatur.

3. Quid igitur consequentius quam ut Concilium ardenti sibi proponat animo ecclesiasticam disciplinam tenaciter restituere, praesertim in Seminariis, quae neminem latet ephebis in spem Ecclesiae adolescentibus hortulos virtutum floribus halantes esse debere?

Ideo iuvenum oportet fingere mentem ad excelsam Sacerdotii nostri dignitatem, quod praecipue humilitate animique subiectione, quotidiana suique abnegatione ut fundamento nititur.

Sed et oportet ut initia iuniorum sacerdotum Episcopus paterna prosequatur voluntate, ipsis effectus solatium in angustiis, in difficultatibus dux et in periculis, ac semper fulcimen in omnibus, quae animarum zelo ab ipsis laudabiliter incipiatur.

Antequam tamen ad Sacerdotium exaltentur, Concilium necesse est ut Diaconorum ulterius experimentum agat, illud prae oculis habens immane sacerdotum exitium, qui, sanctum suum praetermittentes ministerium, desunt promissis et, magno fidelium scandalo, nostris etiam temporibus, matrimonium attentare temere audent.

Diaconi ergo saltem per annum sacro vacent officio in aliqua paroecia episcopalis urbis, studiosi parochi curae demandati; sed uni Episcopo sedulo advigilanti iudicium deferatur de eorum admissione ad sacerdotalem dignitatem, si tempore probationis ad felicem pervenerint exitum.

Quod si quis idoneus non appareret ad tanti muneris fastigium, vel si sponte a proposito recedere cuperet, ad laicalem statum pleno iure reducatur.

Longe enim melius videtur quosdam amittere quos vocatos esse cerneres, quam ipsos postea miseros a divina militia lugere transfugas, quos perpetuo negligendus obligaret coelibatus.

4. Quo facilius provideatur animarum saluti, hisce praesertim temporibus, quibus Mater Ecclesia eorum patitur exiguitatem, qui Deo ad Sacerdotium invitanti respondent, quasdam mihi liceat suggerere rationes, quas Concilium practice excutere potest.

a) *In dioecesium ditione,* consideranda erit quorumdam Diaconorum institutio, qui stabiliter, vitam coelibem agentes, post conveniens studiorum curriculum Theologiae fundamentalis et moralis, necnon liturgicae et oratoriae artis, operam dent sacris concionibus habendis, baptismati et Eucharistiae administrandis, aegrotis adiuvandis, funeri, catechesi, benedictionibus et his similibus.

Qui Diaconi poterunt, sua sponte et voluntate, officio firmiter et indesinenter vacare; quod si in pristino nollent manere consilio, ad laicorum conditionem, officio relicto, ipsis fas esto, iure pleno, redire.

Quod si e contra quis, aliquot post annis, experientia sui muneris edoctus, voluerit, castitatem perpetuo servaturus, ad sacerdotalem evehi

dignitatem, poterit ipse in Seminarium admitti, ut Theologicas disciplinas ad finem compleat.

b) *In ditione vero Fidei Propagandae* seu Missionum, aliter Sacerdotum paucitati providendum erit, selectos nempe et praecultos praeparando christianae doctrinae insitutores, qui Catechistae vel quomodolibet nominari possunt.

Post breve studiorum curriculum peractum Theologiae, liturgiae, catecheticae et oratoriae artis, ipsi, licet matrimonio coniuncti, peculiaribus facultatibus pollebunt (baptizandi, Eucharistiam distribuendi etiam in forma Viatici, benedicendi, praedicandi, aegrotos adiuvandi, funerandi, etc.), sed tempore sui muneris exsequendi quadam talari veste indui debent, sicut aeditimorum et nunc mos est.

5. Ut christianae plebi, actu Sacrae Liturgiae participi, magis in dies facilis et expedita pateat via, peropportunum videtur ut Concilium in administrandis Sacramentis et maxime Sacramentalibus, vernacula uti lingua permittat, firma tamen obligatione de latino sermone in praecipuis formulis adhibendo.

Quo in Divino Sacrificio peragendo unice uti liceat, fidelibus vero alterno sermone sacro laudabiliter participantibus, quod nunc dicitur « Missa dialogata ».

6. Ecclesiasticam praeterea interest disciplinam attente considerare an clericorum vestis immutanda sit. Nostrorum enim spectata temporum necessitate ac morum, incommode et interdum cum periculo, extra ecclesias, talaris induitur vestis.

Sed quamvis *Iuris Canonici Codex* doceat Episcoporum esse clericalem vestem determinare, eorum nullus auderet per se quidquam innovare. Congrua ergo tempora videntur Patres communiter pro omnibus vestiendi genus assumere, quod ubique convenienter consuetudini et necessitati adaptari possit.

7. Ad sacri coelibatus legem quod attinet, quam Occidentalis retinet Ecclesia et amplius in dies Orientalis quoque adoptat, nullo modo de ipsa transigere debet Concilium, quibuscumque quomodolibet non obstantibus, sed illam omnino tenere et confirmare necesse est.

Attamen consideranda est conditio eorum qui, matrimonio coniuncti, ad sacerdotium initiati fuere in aliqua novatorum religione. Ne isti, ob domestica munera quibus adstringuntur, unum Christi ovile repetere impediantur, posset Sancta Mater Ecclesia ipsos eximere a lege coelibatus.

Sunt autem qui, sacerdotes in aeternum, officium suum prodidere, et infeliciter, sive illicitas nuptias attentando sive modo uxorio sine vinculo vivendo, accepta prole, irregulares contraxerunt domesticas obligationes. Quorum saluti ut saltem provideatur, indulgeat Ecclesia materna sua

voluntate, et, salva lege coelibatus, bene dispositos, cum in pristinum redire non possent, ad sacramenta more laicorum suscipienda admittere velint.

8. Popularis rei publicae gubernandae ratio, quae latius in dies ubique gentium diffunditur et recipitur, nunc cum maxime exigit ut definiatur quibus muneribus erga rei publicae administrationem pro cive obstringatur qui catholico censeatur nomine.

Pluris enim interest ut Concilium patenter enuntiet principia et praecepta quaedam ubique terrarum actu perficienda. Et cum catholicorum laicorum ordo, quo melius et efficacius sacrae auctoritatis ministerio cooperari possit, societatem plerumque faciat, quae « Actio Catholica » nuncupatur, nullomodo abs re erit Concilium confirmare et definire quaenam sint ipsorum catholicorum res et ratio erga rei publicae administrationem, eorumque iura et officia exercenda.

Haec enim *Codex Iuris Canonici* expresse non habet, ideoque conveniens videtur Concilium, quadam sua iuridica enunciatione, sollemne argumentum, quo Episcopi suam actionem fulciri possent.

9. Nunciavit denique Summus Pontifex correctionem et emendationem *Codicis Iuris Canonici,* quo aptius possit nostris servire temporibus.

Quapropter, cum fere absoluta sit Codicis legum Orientalium Ecclesiarum praeparatio, optima opportunitate nunc venit unum conficere Codicem iuris pro Ecclesia universa.

Quae enim leges in Iure Orientalibus continentur, centesimae nonagenae et in *Codice Iuris Canonici* substantialiter inveniuntur; nihil ergo facilius uterque componere in unum.

✠ IOANNES PANICO
Archiepiscopus tit. Iustinianensis
Nuntius Apostolicus in Lusitania

17

EXC.MI P. D. ANTONII CARDOSO CUNHA

Episcopi tit. Bareni in Pisidia, Auxiliaris Beiensis

Bejae, die 27 augusti 1959

I. Aliquod experimentum instituere ad candidatos ad sacerdotium ita ut, studiis theologicis peractis, ante receptum sacrum ordinem presbyteratus, in ordine diaconatus per duos aut tres annos probentur eorum indoles, temperamentum et firmitas vocationis.

II. Imprimere studiis Sacrae Theologiae in Seminariis maioribus dioecesanis sensum quam maxime practicum relate ad futuram vitam pastoralem alumnorum.

III. Praescribere accuratam praeparationem scientificam et pedagogicam magistrorum etiam Seminariorum minorum. Specialis cura imponatur de formatione theologica et ascetica moderatorum spiritus.

IV. Distributio magis aequa cleri in orbe catholico et sic dioeceses quae multos sacerdotes habent veniant in auxilium, praesertim in eadem natione, earum quae in magna penuria laborant.

V. Normae, quantum fieri potest, universales de habitu ecclesiastico.

VI. Imponatur ordinibus religiosis utriusque sexus ut, secundum normas et regulas eorum institutorum, laborem apostolicum in regionibus in quibus sacerdotes desunt.

Aliquod opus nationale vel internationale debebat curare de mediis materialibus congruae sustentationis.

VII. Aliquid promulgare de usu linguae vulgaris et nationalis in actione liturgica v. g. in Sancto Sacrificio Missae, in administratione sacramentorum, etc.

VIII. Doctrina de loco et munere laicorum in Ecclesia ita ut sentiant eorum responsabilitatem in vita Mistici Corporis Christi et sumant suam partem in apostolatu.

IX. Denuo damnetur in Concilio Oecumenico materialismus hodiernus (communismus, socialismus etc.) et exponatur doctrina socialis Ecclesiae et sacerdotibus et laicis imponatur via quam sequi debent coram factionibus materialistis et atheis.

X. Specialem curam habeat Concilium de scholis catholicis sive elementaribus, sive mediis, sive superioribus ut iuventus christianissime educetur.

✠ ANTONIUS CARDOSO CUNHA
Episcopus tit. Barenus in Pisidia

18

EXC.MI P. D. FLORENTINI DE ANDRADE Y SILVA

Episcopi tit. Heliosebasteni, Auxiliaris Portugallensis

Portucale, die 31 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Meritam gratiam agens Eminentiae Tuae Reverendissimae pro benevola audientia mihi concessa circa res et argumenta, quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt, auditis quibusdam viris ecclesiasticis pauca suggerere ad me attinet.

1. Maximos errores nostri temporis, videlicet quod aiunt marxismum et existentialismum atheum, solemniter oportet confutare et profligare, ita ut plena luce sana doctrina coram omnibus eniteat.

Valde desiderandum ut, salva integritate catholica, omnes spirituales vires, omnes cursus idearum vel positiones mentis et vitae, in quibus proprium locum teneat Deus et humana persona, coniugantur, ac praesentiam Ecclesiae sentiant accipiantque ut supremum ducem et munimen.

2. Doctrina de mediatione Beatissimae Virginis Mariae consideretur, sed quoad opportunitatem definitionis prae oculis habeatur, inter alia, desiderata unio Ecclesiarum.

3. Materias de Ordine recognoscere utile erit: munus minorum ordinum a laicis exercetur; praeterea, non spernendae videntur indicationes de munere Diaconorum a coniugatis adimplendo.

4. Legem tonsurae pro Clericis mitigare convenit vel etiam prudenter remittere; usus vero habitus ecclesiastici asservari debet iuxta consuetudines locorum, cum apostolatus aliud non requirat.

Supra modum oportet sanctitas sacerdotalis coram populo effulgeat caritate, simplicitate et castitate. Clerici ne sint studiosi lucri vel sui commodi, sed spiritu missionis imbuti amplectantur « apostolicam vivendi formam ».

Huic faveat ipsum Ius Canonicum recte adaptatum, maiorem aequitatem probans vel instituens in distributione bonorum beneficialium et similium.

In Seminariis, enixe excolatur sensus evangelicus de humilitate ac divitiarum contemptu.

5. Necessarium videtur recogitare de variis quaestionibus hodie rursum propositis magisterio Ecclesiae, v. g., circa fines matrimonii,

proprietatem privatam, legum obligationem moralem, praecepta Ecclesiae de quiete dominicali et disciplina ieiunii et abstinentiae.

6. In Iuris Canonici emendatione pro circunstantiis hodiernis, censetur ut statuta de processibus et poenis, intacto iure, ad formam simpliciorem sint redigenda.

7. In re liturgica, dispositiones pro facilitate et perceptione rituum intuitu pastorali certe prosequi debent, sed caute.

Servata disciplina ieiunii, concedatur fidelibus facultas communicandi tempore vespertino.

Libros liturgicos, nominatim Pontificale, recognoscere oportet, et aliquos ritus, v. g., altaris consecrationem, breviare.

Tandem, purpuram sacram deosculans, omnia fausta Eminentiae Tuae cum felici plenoque sancti Concilii exitu a Deo precor ac vehementer desidero

Eminentiae Tuae Reverendissimae
servus h. et add.mus in D.no

✠ FLORENTINUS DE ANDRADE Y SILVA
Episcopus tit. Heliosebastenus

19

EXC.MI P. D. ANTONII DE CAMPOS
Episcopi tit. Febianensis, Auxiliaris Lisbonensis

Olivais - Lisboa, 31 de agosto de 1959

Eminência Reverendíssima,

Tenho a honra de apresentar a Vossa Eminência os meus mais respeitosos cumprimentos. Acuso recebida a carta de Vossa Eminência à qual vou responder. Na minha humilde opinião devem ser tratados no próximo Concílio Ecuménico os seguintes assuntos:

Dogma: Declaração dogmática da Mediação universal de Nossa Senhora.

Moral: Aclarar a questão da regulamentação dos filhos.

Pastoral: Actualização da Pastoral.

Diaconado: Sua actualização, possibilidades e condições.

Inter-dependência das dioceses da mesma nação, em ordem ao auxílio mútuo e à Pastoral.

Concessão de maiores faculdades aos Vigários forâneos e maior exigência de responsabilidades.

Unificação de todos os sectores de Catequese — crianças, adolescentes e adultos e ainda o catecumenato dos adultos — no nível diocesano e nacional.

Acrescentar nos Seminários um quinto ano de Teologia prática, que seja preparação imediata da vida pastoral.

Revisão das funções dos cabidos das Catedrais.

Liturgia: Reforma do missal e do breviário.

Maior facilidade nas concessões de Missas vespertinas.

A parte doutrinal da Missa em vernáculo.

Binações de semana, em caso de necessidade.

Conservar a preparação penitencial da Missa.

Enriquecer a liturgia do Matrimónio.

Maior exigência na admissão aos Sacramentos, sobretudo Baptismo e Matrimónio.

Liturgia dos Sacramentos e alguns sacramentais em vernáculo.

Poderem tomar líquidos, sem limites de hora, os que binam ou trinam. Jejum eucarístico dos sacerdotes igual ao dos fiéis.

Trazer, para o calendário, os Santos mais notáveis do Antigo Testam. Cantar o « Benedictus » sempre após o consagração.

Homilias dominicais seriadas de forma a fazer a doutrinação total dos paroquianos em quatro ou cinco anos, de acordo com as reformas a fazer.

Oscula humilde e reverentemente a Sagrada Púrpura de Vossa Eminência Reverendíssima

✠ Antonius de Campos
Episcopus tit. Febianensis

20

Exc.mi P. D. EMMANUELIS DOS SANTOS ROCHA
Archiepiscopi tit. Mitylenensis, Auxiliaris Lisbonensis

Lisbonae, 3 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Cordiali qua par devotione quod mihi Deo et homini visum scripsi. Votorum summarium hoc, cum possibile, explanari poterit. Proponere tantum potui in paucis aliquid dicere.

Educationis gratia, cum video ordinem rerum in Ecclesia a iure statutum, in maximis vel minimis, a non habente missionem ad hoc modificatum, vehementer doleo.

Hoc autem disciplinae aut pastoralis formas olim opportunas hodie non actuales me sentire non obstat.

Libertas et sinceritas in scribendo, iudicio atque determinationibus Apostolicae Sedis meae submissioni aequales.

Sacram deosculans Purpuram, a Deo pro Eminentia Vestra benedictiones deprecans, infimus in Ipso servus

✠ EMMANUEL DOS SANTOS ROCHA
Archiepiscopus tit. Mitylenensis

LITURGIA

1. Missae, ordinationis, baptismi, aliorumque sacramentorum, ecclesiarum et altariuni consecrationis aut benedictionis, aliarum atque sacrarum functionum caerimonias ad principale reduci, omnino servata personarum et rerum dignitate. Ut in digna simplicitate, sobria dignitate, essentiali veritate, sine fastidio sed vere sentientes instruantur, alentur, in gratia formentur fideles.

2. Sacerdotalia, etiam ministrorum, indumenta sacra numero formaque ad convenientem redigi simplicitatem.

3. Religiosa architectura, sculptura, pictura, quae rem propriam, religionem, non aperte vel rudibus exprimant, nullo pacto admitti. Etiam in vasis sacris.

DOCTRINA

Dei Genitricis Mariae mediationem universalem, secundariam et veram, definiri.

DE IURE ET PASTORALI

1. Seminaria, pro saeculari clero formando, sint: maiora, unum tantum in ecclesiastica provincia, nisi alterum alumnorum numerus exigat; minora, unum vel plura in dioecesi.

Sic facilius instructio et formatio obtinetur uniformis. Quod indubitanter disciplinam et pastoralem in futuro fovet.

Seminarii maioris rectores, moderatores, disciplinae curatores, magistri et alii ad rem pertinentes, in metropolitana et suffraganeis dioecesibus eligantur ubi inter optimos inveniantur.

2. In provinciis ecclesiasticis dioeceses manibus invicem apprehendere oportet, ut necessitatis patentisque utilitatis disciplinaris atque pastoralis unitatem formantes.

3. Regularium superiorum, quocumque gradu, suis permittere subditis contra dioecesanam disciplinam in potestate non esse.

4. Congreganistas clericos vel utriusque sexus laicos, sub Ordinario dioecesis maxime ubi Evangelii operariorum minor numerus, salvis ipsorum officiis atque auditis et rationabiliter non obstantibus superioribus, in dioecesanum apostolatum incumbere debere.

5. Sacerdotibus, extra sacras functiones, indumenta pro ubique terrarum convenienter statui uniformia, quibus patenter inveniantur. Orbis, quoad laicos, quasi unus, plurium derelictis regionum et nationum peculiaribus indumentorum formis.

6. Corona clericalis, nunc tam frequenter oblita etiam ubi olim servata, non imponi; manens tamen quoad capillorum cultum can. 136 § 1 C.I.C.

7. Patrinus et matrina in Baptismo numquam nisi Christianam vitam publice observantes. Deficientibus iis, sancto sanctaeve neophytus committatur. Fidei nominisque christiani hoc exigent honor et decus. Ita et in Chrismate.

8. Diaconatum in suis functionibus restitui et regi.

9. Diaconum precibus diurnis prudenter statutis incumbere oportet. Ipsius cum acatholica aut sine fide in omnibus probata matrimonium non permitti.

10. Perfectae obligatio castitatis in Presbyteratu, non antea. Matrimonii constantia ad Presbyteratum dirimens impedimentum, et versa vice.

✠ Emmanuel Dos Santos Rocha
Archiepiscopus tit. Mitylenensis

21

Exc.mi P. D. EMMANUELIS A JESU PEREIRA

Episcopi tit. Praenetiensis, Auxiliaris Conimbricensis

Conimbricae, 8 septembris 1959

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Tantum hodie respondere possum officio Eminentiae Vestrae Rev.mae (Prot. N. 1 C/59-2289) 18 iunii 1959 ad me misso. Nam Ex.mus Archiepiscopus Episcopus abfuit per quattuor menses causa infirmitatis ideoque praefui Dioecesi, aliquando, ob vacationes eorum, sine auxilio quorundam sacerdotum, qui maxime incumbunt rebus Curiae Dioecesanae.

En nonnullae animadversiones, quas suggeram circa res quae in futuro Concilio tractari poterunt:

I. *Quoad Ius Canonicum*

1. Determinandum esset utrum Vicarii Substitutus et Adiutor habeant potestatem necne ministrandi extraordinarie Confirmationem ut parochus stricte dictus.

2. Vehementer optandum esset ut Sacerdotes, horis vespertinis, etiam extra missam, quavis hora, independenter a Missae Sacrificio, ministrare possint christifidelibus Sacram Communionem, ut nunc est, iam maximi momenti est pro vita spirituali fidelium. Sed amplius optant. Nonnullis in locis neque semper possibile est ante missam vespertinam audire confessiones omnium fidelium, v. gr. in primis feriis sextis uniuscuiusque mensis. Non raro accidit, quia immediate post Missam nondum Sacram Communionem accipere possunt, quia nondum confessi, ideoque constringuntur abrumpere primas ferias sextas. Praesertim vere et aestate, ob labores in agro, christifideles mane in ecclesiam ire non possunt. Sed exempli gratia, mense Maio, cum vespere seu nocte ad ecclesiam eunt in devotionem Mensis Mariani simul libenter communionem acciperent; idem, mense iunio, in devotione Sacratissimi Cordis Iesu; in Novendialio Immaculatae Conceptionis, mense decembris; mense novembre, in devotione Animarum Purgatorii. Si Oecumenicum Concilium hoc sineret, servata disciplina, quae nunc viget quoad ieiunium eucharisticum, hoc maxime placeret Sacerdotibus et christifidelibus.

3. In can. 1075 tellendum esset impedimentum, quod constat a numero 1°: « Qui, perdurante eodem legitimo matrimonio adulterium inter se consummarunt et fidem sibi mutuo dederunt de matrimonio ineundo ».

Nam plurima matrimonio invalida sunt ob huiusmodi impedimentum minime notum et quod non facile cognosci potest.

II. *In re dogmatica*

Definienda esset, ut fidei dogma, doctrina, quae profitetur Dei Genitricem esse mediatricem omnium gratiarum. Idem optarem de Maternitate humana B. Virginis Mariae, quod ostenderet Ecclesiae Mariam Dei Genitricem simul ut Matrem omnium hominum.

III. *De re disciplinari*

Mihi opportuna videtur damnatio solemnis Materialismi dialectici Marxistarum, in formis sintheticis, sed claris, ut omnibus appareat venenum, quod in eo latet, ita ut christifideles luculenter videant impossibilem esse concordantiam christianismi cum Marxismo. Idem optarem de

erroribus existentialismi praesertim in iis quae ad moralem spectant, nam hodiernis diebus maxime huiusmodi Moralis nova nocet animabus.

Osculando Sacram Purpuram Eminentiae Vestrae Rev.mae me profiteor addictissimum in Domino

✠ Emmanuel a Jesu Pereira
Episcopus tit. Praenetiensis
Auxiliaris Conimbricensis

22

Exc.mi P. D. FRANCISCI M. DA SILVA
Episcopi tit. Telmissensis, Auxiliaris Bracharensis

Bracarae, 9 septembris anni 1959

Em.me ac Rev.me Domine,

Cum vices agam auxiliaris Archiepiscopi Bracarensis, nihil amplius habeo addendum ad eius animadversiones in eo quod spectat ad res agendas in futuro Concilio Oecumenico. Attamen, quia Litterae Prot. N. 1 C/59-2437 mihi missae sunt, responsum personale debeo, liceat mihi da aliquot capita reducere quod etiam puto utile agendum esse in futuro Concilio Oecumenico.

Scilicet:

1. Quoad Ius Canonicum mihi videtur quod:

a) provisio paraeciarum ad nutum Ordinarii loci fieri debet, ut iam in Lusitania ac aliis in locis fieri solet;

b) Synodus dioecesana, etiamsi celebranda sit, tamen non intra determinatam temporis periodum, sed ad iudicium prudens Episcopi, prout iam mos est in omnibus Dioecesibus;

c) in singulis provinciis ecclesiasticis concilium provinciale celebretur, non tamen intra determinatam temporis periodum, sed ad iudicium Metropolitae cum consensu Episcoporum qui ei assistere debent, ut iam fit in omnibus partibus;

d) praeter species religiosarum associationum in can. 700 enumeratae, quarta species addatur, id est Actio Catholica cui regulae generales praecipiendae sunt;

e) licentia matrimonio assistendi, de quo in can. 1096 agitur, exigatur, non tamen ad validitatem matrimonii;

f) in Concilio agatur de indissolubilitate externa matrimonii et, si fieri potest, ad matrimonium ratum et consummatum doctrina can. 1119 extendatur, nam R. Pontifex potestatem habet matrimonia legitima con-

summata solvendi et hoc fit vi can. 1125, etiamsi illa matrimonia etiam intrinsece indissolubilia sint, repugnare non videtur quod etiam ob causas graves et vi dispensationis R. Pontificis, matrimonia rata et consummata solvi possint;

g) dies abstinentiae et ieiunii in can. 1252 praescripti ad paucos reducantur, ut peccata formalia vel saltem materialia, tantum quantum fieri potest, vitentur;

h) legi de audiendo sacro etiam satisfaciant qui Missae adsunt quando celebratur in oratoriis privatis legitime erectis, saltem vi consensus Ordinarii loci;

i) indicentur normae sequendae in processibus administrativis et, salva iustitia, eius usus licitus generatim ad omnes quaestiones contentiosas, iis exceptis quae de valore matrimonii agunt, et criminales extendatur;

j) declaretur an consilium, vi can. 105 audiri debet ad validitatem actus, cum canones illud exigunt;

l) declaretur an poena lata per modum praecepti peculiaris sit poena ab homine ad normam can. 2217 § 1, n. 3.

2. Quoad disciplinam ecclesiasticam censeo ut:

a) habitus ecclesiasticus ac tonsura servanda sint, secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta, saltem in regionibus ubi hoc motivum discessionis non affert;

b) disciplina circa caelibatum clericalem vigens servanda sit;

c) ieiunium eucharisticum, prout in *Motu Proprio* die 19 martii 1957 a Pio XII f. m. dato praescribitur, servandum sit, tamen fidelium communio qualibet hora etiam vespertina diei permitti debet, servatis servandis;

d) Missa vespertina libera esse debeat vel saltem celebrari possit toties parocho vel rectori ecclesiae bono fidelium utilis videatur;

e) in administratione sacramentorum ac sacramentalium imo in Sancti Sacrificii Missae celebratione, excepto Canone, lingua vulgari uti possit.

3. Quoad doctrinam puto damnandum esse Neo-modernismum ac Naturalismum.

Me poenitet has litteras post statum tempus mittere, tamen veniam spero habere ab Em.tia Vestra Rev.ma, cui omnia fausta a Deo adprecor, ac deosculans Sacram Purpuram me profiteor

Em.tiae Vestrae Rev.mae servum in Domino

✠ FRANCISCUS DA SILVA
Episcopus tit. Telmissensis

23

Exc.mi P. D. IOSEPHI P. DA SILVA
Episcopi tit. Thiavensis, Auxiliaris Lisbonensis

Lisboa, 14 novembro 1959

Eminência Reverendíssima,

Com os mais vivos e respeitosos cumprimentos, agradeço a Vossa Eminência Reverendíssima a penhorante confiança, em mim depositada, expressa na veneranda carta de 18 de Junho próximo passado e que eu só no fim das férias recebi.

Como, sobre o assunto, desejava ouvir algunas Assistentes da Acção Católica que se encontravam fora de Lisboa em missões apostólicas, só agora me foi possivel elaborar a modesta resposta junta, pedindo, por isso, a Vossa Eminência Reverendíssima Se digne disculpar-me do atraso com que a faço.

Que Deus, na Sua infinita Bondade, faça coroar dos melhores resultados o auspicioso Concílio Eucuménico que Sua Santidade João XXIII em boa hora anunciou e que tanto interesse e entusiasmo tem despertado no seio da comunidade cristã, são os meus votos sinceros.

Beijando a Sagrada Púrpura, peço licença para apresentar a Vossa Eminência Reverendíssima a reiterada expressão das minhas respeitosas e gratas homenagens.

De Vossa Eminência Reverendíssima Eminentíssimo e Reverendíssimo Senhor

dev.mus in X.to servus

✠ Iosephus Petrus da Silva
Episcopus tit. Thiavensis

Inter res et argumenta in futuro Concilio Oecumenico tractanda mihi videntur magni momenti ea quae ad apostolatum laicorum attinent. Ex. gr.:

I. Positio iuridica Actionis Catholicae sensu stricto sumptae in Ecclesia:

a) elementa fundamentalia;
b) missio specifica;
c) natura, vis et ambitus mandati ab Ecclesia laicis concessi;
d) Actio Catholica et Actio Socialis.

II. De relatione Actionis Catholicae cum aliis Associationibus:

a) catecheseos;

b) apostolatus;

c) pietatis;

d) charitatis;

e) missionum...

III. Crisis suggestionis a S. S. Pio XII, f. m., relatae circa Actionis Catholicae nominis et structurae mutationem (II Congressus Apostolatus Laicorum Romae habitus, anno 1957).

IV. De coordinatione omnium Operum Apostolatus in ambitu paroeciali, diocesano, nationali et internationali.

Votum: ut in *C.I.C.* locum habeat Actio Catholica.

✠ IOSEPHUS PETRUS DA SILVA
Episcopus tit. Thiavensis

MELITA

1

Exc.mi P. D. MICHAELIS GONZI

Archiepiscopi Melitensis (Malta)

Una cum Archiepiscopo responsum dedit:

Exc.mus P. D. EMMANUEL GALEA

Episcopus tit. Trallianus in Asia, Auxiliaris Melitensis

Malta, 2 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Ho l'onore di trasmettere all'Eminenza Vostra i suggerimenti, che io ed il mio Vescovo Ausiliare (Monsignor Emmanuele Galea, Vescovo tit. di Tralles in Asia) abbiamo creduto proprio di sottomettere alla savia considerazione della Pontificia Commissione Antipreparatoria per il prossimo Concilio Ecumenico.

E chino al bacio della Sacra Porpora, con ossequio e venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo ed ubb.mo servo

✠ Michele Gonzi
Arcivescovo di Malta

Eminentissime Domine,

Gratias agentes Eminentiae Tuae Reverendissimae pro Litteris diei 18 iunii 1959 de proximo Concilio Oecumenico, nos infrascripti, Archiepiscopus Melitensis et Episcopus Auxiliaris eiusdem Archidioecesis, haec quae sequuntur iudicio et sapientiae Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae subicere cupimus.

I. *Quoad quaedam Doctrinae capita*

a) Quo christiani, qui a vera Christi Ecclesia se separaverunt, ad unitatis centrum redeant, valde conferre putamus si notum axioma: « Extra Ecclesiam nulla salus » bene explicetur. Hoc principium breviter et clare enunciatur in Allocutione « Singulari quadam » Pii Pp. IX, diei 9 decembris anni 1854 (cf. Denzinger-Bannwart, n. 1647). Sed nusquam, ni fallimur, ne in Concilio Vaticano quidem, amplo et solemni modo in mentem revocata est unicuique gravis obligatio inquirendi, et deinde amplectendi, veram Ecclesiam Christi.

b) Iterum ad attrahendos ad centrum unitatis catholicae christianos inde separatos multum prodesse poterit definitio dogmatica de Maria Dei Genitrice universali omnium gratiarum mediatrice apud Iesum eius Filium et unicum Mediatorem apud Deum. Sectae orientales venerationem erga Beatissimam Virginem adhuc retinent, Protestantes autem, uti ferunt, veteres erratas opiniones magna ex parte deposuerunt. Valde ergo sperandum est fore ut haec veritas, bene explicata, ab omnibus Christianis accipiatur tamquam vox Matris Caelestis filios universos in unum colligere volentis.

II. *Quoad Disciplinam cleri et populi christiani*

a) Cum ex una parte Iesus et Maria orationem et poenitentiam valde commendent, ex alia parte, attenta hodierna imbecillitate naturae humanae, dies ieiunii valde imminuti sint. Quemadmodum autem clerici in Sacris Ordinibus constituti ad fundendas speciales orationes obligantur, ita ad pauca ieiunia, praeter legem communem, adigi poterunt. Quod respondere putamus desiderio Summi Pontificis, qui, inter alia, ex hoc Concilio aedificationem populi christiani exoptat.

b) In locis ubi acatholicorum numerus est satis notabilis, ut fit in his dioecesibus et in regionibus, quae « British Commonwealth of Nations » constituunt, valde ad quietem fidelium et ad acatholicorum animos alliciendos, conferre videtur, si una amicitiae vel invitationis ratio tamquam causa sufficiens haberetur pro catholicorum praesentia mere passiva in acatholicorum nuptiis, funeribus similibusque sollemniis.

c) Habentur in Archidioecesi sex Monasteria Monialium, quae obligatione tenentur recitandi integrum Officium Divinum; ipsae non sine difficultate linguam latinam legere discunt et prorsus nihil intelligunt. Utilius forsitan substitueretur haec obligatio per recitationem aliarum precum, quae earum captui et intelligentiae sint magis accomodatae.

III. *Quoad quaedam negotia ecclesiastica*

In expediendis quibusdam negotiis ecclesiasticis optantur ampliores facultates pro Ordinariis locorum, uti e. g. pro alienatione bonorum ecclesiasticorum, pro proroganda reductione Missarum iam ad tempus a Sancta Sede concessa.

✠ MICHAËL GONZI
Archiepiscopus Melitensis

✠ EMMANUEL GALEA
Episcopus tit. Trallianus in Asia

2

Exc.mi P. D. IOSEPHI PACE

Episcopi Gaudisiensis (Gozo)

Gaudisii, die 22 aprilis 1960

Reverendissime Domine,

Accepi alteram epistulam diei 21 martii 1960, Prot. N. 1 C/59-549-bis, quam tamen accepi die 8 aprilis 1960. Cum omni reverentia debita notandum duco primam epistulam diei 18 iunii 1959 tam sero pervenerat ut ad diem 1 septembris 1959 nullo modo poteram responsionem dare. Ceteroquin ego minimus et ultimus episcoporum non putavi me aptum ut sententiis, consiliis et votis meis aliquid utilitatis conferrem iis qui adlaborant pro futuro Concilio Oecumenico.

Cum iterum a me exigatur ut aliqua exponam et animadvertam hoc facio praesenti mea epistula. Hinc proponerem sequentia:

1) Ut in materia iustificationis, si possibile erit, dissidia componantur inter varias scholas catholicas circa efficaciam gratiae. Item circa modum causalitatis sacramentorum et similia.

2) Ut tempus aliquod praefiniatur in quo adspirantes ad sacerdotium, antequam admittantur ad cursum theologicum, exclusive attendant formationi spirituali eorum, et in quo rite instruantur circa onera et obligationes suo tempore assumendas, ad pericula mundi vitanda, et ad media apta adhibenda ut sarta tecta gratia sacerdotalis conservetur. Inquisitio quae nunc fit ante collationem primae tonsurae est nimis protracta. Si casu haec mea propositio acceptetur, proponerem ut ordinatio sacerdotalis concedatur initio quarti anni cursus theologici cum obligatione manendi in Seminario durante quarto anno.

3) Ut facultates concessae Episcopis amplientur. Nimia coarctatio saepe in damnum administrationis dioecesanae vertit; v. g. in casibus concessionis oratorii privati sacerdotibus infirmis, in dispensationibus matrimonialibus et in similibus.

4) Ut quoad beneficia iuspatronatus laicorum praefiniatur tempus (v. g. post 100 annos a fundatione) in quo cesset quodlibet ius sive activum, sive passivum.

5) Ut remedium efficax inveniatur quo fideles deterreantur sese ingerendi in materia disciplinae stricte ecclesiasticae et impediendi directe vel indirecte functiones ecclesiasticas; quibus in casibus, experientia

docente, saepe saepius occulti sed praecipui fautores sunt sacerdotes, cum magno animarum damno.

6) Ut perpendatur utrum expediat ut omnes parochi sint amovibiles.

7) Ut propriis locis ea capita doctrinae quae a Summis Pontificibus ultimis temporibus sapienter proposita sunt introducantur.

8) Ut in nova editione *Codicis Iuris Canonici* prae oculis habeantur Interpretationes Authenticae a Pontificia Commissione datae.

Si ea quae suggerenda duxi non placent, pro non exhibita, rogo, habeantur.

Interim qua par est reverentia cum omni obsequio me profiteor

Addictissimus in Christo D.no
✠ IOSEPH PACE
Episcopus Gaudisiensis

NORVEGIA

1

EXC.MI P. D. IACOBI MANGERS

Episcopi Osloënsis (Oslo)

Oslo, 29 iulii 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Acceptis litteris quibus Pontificia Commissio Antepraeparatoria pro futuro Concilio Oecumenico dicti Concilii Patrum sententias, vota et consilia expetit, humillime ac devotissime sequentia proponere audeo, brevissime quidem, deficiente tempore, cum durante mense augusti absens esse debeam.

1. Cum Concilium Oecumenicum Vaticanum 1869-1870 propter instantia mala quaestiones omnes quae a diversis Commissionibus praeparatae erant plane tractare nequiverit, dignum omnino videtur quod quaestiones illae a futuro Concilio reassumantur, cum plures ex illis adhuc actuales sint necnon maximi momenti.

2. Mihi videtur quod futurum Concilium, ut in cann. 222, 223, a Beatissimo Papa Ioanne, feliciter regnante, indictum, imprimis sibi proponere debeat inquirere quaenam sint causae principales praesentis dechristianisationis seu materialismi practici cui ingens numerus baptizatorum indulget, necnon videre quaenam sint remedia apta et communia lamentabili huic rei opponenda.

Hic a futuro Concilio valde opportune reassumi possent principalia capita quae sibi optime proposuit praesens Romana Dioecesana Synodus, quae capita maximi sunt momenti pro tota Ecclesia.

Etiam aliae quaestiones vere actuales examinandae sunt, v. g. usus linguae vernaculae in functionibus liturgicis, etiam, in celebratione Missae, Canone excepto; habitus seu vestis clericorum, status sacerdotum irregularium, in concubinatu viventium, apostatarum; simplificatio processuum in causis nullitatis matrimonialibus; validitas (vel invaliditas) matrimoniorum quae in regionibus contrahuntur ubi lex civilis permittit divortium, et ubi (v. g. in Scandinavia) quasi omnes putant se in conscientia posse agere secundum legem civilem; laicorum diaconatus eorumque diversa munera sive in apostolatu sive in nonnullis functionibus liturgicis, etc.

3. Res vero dogmaticae ac doctrinales iam tam clare et firmiter elucubratae sunt, ut non necessarium videatur illis magnum tempus impendere. Non mihi videtur esse opportunum discutere an nova dogmata possent definiri, cum hoc nihil novi thesauro Ecclesiae afferret, sed e contra christianos separatos magis ac magis ab unitate Ecclesiae deterreret.

Attamen cum in Oecumenico Concilio 1869-1870 Summi Pontificis auctoritas ac potestas tam clare ac feliciter definita sit, non parvi momenti est ut *notio Ecclesiae* in futuro Concilio clarissime determinetur necnon clarius statuantur *episcoporum iura et munera* ut ex iure divino exoriuntur. Quod quidem in fortuitis colloquiis cum schismaticis et protestantibus magni ponderis esse potest.

4. Quaestio vero quam prae omnibus futurum Concilium sibi proponere debet, est unio omnium qui christiano nomine se honorant. Ni fallor, est hoc etiam mens Summi Pontificis.

Cum autem, humano modo loquendo, longa sit via antequam christiani sive per schisma sive per haeresim separati ad perfectam Ecclesiae unitatem redeant, imprimis inquirendum est quomodo quaedam unio moralis seu caritatis obtineri possit ita ut lites, contentiones et suspiciones inter fratres amoveantur et locum dent mutuae comprehensioni ac benevolentiae.

Ad assequendum tale propositum perutile esset si, durante Concilio — postquam quaestiones stricte internae elucubratae sunt — colloquia cum fratribus separatis haberi possent ita ut modus mutuae conversationis vel collaborationis inveniri possit in rebus practicis, moralibus, politicis in quantum ad religionem spectant — exclusa evidenter omni communicatione in sacris —, quae tamen communicatio etiam clarius definienda est.

Valde bonum etiam esset, ut mihi videtur, si Concilium provideret ut in diversis Dioecesibus aut regionibus — cum approbatione et sub vigilantia episcopi — colloquia cum christianis separatis institui possent, quibus via ad Unam Sanctam Ecclesiam pararetur.

Per se patet quod nihil omnino omittendum est ut omnes ad unicum Christi ovile redeant et unicum Supremum Pastorem agnoscant.

Effundendo preces pro felici labore, Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae, maneo tota cum animi devotione et subiectione Sanctae Sedis

humilis servus

✠ IACOBUS MANGERS
Episcopus Osloënsis

2

Exc.mi P. D. IOANNIS RUTH

Episcopi tit. Amudarsensis, Vicarii Ap. Norvegiae Centralis

Trondheim, die 16 oct. 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Hisce Eminentiae Vestrae responsum meum relate ad sanctam Synodum mox celebrandam mitto.

Quod quidem propter itinerem pastoralem nimis tarde missum ut ignoscat Eminentia Vestra enixe rogo.

Me profiteor Eminentiae Vestrae servum oboedientissimum

✠ Ioannes Rüth
Episcopus tit. Amudarsensis

Responsum Vicarii Apostolici Norvegiae Centralis, Ioannis Rüth, Episcopi titularis Amudarsensis, ad Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico mox celebrando circa eas res, quae in Concilio maximo cum fructu tractandae videntur:

1) ut conceptus Ecclesiae tanquam corporis Christi mystici pressius exponatur;

2) ut munus episcopi tanquam ordinarii in suo dioecesi intimius exponatur;

3) ut quaestiones ad Mariologiam spectantes praecipue in quantum Christologiam et Ecclesiologiam tangunt, clarius exponantur;

4) ut locus et positio laicorum in Ecclesia magis in lucem ponatur;

5) ut praecipue ordo diaconatus immo et ordines minores magis novi reddantur;

6) ut opus Missionum magis in propatulo ponatur.

Quaestiones istae intime me commovent non tantum pro momento quod habent respectu Ecclesiae Universalis, sed etiam propter difficultates quas fratres separati experiuntur imprimis quoad munus episcopale atque relate ad doctrinam Mariologicam supra descriptam, ita ut spes oriatur, fratres ab Ecclesia separatos his quaestionibus solutis facilius ad unitatem Ecclesiae redituros fore.

In hac spe profiteri me gaudeo Eminentiae Vestrae humillimum in Christo servum

✠ Ioannes Rüth
Episcopus tit. Amudarsensis

POLONIA

1

Exc.mi P. D. CASIMIRI I. KOWALSKI
Episcopi Culmensis (Chelmno)

Prot. N. 268/59 Ord. Pelplini, die 6 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Acceptis litteris Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico die 18 iunii 1959 sub Prot. N. 1 C/59-344 datis cor meum abundat gaudio et gratitudine erga Summum Pontificem Ioannem XXIII pro Eius proposito de Concilio Oecumenico convocando. Sequens votum, permultorum laborum pastoralium causa, in forma brevissima proponere audeo:

1. Concilio Vaticano anno 1871 interrupto videtur mihi eas imprimis quaestiones esse tractandas et definiendas, quae in eodem Concilio iam praeparatae actualitatem suam hodie minime amiserunt.

2. Quoad doctrinam eas quaestiones elucidandas esse aestimo, quae ex regalitate Christi defluunt. Inter quas imprimis regalitatem Beatae Mariae Virginis Matris et Almae Sociae Christi Redemptoris a Concilio profundius tractandam et definiendam esse censeo. Deinde omnes huius doctrinae sequelas cum pro vita individuali episcoporum, sacerdotum et religiosorum necnon catholicorum laicorum tum pro vita sociali familiarum, associationum et populorum exarandas esse puto, ut quaestiones gravissimi momenti pro Corporis Christi in societate moderna et in hominibus nostrorum temporum dilatatione et prosperitate. Altera ex parte in Concilio Oecumenico illos errores refutandos damnandosque esse censeo, qui regalitati Christi directe vel indirecte adversantur. Inter quos error pessimus statolatriae accuratissimo examini subiciendus est, in quo error et divinisationis hominis et falsissima doctrina existentialismi et materialismi athei culmen suum attingunt.

Quia vero finis primarius existentiae populorum et societatum sine dubio aedificatio in eis Corporis Christi Mystici sit, ideo hac de quaestione tractandum erit delineando essentiam et competentiam conferentiarum episcoporum singularum nationum.

Denique doctrinam de Mystico Corpore Christi a Summo Pontifice p. m. Pio XII magnifice exaratam a Concilio Oecumenico reassumendam

esse censeo et evolvendam, ita ut non solum episcopi et sacerdotes, necnon maiorum et minorum ordinum clerici, sed etiam religiosi et religiosae, immo et laici catholici sciant, quid sint ut membra Mystici Corporis Salvatoris, qualem locum in hoc organismo teneant, quantum laborem sanctificationis et apostolatus exercere debeant, ut caritate afflante vivant, crescant et centuplum fructum afferat Mysticum Corpus Christi in societate moderna.

3. Quoad disciplinam Ecclesiae exigentiis regalitatis Christi subicienda et modificanda sunt omnia, quae ad vitam, habitum, laborem et apostolatum cleri pertinent. Constitutiones et habitus societatum religiosarum tum hominum quam feminarum etiam conformandae sunt exigentiis huius doctrinae centralis. Statuta et vita Actionis Catholicae in omnibus vitae socialis partibus cum hac doctrina et exigentiis disciplinae apostolatus in mundo moderno concordent oportet. Regnum veritatis et caritatis per Concilium Oecumenicum restaurandum et confirmandum est in mentibus, in cordibus, in vita et in apostolatu omnium membrorum Mystici Corporis Christi, ut unitas per amorem et pax per ordinem Christi in mundo stabilitae Regnum Salvatoris Nostri in nationibus christianis firmum et inconcussum reddant et sceptrum Principis pacis per reditum fratrum dissidentium ad Ecclesiae Unitatem necnon per laborem Evangelii praeconum usque ad extremos fines terrae extendant.

Quas brevissimas animadversiones humiliter praesentans profiteor me Eminentiae Vestrae obsequentissimum in Christo servum

✠ Casimirus Ioseph Kowalski
Episcopus Culmensis

2

Exc.mi P. D. ZDZISLAW GOLINSKI
Episcopi Częstochoviensis (Częstochowa)

Czestochowiae, die 12 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Honori mihi duco Eminentiam Vestram Reverendissimam certiorem reddere me litteras diei 18 VI anni currentis Prot. N. 1 C/59-427 tempore feriarum accepisse, qua de causa tempore indicato seu ante diem primam mensis septembris responsionem mittere non potui.

Primo grati sumus erga Beatissimum Patrem, — ego, Clerus Dioecesanus ac Christifideles — accepto nuntio de proposito Concilium Oecumenicum convocandi. Unionem confessionum christianarum cum Ecclesia Christi maxime desideramus. In precibus quotidianis Deum Omnipotentem adprecamur pro prosperitate huius propositi tam gravis momenti. Maximo cum gaudio Deo adiuvante, si hodiernae circumstantiae permittent, ad Concilium properabo.

Dein audeo mea ex parte proponere, quae in scriptis communicare potui:

I. Sub exclusiva Sedis Apostolicae moderatione frequentiorem communicationem cum repraesentantibus nonnullarum confessionum maiori auctoritate gaudentium in rebus bonum generis humani spectantibus providere.

II. *In re theologica:*

1) Praeparanda est promulgatio dogmatis de B. Maria Mediatrice gratiarum.

2) Constitutionem dogmaticam de Ecclesia — animum ad Encyclicam de Mystico Corpore Iesu Christi advertendo — promulgare.

3) Evolutionem doctrinae de Spiritu Sancto, de gratia, de virtutibus proponere.

4) Arctiorem coniunctionem Theologiae Moralis cum Theologia Ascetica et Mystica elaborare.

III. *De his quae ritum et caeremonias liturgicas attinent:*

1) Quamprimum breviorem facere ritum consecrationis ecclesiae, maxime unam horam durantem.

2) Praeter linguam latinam, linguam vernaculam in Rituale Romanum excepto ritu S. Ordinis et consecrationis episcopi introducere.

3) Missale et breviarium lingua latina est exarandum, attamen christifidelibus admittenda est recitatio textuum intra Missam in lingua vernacula exceptis verbis consecrationis.

4) In breviario nonnullas lectiones S. Scripturae Veteris Testamenti in I Nocturno abbreviare; in lectionibus II Nocturni de Sanctis res non omnino certas, vulgo « la légende », amovere.

IV. *Disciplina Cleri:*

1) Studia philosophica et theologica uno anno quasi novitiatus praecurrere.

2) In decursu studiorum aliquod tempus ad cognoscendam generaliter doctrinam physicam ac biologicam necnon aliquot horas pro

cognoscenda cura pastorali ac pro labore physico exercendo designare.

3) In Codice Iuris Canonici claram mentionem facere Episcopum Ordinarium esse verum Moderatorem Cleri Dioecesani cum facultate nominandi pro eodem Clero Dioecesanum Patrem Spiritualem.

4) Ponderare possibilitatem liberandi sacerdotes ab obligationibus spiritualibus Ordinis, quando vere constabit — facta medicis peritis inspectione corporis — eos actualiter plene conscios suarum obligationum non fuisse.

V. *De Religiosis:*

1) Singulas domos religiosarum « sui iuris » — e. g. VV. III Ordinis S. Francisci de poenitentia Bernardinarum, VV. Carmelitanarum, Monialium O. S. Benedicti — unire eisque Antistitam Generalem dare ac unam domum Novitiatum erigere.

2) Privilegium exemptionis Ordinum exclusive ad disciplinam servandam et vitam spiritualem promovendam coarctare; res autem liturgiae, cultus divini, curae animarum atque opera socialia Ordinariis locorum subicere.

3) Habitum religiosorum et religiosarum unificare ac simpliciorem reddere.

4) Obligare religiosos utriusque sexus ut habeant partem in labore pro bono Ecclesiae sub moderatione Ordinariorum.

VI. *De cura animarum:*

1) In Codice Iuris Canonici maiorem animum in curam animarum prospere gerendam advertere.

2) In eodem Codice obligationem divisionis numerosarum paroeciarum Ordinariis imponere.

3) In Curia Dioecesana referendarios speciales pro cura animarum gerenda et alia specialia munera ecclesiastica designare.

VII. *Codex Iuris Canonici:*

1) Ea amovere, quae iam veterata sunt, e. g. can. 987, 4° can. 1083; praescripta de iure patronatus, e. a.

2) Danda est plena et clara *definitio erroris communis* necnon conditiones ad eum probandum indicare.

3) Licentia assistendi matrimonio de qua in can. 1096 § 1, praeter vicarios cooperatores etiam *vicariis adiutoribus* danda est — etiam, qui « ex parte dumtaxat suppleant parochi vicem » — can. 475 § 2 in f.

4) Processum beatificationis et canonisationis ad maiorem simplicitatem reducere.

5) Cuivis sacerdoti dare facultatem Sacramentum Confirmationis aegrotis administrandi.

6) Processum canonicum de nullitate matrimonii declaranda pro posse coercere; e. g. unum iuramentum ante vel post depositionem partium ac testium necnon peritorum, etc.

7) Ordinariis locorum permittere, ut tam sacerdotibus quam subditis dioecesanis suis dare possint licentiam libros et ephemerides prohibitos legendi, exceptis libris obscoenis.

VIII. *Laici in Ecclesia:*

In exponenda doctrina catholica bene signare:

a) necessitatem imbuendi plenitudinem vitae spiritualis et vere sentiendi cum Ecclesia Christi;

b) mentem responsabilitatis pro Ecclesia, proximis et genere humano.

Interim Sacram Purpuram reverenter deosculor

Vestrae Eminentiae Reverendissimae
addictissimus servus

✠ Zdzislaw Golinski
Episcopus Częstochoviensis

3

Exc.mi P. D. CESLAI KACZMAREK
Episcopi Kielcensis (Kielce)

Prot. N. DA-86/59 R. 751

Kielciis, die 17 octobris 1959

Beatissime Pater,

Causa proxime celebrandi Concilii Oecumenici nonnullas praesentibus observationes, praesertim circa ius canonicum hucusque vigens, praestare audeo exhortationibus Sanctitatis Vestrae parens:

1. Can. 129, can. 130 haud non can. 131 *C.I.C.* de clericorum religiosorumque studiis et conferentiis videri strictius regulas hac in materia debere dare ita ut clericorum studia post receptum sacerdotium efficacius et modo magis sub Ordinariorum moderatione ordinato, non triennio sed multum diutius, forsan stabiliter colantur.

2. Si sermo de clericorum vestitu, talari veste in liturgicis functio-

nibus seu tempore divinorum officiorum tantum uti praecipiatur, extra vero liturgiam sacram clerici utantur vestibus simplicissimis, parvi pretii, ad conditiones praesentis temporis accommodandis simulque statui clericorum decentibus.

3. De spiritualibus clericorum exercitiis unoquoque anno persolvendis praeceptum desideratur.

4. Commune officium publicarum Ecclesiae precum ad usum cleri reformandum et accomodandum sub gravi sustineatur.

5. Religiosi — exempti praesertim — ad tramitem iuris canonici et ad tenorem permultorum privilegiorum in multis, quae tamen aliquo modo vitam dioecesis respiciunt, a potestate Ordinariorum loci eximuntur et in his ingerentia eorundem Ordinariorum ad minimum vigenti in iure reducitur ita ut variae implicationes in dioecesana administratione cum animarum damno oriantur. Videtur esse necessarium in multis religiosorum etiam exemptorum res Ordinariis locorum subiicere.

6. Desiderantur strictius definiendae facultates Vicarii Capitularis, praesertim principium: « sede vacante nihil innovetur » accuratius explicetur.

7. Cum post Apostolicam Constitutionem Pii XII Papae *Christus Dominus* et post « motu proprio » eiusdem Pontificis *Sacram Communionem* circa eucharisticum ieiunium et tempus accipiendi S. Communionem nonnulla dubia oriantur (v. gr.: circa relationem inter praescriptum can. 867 § 4 de distributione Sacrae Communionis extra Missarum sollemnia horis pomeridianis videlicet et nocturnis « si id rationabilis causa suadeat » et praescriptum praefatorum documentorum de Sacra Communione accipienda intra pomeridianam Missam tantum vel immediate [una hora] post Missam) desideratur nova et una lex hac in materia ordinanda haud non maxime condicionibus praesentis temporis accomodanda.

8. Praescriptum can. 1083 § 2 n. 2 videtur esse tollendum, sicut et can. 987, n. 4.

9. Praeter nullitatis matrimonii causas hucusque vigentes etiam et aliae dirimentes inducendae videntur, v. gr. ex contrahentium qualitatibus.

10. Loco can. 1092 de conditionibus, qui ianua malorum abusuum est, statuendus est canon in matrimoniis ineundis conditiones omnes excludens et adductas pro non adiectis habens.

11. Ritus consecrationum et benedictionum (v. gr. consecrationis ecclesiarum, altarium, campanarum, etc.) breviandi essent et lingua vernacula in iisdem adhibenda. Similiter breviandi ritus in conferendis Sa-

cramentis et, praeter essentialem Sacramenti formam, omnes orationes lingua vernacula recitandae essent.

12. Cum hodierno die multa et horrifica mala ex scholis, libris, diariis, theatris etc. in puerorum insontium animas defluant praepediantque eorum moralem institutionem, parentes et qui locum parentum teneant, ita sub gravi ad pleniorem sub specialibus directivis parochorum religiosam prolis educationem obligentur ut negligentes a parocho suo vel confessario a sacramentis suscipiendis prohiberi possint et contumaces ab Ordinario puniri.

13. Etiam et fidelium laicorum activitas in christianae doctrinae apostolatu vivificari debeat, sed istius activitatis limites, in quibus agere valeant, iure strictius definiantur. Quaestio haec accedit generali quaestioni de relationibus inter potestatem iurisdictionis et ordinis clericorum et fidelium laicorum facultates eis in apostolatus campo proprias haud non debitas.

14. Can. 1401 *C.I.C.* extendatur etiam ad curiae episcopalis officiales, parochos, parochis aequiparatos et in omnes confessarios haud non in clericos studiis sive sacris sive civilibus vacantes.

15. Advocatorum et procuratorum ad lites in iudiciis ecclesiasticis admissio non semel occasio ad perpatrandos abusus fuit magno cum bonae famae tribunalium detrimento, cum non semel immodica emolumenta a partibus poscantur hincque speciem corruptionis iudiciorum ipsorum fidelibus iste abusus praebeat.

16. Liber quartus *C.I.C.* de processibus videtur non semel indigere processualibus formalitatibus et sollemnitatibus quae tractum processus et causarum definitionem impediunt ac in longum ducunt, hincque fideles ad hodiernae vitae promptitudinem adsuefacti ab iudiciis ecclesiasticis abhorrent.

17. Ius poenale multas censuras latae sententiae referens non semel in abstracto remanet, cum — in genere dicendo — parum laicorum praesertim (et non semel clericorum) interest, an sint vel non censura irretiti; videntur magis adhibendae esse poenae ferendae sententiae, quas ecclesiasticus iudex post processum criminale imponat.

Hoc etiam in processu sollemnitates simpliciores praesertim circa accusationem desiderantur.

Quae omnia dum refero humillimum filium Sanctitatis Vestrae me profiteor

✠ CESLAUS KACZMAREK
Episcopus Kielcensis

4

EXC.MI P. D. MICHAELIS KLEPACZ

Episcopi Lodzensis (Lodz)

Prot. N. 2695/59 Le 3 août 1959

Votre Eminence,

La lettre de Votre Eminence m'a fait un grand honneur. Je tiens à remercier vivement Votre Eminence de me l'avoir adressée ainsi que de m'avoir invité à la collaboration dans le lourdes affaires du Concile Œcuménique.

Dès le commencement je me permets de porter à la connaissance de Votre Eminence, que l'Episcopat Polonnais à sa session d'avril, tout en prévoyant sa participation dans les travaux préparatoires au Concile, avait élu sa Commission du Concile à laquelle j'ai été invité comme membre sommes.

La Commission avait déja tenu deux sessions; nous nous décidés que nos opinions, approuvées par la Conférence Plénière de l'Episcopat Polonnais, seront envoyées à Votre Eminence au mois de septembre.

Puisque tous les evêques particuliers — d'après les directives de Votre Eminence — sont autorisés de proposer leurs opinions, je tiens à souligner dès ce moment que j'ai proposé certaines idées à la Commission, qui — comme je le crois — seraient utiles au futur Concile.

Tout d'abord l'Unité des Eglises est à souligner.

Vu nos contacts avec l'Eglise orthodoxe, nous pourrions fournir nos observations aux Pères du Concile. C'est pourquoi j'ai proposé, que cette question soit traitée en détail. Le rapport dans des grandes lignes est déja préparé; on travaillera sur lui d'une manière encore plus détaillée.

Deuxièmement la déshumanisation de l'homme en face du progrès technique oblige l'humanité et l'Eglise aux tentatives de la conciliation de ce progrès avec des vraies valeurs humanistes (j'ai déja préparé un rapport là dessus).

En troisième lieu la laïcisation de la vie incite à la solution du problème, comment la vie surnaturelle doit prendre part dans la vie contemporaine (le rapport est déja prêt).

Il y a enfin des problèmes sociaux et économique dans lesquels vit la Pologne. Ils nous donnent une orientation, qu'un travail supplémentaire sur la doctrine sociale catholique est nécessaire.

Ces problèmes je les crois essentiels. Evidement il y a encore d'autres question qui vont être discutées et resolues au Concile. Dès que Votre Eminence voudra bien me faire parvenir un questionnaire plus détaillé, je ne manquerai pas de m'ouvrir sur ces sujets.

Je me rends parfaitement raison que c'est seulement dans une bien modeste part que je pourrai contribuer à la cause commune, mais elle aura, cette part, sa valeur à elle. Les opinions des évêques du monde entier formeront en effet un tout, très utile aux méthodes du travail de l'Eglise Universelle.

Si Votre Eminence désirait que ces thèses soient formulées d'une manière plus détaillée, je me déclare toujours prêt aux services du Saint Siège.

Je prie Votre Eminence de bien vouloir agréer l'hommage de mon religieux respect en Notre Seigneur et je me permets de baiser Sa Pourpre Cardinalice.

✠ MICHAEL KLEPACZ
Episcopus Lodzensis

5

EXC.MI P. D. CESLAI FALKOWSKI
Episcopi Lomzensis (Lomza)

Lomzae, die 31 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Gratias maximas agens pro humanissimis litteris Eminentiae Vestrae Reverendissimae diei 18 iunii a. c. Prot. N. 1 C/59-768, sequentes animadversiones votaque mittere audeo, quae potius uti desiderata pro futuro in Concilio Oecumenico tractari possint.

I. *Quoad doctrinam*

1. In instructione theologica aspectus kerigmaticus dogmatum cum concentratione Mariologica prae oculis habendus est.

2. Perennis philosophia aristotelico-thomistica quam maxime progressum scientiarum physicarum, chymicarum ac biologicarum appropriare sibi debet, ut novis temporibus magis adaequate correspondeat.

3. Obiectionibus non obstantibus, scientia socialis catholica vera

doctrina est, quae differt a systemate capitalistarum ac socialistarum: haec doctrina catholica sociari debet cum dogmate Mystici Corporis Christi.

II. *Quoad Codicem et Disciplinam*

1. Nova editio *Codicis I. C.* quamprimum pro tota Ecclesia promulgetur, in qua vetera revisioni subdantur, hucusque edita decreta generalia et interpretationes authenticae necnon res novae et necessariae inserantur.

2. Univocam terminologiam in Codice applicare.

3. Legem a qua passim et faciliter dispensatur in legem permittentem convertere.

4. Nonnullas facultates Ordinariorum ampliare.

5. Inamovibilitatem beneficiorum abolere.

6. Ius poenale aliquantulum simplificare magisque perspicuum facere.

7. Lex sacra coelibatus integra maneat, probabilis vero inhabilitas ad eam servandam et consequenter disqualificatio tironum ad statum clericalem ope etiam modernarum methodorum psycho-analiticarum instituenda est, ne ad ministerium divinum vocentur et ad sacramentum Ordinis admittantur hi omnes, qui potius et magis ad sacramentum matrimonii physice et psychice dispositi sint.

III. *Quoad Liturgiam*

1. Kalendarium quam primum reformare, festa stabilire, ne a luna mutabili dependant.

2. Rubricae generales Breviarii adhuc magis ad simpliciorem formam redigere.

3. Breviarium est sacra oratio Ecclesiae, tamen aliquatenus abbreviandum est.

4. In Rituali reservationes imminuere et in administratione Sacramentorum ac Sacramentalium linguam vernaculam admittere.

5. Caeremoniale Episcoporum hodiernis conditionibus accomodare.

6. In Pontificali nonnullae caeremoniae abbreviare (v. g. Consecratio ecclesiarum, altarium etc.).

7. Missam ab hora 3 usque ad horam 21 ubique celebrandi permittere cum ieiunio trium horarum.

Interim Sacram Purpuram osculans cuncta fausta Eminentiae Vestrae Reverendissimae ab Omnipotente adprecare promitto et addictissimum me profiteor

✠ CESLAUS FALKOWSKI
Episcopus Lomzensis

6

EXC.MI P. D. EUGENII BAZIAK

Archiepiscopi Leopoliensis Latinorum (Lwów)
Administratoris Ap. Cracoviensis

Romae, 18 decembris 1959

Eminentissime Princeps,

Fisus me tandem Romam, ad limina, venturum, usque in hunc diem responsionem dare procrastinavi ad Litteras quibus Eminentia Tua Reverendissima vota expetebat pro futuro Concilio Oecumenico celebrando. Quod nunc libentissime facio, in adnexis foliis meas humillimas animadversiones scribens.

Parcat, quaeso, Eminentia Tua mihi si, pro Ecclesiae bono, ex tota mei animi sinceritate locutus sim. Velit attamen et mea ferventissima omina excipere pro felici et quam proxime futura Concilii eiusdem celebratione: ad quod parandum aptas vires Tibi Deus abundanter ut impertiatur oramus.

S. Purpuram deosculans, venerationis sensus Tibi pando omnique quo par est obsequio prosequor meque profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum ac humillimum servum

✠ EUGENIUS BAZIAK
Archiepiscopus Leopoliensis Latinorum

De indole Concilii

Non videtur opportunum, ut Concilium novas definitiones dogmaticas proponat, cum nulla veritas specifice negari videatur, abstractione facta ab erroribus modernis qui ubique irrepserunt ut laicismus et atheismus non solum theoreticus sed practicus, qui errores summatim damnari poterunt.

Negotium maximum Concilii erit reformare disciplinam Cleri populique christiani eamque necessitatibus nostri temporis accommodare, pauca seligendo, quae maximae utilitatis esse poterunt pro Ecclesiae bono animarumque salute.

De Episcopis

Ex iis quae *C.I.C.* de Episcopis statuit (cf. cann. 329 § 1, 334 ss.) patet Episcopos eosque solos (simul cum Romano Pontifice, qui potestatem universalem in Ecclesiam habet sine limitibus territorialibus vel personalibus), potestate ordinaria et propria in dioecesi praeditos esse. Ex quo sequitur omnes alios de potestate Episcopi participare eosque quodammodo esse vicarios Episcopi in munere adimplendo. Potestas eorum est ordinaria attamen certo vicaria et non propria, qua in tota dioecesi unus Episcopus praeditus est.

Parochus non habet potestatem propriam in « suo » territorio sicut Episcopus in tota dioecesi, ideo est « vicarius » Episcopi in eiusdem munere absolvendo, atque magis ad nutum Episcopi esse debet. Inamovibilitas parochi est obstaculum grave in potestate episcopali in territorio dioecesis exercenda.

Firma manente dependentia a S. Sede plenaque submissione, augenda videtur potestas ordinaria Episcopi in regimine dioeceseos rem administrativam et disciplinarem praesertim quod spectat.

Ex iure Codicis tribuantur Episcopis residentialibus facultates quae « ad quinquennium » tantum a S. Congregatione Concistoriali nunc conceduntur.

Augeatur facultas dispensandi ab universalibus Ecclesiae legibus, praesertim in re matrimoniali: exempli gratia, quod impedimentum consanguinitatis in 3° gradu lineae collateralis attinet, semper in praxi dispensatum.

Episcopis residentialibus concedantur facultates benedicendi Rosaria, Crucifixos aliaque obiecta cultui fidelium destinata ad instar privilegiorum quibus pollent S. R. E. Cardinales.

Multiplicentur sollemnitates in quibus liceat Episcopis benedictionem papalem impertiri, non quidem Missa absoluta, sed post homiliam.

Facultas tribuatur Episcopis permittendi bis vel ter Sacrum litare etiam diebus ferialibus, si necessitas pastoralis id exigere videatur.

Augeatur Episcoporum auctoritas respectu religiosorum praesertim exemptorum. Cum Episcopi residentiales sint ordinarii et immediati pastores in dioecesibus sibi commissis (can. 334 § 1), religiosi in iis quae ordinem externum spectant, omnino subdantur Episcopis. Exemptio servetur et limitetur ad ordinem internum religionis. In iis praesertim quae ad ordinem ministeriumque pastorale pertinent, Religiosi plene subdantur Episcopis, tam in exercitio ministerii quam in praeparatione ad illud. Ex quo sequitur necessitas invigilandi in religiosorum studium,

theologiam pastoralem, instructionem religiosam in scholis tradendam, instructionem catechisticam quod attinet.

De Metropolitis

Limitum revisio quarundam dioeceseon videtur opportuna et utilis. Metropolitarum auctoritas in Episcopos suffraganeos augeatur. Opportunum esset Conferentias quas vocant Episcoporum Provinciae instituere ad maiorem coordinationem ministerii pastoralis.

De Religiosis

Limitare privilegia religiosorum in indulgentiis impertiendis et in dispensationibus elargiendis ab aetate requisita ad sacram ordinationem, quae privilegia superant facultates Episcoporum residentialium.

De disciplina Cleri

Cum spiritus laicismi in dies magis pervadant agmina sacerdotum novissimae generationis, periculumque « haeresis actionis » illorum pietati immineat, pauca sed maxima cum disciplina praescribenda sunt et stricte observanda:

a) Pleno vigore et extensione servetur lex coelibatus, quae gloria est cleri ritus latini, qui etiam hisce novissimis temporibus bello et persecutione saevientibus, pro Christo et ovibus animam ponere non haesitavit, dum proh dolor, eisdem in conditionibus ritus graeci sacerdotes, matrimonio iuncti familiisque onerati, ad schisma transierunt.

b) Urgeatur vita communis cleri, nullique, exceptis patre et matre ipsius sacerdotis, in domo paroeciali habitare liceat. Nulla in hoc admittatur exceptio.

c) Ad sanctitatem cleri promovendam urgenda est lex qua omnes sacerdotes quotannis vel altero saltem anno exercitia spiritualia peragere obligentur.

d) Necessitas instituendi Moderatorem Spiritualem pro sacerdotibus in ambitu dioeceseos aut vicariatus foranei.

e) Non minuendum est breviarium sed exigentiis vitae sacerdotalis aptandum, ut sit « Vademecum » sacerdotis, organice cum vita ministri iunctum, quod simul orationi mentali inservire possit, lectioni spirituali vel Visitationi Ss.mi Sacramenti.

f) Habitum quod attinet, vestis talaris servetur in Missa aliisque sacris caeremoniis peragendis. Extra ecclesiam sacerdotes habitu nigro (klergyman) uti valeant, a laicis distincto.

Modificandae tamen sunt vestes religiosorum religiosarumque quae saepe magni pretii, insalubres, incommodae sin minus periculosae cum

sint, risum movent apud fideles, qui simplicitate magis attrahuntur hodie quam varietate vestis.

g) Tollenda lex inamovibilitatis parochorum utpote potestatem Episcopi coarctans in regimine dioeceseos, maximis periculis obnoxia pro ipsis parochis, qui nimis independentes sese considerant animisque fidelium non raro scandalum offerunt.

h) Laxanda lex incardinationis excardinationisque: facilior reddatur possibilitas transeundi in aliam dioecesim, praesertim si adsit penuria cleri in una dioecesi dum simul copia sit in altera.

i) Legibus moderetur frequentatio spectaculorum pro sacerdotibus (uti theatrum, cinema) edicaturque auctoritative an liceat sacerdotibus televisione uti, quae non pauca affert pericula pro vita sacerdotali: animum in terrena allicit, tempus inutiliter teritur, a studiis arcet.

j) Moneantur sacerdotes de periculis in adhibendis autoraedariis (vehiculis automaticis), quae sub praetextu ministerii saepius in praxi adhibentur ad proprium commodum.

k) Moneantur sacerdotes ad vitam in spiritu evangelicae paupertatis ducendam, a luxu sese abstinentes, ut revera fratres sint pauperum.

l) Teneantur sacerdotes lege abstinentiae et ieiunii, cum nulla iis sit ratio ut ab ipsa dispensentur.

m) Dispensationes ab aetate ad sacros ordines requisita ne elargiantur.

n) Sacerdotes omnes pericula subire cogantur post sacros ordines usque ad decem annos.

o) Ne amplius adhibeatur locutio: « clerus saecularis », sed « dioecesanus ».

p) Instructio circa « sollicitationem ad turpia » scandali occasionem praebere potest et est mutanda.

q) Ditentur sacerdotes facultate excipiendi confessiones in itineribus (treno et automobile) sicut in navibus et itineribus aeriis.

De beneficiis

Quoad fructus beneficii (can. 1473) parochus est dominus omnium attamen non eodem modo:

a) Quoad portionem fructuum, quae ad dotis conservationem et meliorationem sunt necessaria, parochus est dominus sub onere can. 1477.

b) Quoad portionem, quae requiritur ad honestatem parochi sustentationem parochus habet dominium plenum can. 1473.

c) Quoad portionem quae superflua attinet, obligatio subsistit « pro pauperibus aut piis causis impendendi ». Haec obligatio est non solum obligatio in conscientia sed obligatio stricte iuridica et coërcibilis.

Lex iuridica enim statuit actiones externas et obligationem erga alterum. Bona enim sunt ecclesiastica et qua talia destinantur ad finem caritativum, quae destinatio sanctione poenali munitur cfr. cann. 2222 et 2346 .Ex definitione can. 1409 beneficium includitur in genere causae piae, atque executor omnium piarum causarum est Ordinarius ex lege can. 1515. Ad executionem autem pertinet possibilitas coactionis, coërcibilitas.

Disciplina populi christiani

Maxima urgetur necessitas praeparandi parentes ad missionem rite adimplendam erga filios relate ad instructionem religiosam. Est hic finis primarius matrimonii et parentes gratia status ditantur ad hanc missionem adimplendam. Cum ad hanc minime sint praeparati, urget necessitas catechismi pro parentibus et laicis qui sacerdotes in casu necessitudinis supplere possint in catechizandis pueris.

Declaretur munus laicorum in apostolatu: urget necessitas cuiusdam Instituti ad hoc speciali modo destinati, ut laici in auxilium hierarchiae catholicae vocati, munus sibi concreditum addiscant et rite implere possint.

De S. Liturgia

Ad maiorem participationem fidelium in rebus sacris admittatur in sacramentis et sacramentalibus administrandis lingua vernacula, nulla enim adest ratio cur diversitas linguae unitati nocere possit. Iura linguae patriae in liturgia praesertim in cantu sacro recognoscantur et millenares consuetudines hac in re pie observentur. Lingua vernacula adhibeatur etiam in caeremoniali sacrae ordinationis ac consecrationis episcopalis: explicationes a sacerdote perdurante sacro ritu datae lingua vernacula, ritum perturbant.

Abbrevietur ritus consecrationis ecclesiarum, altarium etc.

De praeceptis ecclesiasticis

Data facultate celebrandi S. Missae Sacrificium horis vespertinis, nulla adest ratio cur etiam sacra communio fidelibus id rationabiliter petentibus administrari non possit.

Tempus paschale sit ad urgendam non ad finiendam obligationem confessionis et communionis annualis: obligationi satisfacit qui semel in anno sacram synaxim recepit.

✠ EUGENIUS BAZIAK
Archiepiscopus Leopoliensis Latinorum
Administrator Apostolicus Cracoviensis

7

EXC.MI P. D. TADDAEI P. ZAKRZEWSKI
Episcopi Plocensis (Plock)

Prot. N. 4271/59

Plociae, die 15 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Humanissimis litteris Eminentiae V. Rev.mae de die 18 iunii 1959 obtemperans, ut sententiam meam de rebus in Concilio Oecumenico tractandis aperiam, gratum mihi est pro nonnullis capitibus tractandis certas proferre suggestiones:

1. Equidem maxima mihi videntur capita ad vitam sacerdotalem spectantia, quae vita nostris temporibus tantis exposita est periculis, ut non obstantibus tot admonitionibus ex Cathedra provenientibus novas vel renovatas exiget formas.

Praesertim crebrae sunt nunc aggressiones contra coelibatum. Videtur mihi praescripta coelibatus non solum attenuare non licere, sed contra modernas aggressiones et opiniones valde esse defendenda ita ut coelibatus sacerdotalis illaesus maneat.

Accedit hic quaestio orationis; nimirum voces elevantur contra obligationem recitandi Breviarii.

Videtur mihi, hanc publicam orationem sacerdotalem necessariam et omnino retinendam siquidem cum certa reformatione, pro clero in cura animarum occupato, et extra collegia vitam degente.

2. Iura et privilegia et exceptiones diversarum familiarum religiosarum ita accrescunt et accreverunt, ut iurisdictio et necessaria ingerentia Episcopi in earum vitam nimis tenua vel quasi vana evadit. Tempora postbellica vere in vita religiosa multa ostenderunt damna — quibus mederi poterit maior religiosorum dependentia ab Ordinariis. In diversis familiis religiosis quasi deperditur sensus nexus unus Ecclesiae, quae vivit et dimicat — et formatur quidam particularis coetus, qui independenter ab Episcopo et Ecclesia suas colet ideas. Habitus religiosus religiosarum debet esse simplicior et temporibus magis accomodatus.

3. In *Codice Iuris Can.* desunt praescripta de Actione Catholica, de activitate et iuribus laicorum in Ecclesia, quae quaestio semper novas assumit aspectus, et valde inter laicos et sacerdotes disputatur.

4. Ultimis temporibus magnam significationem assumpserunt Conferentiae Episcoporum diversarum nationum. Utilitatem horum con-

gressuum vita ostendit; alium signum in hoc videri potest, quod in ultimo Annuario Pontificio, prima vice hae Conferentias quasi officiali modo enumerantur, deest vero harum Congressuum iuridica competentia. Definiendum est quemnam locum teneat inter iura Episcopi dioecesani, Synodum dioecesanam, consilium provinciale et plenarium.

5. Reformatione indigent libri liturgici, ac quidem *Missale;* desideratus est textus noviter translato psalterio accommodatus, rubricae simpliciores, maior diversitas lectionum tam in Epistolis quam in Evangeliis et admissio in quibusdam partibus usus linguae vernaculae.

Breviarium; magis temporibus Nostris accomodatum, et pro clero saeculari abbreviatum, cum noviter dispositis lectionibus ex Scriptura, Patribus et hagiographia.

Rituale; magis desideriis laicorum pro usu linguae vernaculae accomodatum. Novas exigit formas Pontificale et Caeremoniale Episcoporum ratione speciali modo ieiunii eucharistici, binationis et trinationis Missae.

Desideratae sunt valde abbreviationes et simplificationes rituum pontificalium v. gr. consecrationis Ecclesiarum, Virginum, Ordinum. Quae omnia ad perficienda, certe specialis commissio praeparatoria desiderabatur.

6. Revisio facultatum quinquennalium ubi nunc diversae disproportiones inveniuntur; v. gr. facultatem religiosorum dispensationis ab aetate pro suis assequendi, qua facultate Episcopi dioecesani nunc pro suis subditis non gaudent.

His breviter expositis, quae quidem veram continent partem desideriorum, liceat mihi veniam Em. V. R. expetere et me cum osculo S. Purpurae profiteri addictum in Christo servum

✠ TADDAEUS PAULUS ZAKRZEWSKI
Episcopus Plocensis
Solio Pontificio Assistens

8

Exc.mi P. D. ANTONII BARANIAK
Archiepiscopi Posnaniensis (Poznán)

Prot. N. 1231/59

Posnaniae, die 28 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Litteris, quas Eminentia Vestra ad me miserat die 18 iunii 1959 (Prot. N. 1 C/59-1069), responsum dedi per epistolam, die 26 augusti 1959 (Prot. N. 1079/59); per quam et notificavi me consilia et vota pro futuro Concilio Oecumenico brevi paraturum atque quam primum Eminentiae Vestrae missurum.

Consilia mea et vota varias sectiones vitae ecclesiasticae respiciunt: officia nempe clericorum, iurisdictionem ecclesiasticam, disciplinam Sacramentorum, leges abstinentiae et ieiunii, Magisterium Ecclesiae, ius processuale in causis matrimonialibus, beatificationem servorum Dei, poenas ecclesiasticas et sacram liturgiam.

Maiori tamen cura prosecutus sum capita doctrinalia et reformationes in re liturgica.

Propositiones meas omnes exposui ea mente, ut essent bono animarum et Ecclesiae quam maxime profuturae.

Interea sciat Eminentia Vestra qua Praesidens Commissioni Antepraeparatoriae me cum clero populoque Archidioecesis Posnaniensis Deum Omnipotentem ardentissime adprecaturum, ut omnibus laboribus praeparatoriis futuri Concilii benedicere dignetur.

Eminentiae Vestrae
servum in Christo addictissimum me profiteor

✠ Antonius Baraniak
Archiepiscopus Posnaniensis

I. De obligationibus clericorum

Vita communis cleri (can. 134).

Omnino commendanda est, ubi deest — introducenda, ubi desiit — renovanda, vita communis cleri paroecialis, quae in eo consistit, ut omnes sacerdotes in eadem domo habitent eademque mensa utantur.

II. De potestate regiminis

Potestas Episcoporum residentialium (can. 198).

In Codice Iuris Canonici pressius enucleandum foret discrimen inter Ordinarios locorum, Episcopos residentiales, qui iure divino potestatem habent ordinariam in suis dioecesibus, et alios ordinarios locorum, praesertim eos, qui sede vacante vel sede impedita regimen exercent.

III. De Disciplina Sacramentorum

1. *Tempus celebrandi Missam (can. 821 § 1).*

Canone 821 § 1, in quo tempus celebrandi Missam delimitatur, omnibus Ordinariis concedatur potestas impertiendi facultatem celebrandi Missam quocumque opportuno pro populo tempore.

2. *Facultas trinandi (can. 806).*

Ordinariis tribuatur potestas, ut, ubi adsint circumstantiae de quibus in can. 806 § 2, facultatem trinandi impertire valeant.

3. *Ius matrimoniale (cann. 1012-1143).*

a) Duo impedimenta matrimonialia sunt abolenda: raptus vel violenta retentio mulieris (can. 1074) et affinitas in secundo gradu lineae collateralis (can. 1077 § 1).

b) Praescriptum can. 1032 § 2, quo determinantur publicationes matrimonii in paroeciis, in quibus pars per sex menses commorata sit post adeptam pubertatem, relaxandum est ad normas, quas statuit Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum in casu dispensationis ab eodem praescripto.

c) Supprimenda est multiplicatio impedimentorum consanguinitatis et affinitatis (cann. 1076 § 2 et 1077 § 2).

4. *Validitas consecrationis episcopalis (ad can. 953).*

Consecratio episcopalis facta ab episcopo haeretico, schismatico vel apostata, a Sede Apostolica expresse declaretur invalida in casu defectus successionis Apostolicae vel debitae intentionis, vel essentialis elementi in materia et forma.

IV. De abstinentia et ieiunio

Abstinentia et ieiunium (cann. 1250-1254).

Disciplina abstinentiae et ieiunii hoc modo determinetur:

Abstinentiae legi omnibus et singulis sextis feriis totius anni, ex-

ceptis festis de praecepto, tenentur catholici omnes, qui septimum aetatis annum expleverunt.

Lege ieiunii adstringuntur feria quarta Cinerum, die Parasceve et pervigilio Immaculatae Conceptionis omnes catholici ab expleto vigesimo primo aetatis anno ad inceptum sexagesimum.

V. De magisterio ecclesiastico

1. *Unio Ecclesiarum.*

Unio omnium Ecclesiarum christianarum sit principale argumentum Concilii Oecumenici.

Totus mundus in ordine naturali ad unificationem omnibus viribus tendit. In ordine supernaturali unitas, primitus Ecclesiae a Christo concessa ac deinde malitia hominum disrupta, est iterum omnibus viribus reintegranda. Id ardentissime ab omnibus Christifidelibus desideratur.

2. *Doctrina de Ecclesia.*

Opportunum foret declarare in forma definitionis sollemnis schema Concilii Vaticani de Ecclesia, Corpore Christi Mystico. In eadem definitione declaranda esset quaestio de membris Ecclesiae; praesertim de natura et gradibus connexionis cum Ecclesia baptizatorum.

3. *Salus acatholicorum.*

Enucleandum esset problema salutis aeternae eorum, qui actualiter non sunt membra Ecclesiae.

a) Coniunctio cum Ecclesia eorum, qui salvantur.

b) Salus infantium non baptizatorum.

4. *Natura infallibilitatis Ecclesiae.*

Inculcanda est supernaturalis origo privilegiis infallibilitatis ecclesiasticae. Usus tamen debitus eiusdem privilegii de facto innititur semper profundis et diuturnis studiis theologicis.

5. *Christianus in societate humana et ecclesiastica.*

Declaranda est doctrina Ecclesiae de functionibus uniuscuiusque baptizati in societate humana et ecclesiastica.

A) *Primum problema* spectat operam, quam praestare debet laicatus christianus in oeconomia salutis.

a) Omnes catholici moneantur, ut fidem suam in vita tam privata

quam publica intrepide confiteantur, doctrinae christianae scientiam augeant, supernaturalem vitam gratiae foveant, universam suam vitam ad divina et ecclesiastica praecepta componere studeant ac virtutibus christianis aliis exemplo praeluceant in vita personali, familiari, professionali. Id efficiet eos idoneos cooperatores salutis aliorum.

b) In unaquaque paroecia laici opem ferant suis pastoribus, praesertim in cura animarum extra muros ecclesiae. Nostris diebus desideranda est praeprimis cooperatio medicorum, paedagogorum et iuristarum, ut moraliter et etiam materialiter debito modo consulatur iuventuti, quae se ad matrimonium praeparat, coniugiis noviter initis et familiis numerosa prole oneratis.

c) Auxilium laicorum opportunum esset et necessarium in iis casibus, in quibus exortae sunt difficultates communicationis fidelium cum pastoribus.

d) Catholici, qui active vitam politicam exercent, sociales consociationes promovent, diariis publicis praesunt etc., in opera sua auctoritatem Ecclesiae ne invocent, salvo expresso permissu legitimae potestatis ecclesiasticae.

e) Moneantur laici catholici, ne participent factionibus, quae sibi ius arrogent determinandi ambitum potestatis hierarchicae eamque coarctandi sub falso praetexto defendendi characterem apoliticum Ecclesiae. Revocanda sunt in memoriam iura Ecclesiae docentis.

f) Catholici tenentur ecclesiastica principia vitae publicae cognoscere eaque sua facere tam in theoria quam in praxi.

Opponant se falsis opinionibus politicis, in quibus omnes sectiones vitae publicae invigilationi statali subdantur ita, ut status se immisceat in conscientiam, in potestatem Ecclesiae, in iura omnia tam singulorum hominum, quam familiarum et totius societatis.

In activitate politica, sociali, culturali, catholici debent servare principia fidei christianae.

In activitate internationali eo tendant, ut omnes conflictus solvant in spiritu iustitiae et caritatis, reponendo omnem nationalem particularismum, invidiam rassisticam et doctrinalem.

In vita culturali studeant primas partes attingere, ut spiritum Christi ubique diffundant.

B) *Alterum problema* attinet maiorem democratisationem vitae ecclesiasticae. Hierarchia utpote divinitus instituta manet intangibilis et immutabilis. Designatio tamen clericorum ad obeunda munera hierarchica posset habere latiorem et magis democraticam fundationem in vita sociali Ecclesiae. Id fuit olim in praxi Ecclesiae, idque est hodie in votis Christifidelium.

6. *Catholica doctrina socialis.*

Declaranda est catholica doctrina de ordine sociali. Enumerentur essentiales theses Ecclesiae de societate humana, earumque relatio ad socialismum et communismum describatur.

Definienda sunt iura et officia hominis individui erga societatem.

Solvatur problema de proprietate privata eiusque finibus.

7. *Beata Virgo in opere redemptionis.*

Definienda est functio Beatae Virginis Mariae in opere Redemptionis eiusdemque locus in Mystico Corpore Christi.

Devotio erga Beatam Virginem dirigatur et tendat oportet ad glorificandum Deum unum et trinum.

8. *Creatio animae humanae.*

Spectato ingenti numero procurationum abortus desideraretur definitio doctrinae Ecclesiae de tempore, quo Deus creet animam humanam eamque uniat noviter formato corpori.

9. *Libri prohibiti (cann. 1384-1405).*

a) Obligatio pastoribus animarum imponatur ut saepius fidelibus inculcent ex iure naturae prohibitos esse omnes libros, ephemerides, diaria aliaque id genus, quae lectorem exponunt periculo peccandi.

b) Ex Indice librorum prohibitorum delendi sunt libri veteres, absoleti, parum hodie periculosi.

Inserendi sunt autem libri hodierni temporis, fidei et moribus maxime nocivi. Eo modo reformatus Index debita divulgatione omnibus innotescat.

c) Derelinquenda est qualificatio: opera omnia. Denominentur singillatim opera prohibita uniuscuiusque auctoris.

d) Excommunicatio de qua in can. 2318 § 1, extendatur etiam ad eos, qui edunt, defendunt, legunt libros evertentes fundamenta religionis, etiamsi auctores eorumdem non sint christiani.

VI. De causis matrimonialibus

Processus in causis matrimonialibus (cann. 1960-1992).

Statuatur, ut Tribunal appellationis II instantiae, si accepta causa iudiciali de invaliditate matrimonii concorditer perspexerit sententiam I instantiae, declarantem invaliditatem matrimonii, esse solide fundatam, possit — defensore vinculi non retinente et utraque parte tacente —

sine ulterioribus formalitatibus (sine introductione litis, publicatione actorum processus, conclusione processus) confirmare sententiam primae instantiae.

In aliis casibus instituatur processus secundae instantiae iuxta normas iuris processualis.

VII. De causis Beatificationis Servorum Dei

Processus in causis beatificationis (cann. 1999-2153).

Moneantur Episcopatus singularum nationum, ut incitent Ordinarios locorum ad instituendos processus beatificationis, ubi adsint conditiones a iure requisitae ad initiandum eiusmodi processum.

VIII. De poenis

Poenae ecclesiasticae (cann. 2214-2414).

a) Diminuendus est numerus excommunicationum latae sententiae.

Excommunicationes aliae Sedi Apostolicae (sine ulteriori discrimine in tres classes), aliae Ordinariis reserventur.

Excommunicationes, supposito exiguo earum numero, notificentur populo, ex. gr. per publicationem in ecclesiis semel in unoquoque anno.

b) Poenae interdicti latae sententiae sunt abolendae.

IX. De liturgia

1. *Annus liturgicus.*

a) Stabiliatur tempus Adventus, Quadragesimae, Resurrectionis Domini, Quattuor Temporum.

b) Simplificentur rubricae totius anni liturgici.

2. *Breviarium Romanum.*

a) Recitatio Breviarii in choro persolvatur lingua latina; recitatio privata al libitum, i. e. vel lingua latina vel lingua vernacula.

b) Immutandae sunt lectiones secundi nocturni; in lectionibus historicis accurate indicentur data biographica.

c) In primo nocturno seligantur aptiores lectiones ex Sacra Scriptura.

d) Homiliae tertii nocturni accomodentur exigentiis nostri temporis.

e) Antiphona ante psalmum recitetur (vel cantetur) integra; post psalmum omittatur.

f) Recitatio horarum minorum relinquatur ad libitum.

3. *Missae et Missale.*

a) Missa pontificalis ad simpliciorem formam redigatur; omittatur praeparatio ad missam et gratiarum actio in trono.

b) In Missa et aliis liturgicis functionibus aboleantur omnia oscula instrumentorum (bireti, aspersorii, baculi etc.).

c) Missa sollemnis cum ministris: (idem ac sub 3-*b*).

d) Foveatur recitatio et cantus textuum liturgicorum in lingua vernacula. Abolenda est prohibitio vigens in hac materia.

e) Omnes genuflexiones, quae non fiunt ad honorandum Sanctissimum, supprimantur.

4. *Alii libri liturgici.*

A) *Caeremoniale Episcoporum* aptandum est recentioribus rubricis liturgicis.

Abbreviandae sunt longiores caeremoniae et allocutiones.

B) *Pontificale Romanum:*

a) abbreviandae sunt caeremoniae in conferendis ordinibus minoribus et maioribus, praesertim admonitiones;

b) omittantur caeremoniae antiquatae;

c) introducatur quam maxime lingua vernacula.

C) *Rituale Romanum:*

a) permittatur latissimus usus linguae vernaculae;

b) longiores caeremoniae comprimantur;

c) benedictio aquae baptismalis saepius permittatur;

d) pastoribus animarum concedatur facultas unico signo crucis benedicendi devotionalia, impertiendi indulgentias, imponendi scapularia.

✠ ANTONIUS BARANIAK
Archiepiscopus Posnaniensis

9

Exc.mi P. D. FRANCISCI BARDA

Episcopi Premisliensis Latinorum (Przemyśl)

Premisliae, die 30 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Litteris aestimatissimis Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico perhumane obsecundans, quae sequuntur, proponere audeo.

1. Praeprimis desiderio Sanctitatis Suae SS.mi Pontificis Ioannis XXIII ope Concilii Oecumenici revocandi Ecclesias dissidentes ad unitatem verae Ecclesiae Christi Domini tamquam operi Spiritus Sancti toto corde adhaerere studeo.

2. *Animadvertiones:*

Desiderantur: *a*) Syllabus recentiorum errorum, qui sinceram impetunt doctrinam catholicam, uti modernismus, materialismus, evolutionismus, laicismus etc.;

b) fundamentales veritates catholicae doctrinae socialis.

3. *De clericis:*

a) Bonum coelibatus magis ac magis defendatur.

b) Cum hisce temporibus clerus magnis aggravatur curae pastoralis laboribus, breviorem formam recitandi S. Officii expectare videtur.

4. *Liturgia:*

Ad pietatem fidelium augendam perutile evadere possit recitatio in Missa: Gloria, Lectio, Evangelium, Credo, in lingua nationali. Idem in administratione Sacramentorum: Baptismi, Confirmationis, Communionis, Extremae Unctionis, Matrimonii, in benedictionibus ac exsequiis, relinquendo partes essentiales in lingua latina.

Ecclesia, dicta nationalis, lingua suae liturgiae vernacula attrahere fideles in suas partes conatur.

Libri: Caeremoniale Episcoporum ac Pontificale ad simpliciorem videntur ac breviorem formam reducendi. Ex. gr. consecratio ecclesiae 3 vel 4 horas perdurat et assistentiam fidelium impedit.

5. *De Religiosis:*

Exemptio religiosorum a iurisdictione Episcopi non videtur semper tam dioecesi quam religioni prodesse. Modernae conditiones praeter personalem santificationem exigunt fortiorem interventum omnium sacerdotum ad vitam fidelium christianam perficiendam. Qua in re Episcopus multis laborat difficultatibus, si auxilium religiosorum adhibere velit.

Praescripta Codicis quoad iura Episcopi in religiosos non videntur ad tuendam religiosorum vitam ac studia rite perficienda sufficere. Inde desideratur, ut religiosi magis ab Episcopo pendeant et Episcopus ius, si occurrat necessitas, visitandi eorum domus habeat.

Item experientia suadet saltem aliquam relaxationem subiectionis monialium a potestate superiorum regularium, praesertim a propositione Ordinario confessariorum.

Praeterea opportuna videtur reformatio nonnullorum Ordinum antiquioris originis, ut actuositas eorum in opera pastorali fiat uberior, ne aliquando otio indulgere appareant.

6. *De laicis:*

Hodiernis circumstantiis inspectis oritur necessitas clarius describendi statum fidelium in Ecclesia, uti membrorum Corporis Christi Mystici, obligationes ad invicem ac ad totum Corpus Ecclesiae. Cui fini inservire iuvant:

a) frequens confessio et Communio, ad minimum duabus vicibus per annum ex praecepto;

b) educatio prolis catholica;

c) exemplaris vita christiana familiae,

d) actio catholica et apostolatus fidelium.

Quae omnia distinctas postulant procedendi normas.

7. Lex abstinentiae ac ieiunii aliqualem mitigationem petere videntur.

8. Constructio ecclesiarum ad vitandas miras aliquando novitates exquirit opportunas constitutiones.

Interim cum osculo S. Purpurae intimos sensus profundissimae venerationis ac observantiae Eminentiae Vestrae profiteor, Eminentiae Vestrae Illustrissimae ac Reverendissimae

addictissimus in Christo D.no

✠ Franciscus Barda
Episcopus Premisliensis Latinorum

10

EXC.MI P. D. IOANNIS K. LOREK

Episcopi Sandomiriensis (Sandomierz)

Prot. N. 4845/59

Sandomiriae, die 17 octobris 1959

Eminentissime Princeps,

Magno cum gaudio accepi notitiam litteris diei 18 iunii 1959, N. 1 C/59-1181 mihi transmissam Summum Pontificem Ioannem XXIII iam Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico instituisse atque Episcoporum vota et consilia exquirere pro praeparandis argumentis, quae in futuro Concilio Oecumenico tractabuntur. Ob multas occupationes et difficultates notificare statim responsionem meam, sicut mihi in votis erat non potui. Nunc vero ea, quae mihi magis necessaria atque opportuna esse videntur ad bonum S. Matris Ecclesiae, humillime propono:

1. *Quoad doctrinam*

a) Tradendam esse tanquam dogma fidei doctrinam de Ecclesia utpote Mystico Corpore Christi. Argumentum hoc praeparabatur iam in Concilio Vaticano et copiose in Litt. Enc. Papae Pii XII *Mystici Corporis* diei 29 iunii 1943 dilucidatur. Hoc enim modo fundamentum doctrinale pro designandis laicorum partibus Ecclesiae in apostolatu apponetur.

b) Desiderantur ampliores explicationes doctrinae catholicae de Iesu Christo Redemptore mundi necnon de universali mediatione B. Mariae Virginis.

c) Pressius et distinctius proponenda est doctrina de participatione fidelium in Augustissimo Sacrificio Missae.

2. *Quoad disciplinam cleri*

a) In Seminariis vitam internam, speciatim spiritum sacrificii et oboedientiae, prae aliis dotibus in formatione alumnorum fovere oportet, Seminaria minora prorsus necessaria sunt.

Ubi seminaria minora desunt, alumni post ingressum in seminarium maius saltem per sex menses quasi novitiatum peragere debent addicti tantum spirituali inchoationi, exclusis tempore hoc studiis.

b) Lex S. Coelibatus omnino tenenda, tanquam efficax medium

sanctitatis sacerdotalis, fons indeficiens ardoris in laboribus apostolicis, atque causa auctoritatis et influxus salutaris sacerdotum in populo.

c) Servanda est etiam obligatio quotidiani officii divini, attamen cum ulteriore abbreviatione pro sacerdotibus, qui sunt pastores animarum. Clerus iunior valde desiderat, ut Breviarium lingua vernacula recitari possit. Recitatione officii divini reducta ad dimidiam horam, clericis ordinum maiorum imponenda est obligatio, ut per quadrantem quotidie SS.mum Sacramentum adorent, per alium vero quadrantem Beatissimam Virginem mariano rosario colant.

3. *Quoad vitam religiosam*

a) Exemptio domorum religiosarum a iurisdictione Ordinarii difficultates parit cum in vita religiosa tum in apostolica activitate totius dioecesis.

Iura Ordinarii relate ad religiones quae in dioecesi, cui praeest, inveniuntur expressius designanda et amplianda sunt.

b) Normae quaedam contra abusus potestatis ex parte Antistitarum et Superiorissarum erga subiectas religiosas prorsus necessariae sunt. Reformatione praesertim electio ad officia in religionibus mulierum indiget.

c) Habitus religiosorum praecipue vero religiosarum ad formam simpliciorem hodiernis conditionibus magis accomodatam redigendus est.

4. *Quoad disciplinam fidelium*

a) In *Codice Iuris Canonici* desiderantur ampliores normae spectantes laicos in Ecclesia. Designandae sunt partes, responsabilitas, obligationes et iura laicorum in Ecclesia.

b) Actio Catholica, quoad praecipua sua elementa, in canonibus *C.I.C.* describenda et commendanda est. Relatio inter S. Hierarchiam et laicos clare constituenda est.

c) Activitas pastoralis Ecclesiae novis aptisque mediis indiget, ut fideles spiritu divino imbuti defendantur contra modernum paganismum. Specialis cura pastoralis familiae christianae educationique prolis secundum principia catholicae fidei praebenda est.

5. *Quoad disciplinam Sacramentorum*

a) Parochorum et eorum, qui his in iuribus aequiparantur, privilegium conferendi S. Confirmationem fidelibus in periculo mortis constitutis extendendum est ad omnes sacerdotes simili modo sicut facultas absolvendi sacramentaliter.

b) Facultas distribuendi et recipiendi S. Communionem sicut horis matutinis ita postmeridianis etiam independenter a Sacrificio Missae concedenda est, servato ieiunio eucharistico ad mentem Motus Proprii diei 19 martii 1957. Tamen omnes potus alcoholici, exceptis mediis medicinalibus, ante S. Communionem recipiendam prohibendi sunt.

c) Optanda est pro Ordinariis locorum potestas concedendi sacerdotibus facultatem trinandi Sacrificium Missae etiam in eadem ecclesia celebrandae, ubi id spirituale bonum notabilis partis fidelium exigeret.

6. *Quoad S. Liturgiam*

a) Spirituale bonum Christifidelium postulat, ut orationes quae in Rituali pro administratione sive Sacramentorum sive Sacramentalium ponuntur, lingua vernacula recitari possint.

b) Ritus consecrationis Ecclesiae sicut etiam altaris sive stabilis sive portatilis ad formam simpliciorem redigendus est, adhibitis psalmis et saltem quibusdam orationibus, uti v. g. Litaniae Omnium Sanctorum in lingua vernacula.

7. *Quoad disciplinam in genere*

Liber V *Codicis I. C.* revisioni et correctioni cuidam subiiciendus est.

Haec Eminentiae Vestrae Reverendissimae debito cum obsequio proponens id etiam significare cupio, quia cum clero populoque fideli curae meae concredito ferventer pro felici eventu proximi Concilii Oecumenici Deum Optimum Maximum per intercessionem Beatissimae Mariae Virginis, quae Auxilium Christianorum est, adprecor et adprecari non desinam.

Sensus reverentiae quae par est ex corde exprimo et Sacram Purpuram deosculando me obsequentissimum et addictissimum Eminentiae Vestrae Reverendissimae profiteor.

✠ IOANNES K. LOREK
Episcopus Sandomiriensis

11

Exc.mi P. D. IGNATII SWIRSKI
Episcopi Siedlcensis (Siedlce)

Siedlce, die 28 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Aestimatissimis litteris Tuis de die 18 iunii an. cur. acceptis, gratias quam maximas ago Tuoque desiderio oboediens festino opiniones et sententias meas, quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt, animo submisso proferre.

1. Participatio laicorum in apostolatu exercendo melius et fusius exactiusque declaretur oportet eorumque iura et obligationes relate ad Ecclesiam et clerum amplientur.

2. Necessaria videtur separata editio *Codicis Iuris Canonici* pro laicis destinati facienda.

3. Obligatio coelibatus cleri maxima cum cura retinenda est, sed non videtur necessaria esse eiusdem extensio ad subdiaconatum et diaconatum.

4. Attentis conditionibus hodiernis, Breviarium Romanum ulteriorem abbreviationem postulat.

5. Facultates ordinarias Episcoporum in dioecesi regenda ampliari oportet, videlicet quoad dispensationes elargiendas, poenas infligendas, congregationes erigendas.

6. Exemptio congregationum in genere a potestate Episcoporum, multis in casibus, mere fictitia esse videtur, ideo puto eam in specie ad paucos solum stricteque determinatos ordines et congregationes restringendam esse.

7. Necesse est, ut educatio atque studia philosophiae et theologiae cleri religiosi promoveatur ad normas, quae adhuc vigent in Seminariis dioecesanis clericorum.

8. Formularia caeremoniarum consecrationis ecclesiarum et altarium quandam reductionem et simplificationem requirunt.

9. Oportet doctrinam Ecclesiae quoad laborem, obligationes sociales tam proprietariorum quam opificum, fusius declarari et definiri.

10. Convenit, ut canones de absolutione complicis et sollicitatione ad turpia ex *Codice Iuris Canonici* eximantur et specialis hac in re Instructio in volumine separato edetur.

11. Modus instruendi et procedendi in causis matrimonialibus simplificetur oportet.

12. Desiderandum est, ut Calendarium ecclesiasticum reformetur et festa stabilientur.

Quibus maxima cum reverentia expositis, iterum ferventes referens gratias, Eminentiam tuam rogo, ut me habere velis

addictissimum in Christo
✠ IGNATIUS SWIRSKI
Episcopus Siedlcensis

12

EM.MI P. D. STEPHANI CARD. WYSZYŃSKI

Archiepiscopi Varsaviensis et Gnesnensis (Warszawa e Gniezno)

Prot. N. 5491/59-P. Warszawa, 15 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Mandatum Commissionis de die 18-VI-1959 a., Prot. N. I C/59-36 exsequendo, tamquam *Ordinarius Archidioecesis Varsaviensis* in Polonia, comiter transmitto animadversiones, consilia et vota, quae Sanctae Ecclesiae in concredita mihi a Sede Apostolica Archidioecesi indigentias exprimunt, in labore meo episcopali deprehensas. Propositiones, quas pleno sinceroque in Sanctam Sedem obsequio his litteris annecto, a commissione secreta ad hoc a me coadunata, conceptae sunt.

Interim Eminentiae Tuae manus humillime deosculor meque profunda veneratione profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mum et dev.mum servum
✠ STEPHANUS Card. WYSZYNSKI
Archiepiscopus Varsaviensis

Generalia

1. Manente regula generali, qua leges ab Apostolica Sede latae, in *A.A.S.* promulgantur, etiam obligatio promulgationis legum, decretorum et cuiuscumque generis decisionum SS. Congregationum et quidem in lingua latina inducatur. Hoc enim multum conferre poterit ad profundiorem plenioremque notitiam linguae latinae, quod Ecclesiae cordi esse debeat.

2. Firmis privilegiis perpetuis in *Codice I. C.* contentis, omnia alia

privilegia perpetua abolenda sunt. Etenim privilegia perpetua extra Codicem saepe fictitia eveniunt atque efficiunt, ut « ecclesia » in Ecclesia nasci videatur.

Ius personale cleri et fidelium

1. Lex ferenda est, qua persona maior efficiatur iuxta praescripta iuris civilis in singulis statibus, non tamen infra 18 annorum vitae (can. 88). In multis regionibus hoc modo dualismus in lege personali fundamentali vitabitur.

2. Recitatio divini officii seu breviarii, tamquam publica oratio Ecclesiae pro clero retinenda est, quia sensum unionis cum tota Ecclesia oranti valde fovet.

3. Inhaerendo canoni 111 Codicis, qui de clero dioecesi vel religioni adscripto tractat ad distinguendum clerum alterum ab altero locutio « clerus dioecesanus » et « sacerdotes dioecesani » loco expressionis « clerus saecularis » introducatur. Locutio enim « clerus saecularis » in se considerata dignitati sacerdotali minus convenit.

4. « Facultates quinquennales », qua hucusque locorum Ordinariis conceduntur, Codici inserantur, qua « facultates habituales ». Inter alia commoda ex hoc eveniet, ut animarum pastores de propriis facultatibus Ordinariorum magis edocti erunt.

5. Tractatus « De laicis » in Codice non nisi structuram et obligationes fidelium ad associationes ecclesiasticas pertinentium refert. Quod parum videtur dictum de participatione fidelium laicorum in vita Ecclesiae. Quapropter locus fidelium in Ecclesia ratione gratiae sacramentalis magis determinandus est. Obligationes praesertim laicorum, ut conscientia rationis reddendae pro Ecclesia etiam a laicis, apostolatus laicorum, socialis indoles morum uniuscuiusque fidelis, obligatio cooperandi cum Ecclesia, obligationes et munera laici in paroecia, munus educandi prolem in familia christiana, relatio laicorum ad clerum, omnia haec magis definienda et explicanda sunt.

Quaestiones personales de Religiosis

1. Quattuor species vitae religiosae nunc vigentes in Ecclesia, id est: Ordines, congregationes, societates et instituta complecti debent uno eodemque nomine e. gr. status religiosi, mutato aliquatenus sensu can. 487. Ad statum iuridicum vitae religiosae determinandum hoc non parum conferret.

2. Religiones, quae Congregationi pro Religiosis non subsunt, in praxi potius fictio religionis factae sunt, cum inspectio in vitam domorum religiosarum impossibilis evaserit. Pariter exemptio religiosorum a pote-

state Episcopi plerumque facit, ut hi extra ambitum dioecesanae vel paroecialis activitatis inveniantur. Unde emergit necessitas, ut Episcopus ius et facultatem ingerendi in omnes religiones habeat. Ordinarii iura relate ad religiosos accurate definienda sunt.

3. Religiosis tum viris, tum sororibus obligatio cooperandi cum Episcopo-Ordinario in territorio dioecesis et paroeciae imponenda est. Praesertim pastoralia officia religiosorum, attentis hodiernis necessitatibus, determinanda sunt ut magisterium in scholis, institutio catechetica, hospitalia, opera caritatis, sacramentum poenitentiae, exercitia spiritualia, varia genera animarum curae specialis, substitutio animarum pastorum in paroeciis.

4. Praeter visitatores ad hoc, de quibus in can. 512, officium visitatoris habitualis, ab Ordinario nominati, pro religiosis et sororibus, quae in quibusdam circumstantiis habituali tutela et adiumento indigeant, introducendum est. Quaenam fuerunt facultates visitatoris, Ordinarius definiet.

5. Electiones in religionibus mulierum novis normis ordinandae sunt. Hucusque vigens ius electionum superiorissis occasionem agendi in proprium commodum nonnumquam praebet cum detrimento status religiosi.

6. Habitus religiosus ad formam simpliciorem, in quantum fieri potest, redigatur, vel omnino unificetur. Habitus enim, quo nonnullae religiones, mulierum praesertim utuntur, in adimplendis officiis ecclesiasticis et socialibus impedimento est atque fundatae reprehensionis ex parte fidelium ansam praebet.

De rebus

1. Potestas Episcopi-Ordinarii in potestatem legislativam, administrativam et iudicialem accurate dividatur. Simulque organa designentur, quae respectivam potestatem exercere debeant, e. g. potestas administrativa competit Curiae Episcopali, potestas iudicialis, Tribunali Dioecesano etc.

2. Quoad divisionem territorii dioecesis (can. 216) introducenda est tamquam praeparatio erigendae paroeciae proprie dictae « filia paroeciae » vel institutio alius nominis. « Filiae » territorium ex aliis paroeciis eisdem assignatum habebunt, animarum pastorem proprium stabilem vel ad tempus assignatum accipient et quamdam cappellam tamquam initium futuri templi. Munus « filiae » erit praeparare spiritualiter et materialiter fideles ac territorium ad creandam paroeciam proprie dictam.

3. Penitus amoveatur e Codice terminus servitutis (e. g. can. 987 n. 4, 1083 §2), tamquam factum revera non existens et ansam praebens obiectionibus contra Ecclesiam, quasi institutionem servitutis admitteret.

4. Peccatum sollicitationis de quo in can. 904 hic potius admira-

tionem et scandalum parit. Ideoque terminus « sollicitationis » e libro III Codicis amovendus est. Materia can. 904 potest quidem retineri, sed in alia forma et in iure poenali inserenda.

5. Praescriptum can. 883, quo sacerdotibus iter maritimum arripientibus facultas confessiones fidelium excipiendi conceditur, attentis necessitatibus vitae hodiernae et iuxta canonistas modernos aliis itineribus ut via ferrea, autovehiculis cuiuscumque generis, aeroplanis, helicopteris et caeteris modis locomotionis applicandus est.

6. Leges de indice librorum prohibitorum reformentur. Correctione facta confessariis licentia legendi libros prohibitos concedenda est.

7. Clausula de consensu Capituli et Consilii administrationis ad alienationem bonorum pretii 1.000-30.000 libellarum (cann. 1532 § 3 et 2347) abolenda est. Praescriptum hoc nonnisi difficultates administrationi ecclesiasticae parit.

8. Leges de bonis Ecclesiae temporalibus diminuendae sunt. Possessio et multiplicatio bonorum temporalium in paroecia, dioecesi, Capitulo, Religione aggressionis contra Ecclesiam ansam praebet.

9. Quaestioni de aedificandis ecclesiis plus loci et studii tribuendum est. Nova aedificia tam legibus liturgicis, quam exigentiis moderni apostolatus respondere debent.

De processibus

1. Multa documenta ecclesiastica et acta iudicialia iniuria temporum pereunt. Fideles ad potestates ecclesiasticas se conferunt, restitutionem actorum aut eorum exemplar petendo. In Codice hac de re deest praeceptum legis. Normae igitur de reconstructione documentorum ecclesiasticorum et actorum iudicialium statuendae sunt. Acta ecclesiastica baptismi, matrimonii, mortis Iudicium Episcopale, processu summario peracto, restituere potest. Ad reconstructionem actorum iudicialium, pariter in processu summario, competens erit Iudicium, cuius acta perierunt.

2. Similiter leges de correctione actorum baptismi, matrimonii, mortis et aliorum vitiose confectorum, ferendae sunt. Et hic competens debet esse Iudicium ecclesiasticum, quod modo summario peracto processu, decretum ferat, vi cuius Parochus in margine documenti erronei vitium emendabit.

3. Art. 219 Instr. *Provida,* vi cuius novo titulo nullitatis matrimonii admisso in gradu appellationis Tribunal Appellationis de eo iudicat tamquam I instantia, mutari debet. Hoc enim opportunum non est. Nam partes et testes plerumque in territorio Iudicii I^{ae} instantiae habitant, porro Iudicium II^{ae} instantiae de eodem titulo videbit, cum res ad gradum appellationis veniet.

4. In causis de nullitate matrimonii ob amentiam aut impotentiam normae iuridicae suppleantur pro casu, quo pars amentiae aut impotentiae accusata deest in processus, vel quia non vult apparere, vel quia locus eius commorationis ignoratur.

5. Relate ad can. 2004 terminus « postulator dioecesanus » et « postulator apostolicus » introducendus est. In Urbe fixam sedem habere solum postulatorem apostolicum expresse statuendum est.

6. Normae processus apostolici (can. 2038 § 2, 2053) immutandae sunt. In processu apostolico testes plerumque aut omnino desunt, aut iam debiles et infirmi sunt. Melius igitur erit pro causa, si testes praesertim super virtutibus et miraculis in processu dioecesano excussi sunt.

7. Ad cursum processus beatificationis accelerandum, permittendum est, ut acta archetypa reproducantur ope artis photographicae (microfilms), mutando eo ipso can. 2054.

Ius poenale

1. Excommunicationes non reservatae, de quibus in cann. 2318, 2339, 2352, 2368 supprimendae sunt. Etenim in hodiernae vitae conditionibus raro locum habent.

2. Excommunicationes Ordinario reservatae in can. 2319 et 2350 ut reservatae Parocho pleno iure declarentur. Ex praxi enim constat, multis confessariis hanc facultatem concedi. Ratione autem boni animarum melius erit, si haec Parocho reserventur.

3. Relate ad atheos et associationes Ecclesiam hostiliter aggredientes iuris praecepta definiantur. Distinguendum est inter personas *activas* et *passivas,* diversas iuris sanctiones statuendo.

De re liturgica

1. Attento canone 2 *Codicis Iuris Canonici* ad exarandum et edendum Codicem Iuris Liturgici veniendum est. Hucusque vigens ius liturgicum, in diversis libris, definitionibus et decretis pro clero plerumque inaccessibilibus dispersum, confusionem et defectum unitatis in agendo producit.

2. Inter primaria media ad protegendam participationem fidelium in sacrificio Missae adhiberi potest introductio linguae vernaculae ad stabiles partes Missae ante Offertorium scilicet ad Gloriam, Lectionem, Evangelium et Credo. Reliquae partes Missae, praesertim in Canone, latine recitandae sunt.

3. In quibusdam circumstantiis fidelibus in ecclesiis et infirmis in hospitalibus facultas accedendi ad Sacram Communionem horis vesper-

tinis extra Missae sacrificium danda est. Quod multum conferre potest ad cultum eucharisticum augendum ex parte eorum, qui in aliis horis sacram Communionem sumere non possunt.

4. Ut vita religiosa profundior efficiatur fidelesque arctius cum Ecclesia connectantur, textus liturgici in administratione sacramentorum Baptismi, Confirmationis, Matrimonii et Extremae Unctionis patrio sermone pronuncientur. Idem obtineri potest in sacris functionibus exsequiarum et funeris et variis benedictionibus non exclusa benedictione et consecratione ecclesiae.

5. Clero paroeciali deferenda est facultas benedicendi atque indulgentias applicandi in omnibus casibus, quando benedictiones et indulgentiae cum animarum cura connectuntur, quique casus hucusque sacerdotibus specialia privilegia habentibus reservati erant. Praeter bonum spirituale pro fidelibus, conferre hoc poterit ad abolendam divisionem cleri in personas privilegiatas et non privilegiatas in Ecclesia.

6. In Pontificali Romano textus consecrationis ecclesiae coarctetur. Loco recitationis longiorum textuum, quibus ad fideles nihil dicitur, magis instare oportet in caeremoniis, quae eos, qui consecrationi intersunt, movent et astruunt. Praeterea facultas recitandi nonnullos textus in lingua vernacula concedatur.

7. Ut tempus Missae celebrandae per totum annum aequalis evadat, lectiones, quae sabbatis quattuor temporum assignantur, ad solam Missam in collatione Ordinum remittantur.

8. Rubricae de materia paramentorum et luminis liturgici pro tota Ecclesia exarentur. Hucusque varia hac in re praescripta vigent et numerosiora adhuc privilegia et dispensationes.

9. Ex rubricis Missalis ea praescripta abrogentur, quae usum planetarum plicatarum praecipiunt. Hae enim admirationi fidelium sunt et sensum esteticum offendunt.

10. Caeremoniae, quae de temporibus feudalibus restare videntur, sicuti genuflectio coram Episcopo, manus aut annuli osculatio, tolli pariter debent. Nostris enim temporibus aegre a fidelibus feruntur aut omnino non intelliguntur.

De re sociali

1. Provocando ad doctrinam « De Corpore Christi Mystico » notio Ecclesiae ut mystici corporis Christi divulgetur, ac praesertim obligatio membrorum Mystici Corporis reddendae rationis in materia fidei et morum inculcetur.

2. In theologia fundamentali Ecclesia ut societas supernaturalis caritatis per gratiam sanctificantem effecta demonstretur.

3. Elaboretur catholica doctrina socialis de re oeconomica, de labore, de proprietate et de obligationibus socialibus proprietatem onerantibus. Pariter de vita sociali in communi de ratione socialiter reddenda pro donis naturae et gratiae.

✠ STEPHANUS Card. WYSZYNSKI
Archiepiscopus Varsaviensis

Gnesnae, 23 septembris 1959

Iucundo, a Reverendissima Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico, negotio mihi commisso Prot. N. I C/59-36 libentissime satisfacturus, animadversiones modestasque opiniones seu deductiones conclusionesque, mature, deliberatas et perpensas, necnon desideria humillima submisse exhibere atque proponere haecce audeo.

Qua felicissima occasione fieri non potuit, quin significandum festinanter curarem, quam ingenti gaudio Concilii Oecumenici futuri annuntiatio, a Summo Pontifici excelse facta, quantaque fructuum uberrimorum, inde redundantium, exspectatione, cum tota in Polonia, tum in archidioecesi Gnesnensi, eadem ipsa metropolitana Poloniae honestissima principe, excepta fuerit.

Cui Sanctissimo Operi gravissimae auctoritatis eventum saluberrimum intime exoptantium, tum cleri tum fidelium, oratio fit sine intermissione precesque ad Deum Optimum Maximum supplici cum fiducia continenter funduntur.

I

Concilium Oecumenicum et problema unitatis Ecclesiae

Valde opportunum mihi videtur, si, Concilium Oecumenicum, bene sibi conscium gravissimi a Christo Ecclesiae impositi mandati praedicandi Evangelium omni creaturae (*Mc.* 16, 15; *Mt.* 28, 18-20), adducendi omnes homines ad agnitionem veritatis viaeque salutis (*1 Tim.* 2, 4), congregandique cunctos in Christo (*Io.* 17, 20-21), enixe Sanctam Sedem postulet:

1. Specialis Commissio Pontificia de unitate Ecclesiae:

a) ut instituatur specialis Commissio Pontificia de unitate Ecclesiae, cuius sit dirigere actionem reducendi christianos ab Ecclesia seiunctos ad unum legitimum ovile Christi et unum verum Pastorem convocandique omnes homines tum religioni alicui addictos cum areligiosos ad profitendam fidem christianam prout in Ecclesia Catholica docetur;

b) ut a supradicta Commissione erigatur scientificum Institutum, in quo actioni unitatis Ecclesiae addicti cognoscant dogmata uniuscuiusque haereseos religionisque mundi et methodum se versandi correspondentem cuique factioni religiosae;

c) ut ab eadem Commissione publicentur periodica problemati unitatis dicata (« Unam sanctam », « Ut unum sint ») in duplici forma: tum pro catholicis actioni huic deditis cum pro membris uniuscuiusque factionis religiosae et areligiosae (periodica propagandica);

d) ut sub regimine et inspectione memoratae Commissionis Apostolicae in unaquaque dioecesi, in qua problema « de unitate Ecclesiae » actu existit, ad curiam episcopalem erigantur institutum et periodica ut supra, quae exigentiis dioecesis vel provinciae ecclesiasticae provideantur relate ad finem supradictum;

e) ut ad Pontificiam Commissionem spectat tum regere et invigilare cum laborem et fructus horum dioecesanorum institutorum analisi subicere et coordinare.

2. Sollemnis proclamatio:

a) ut a Sancta Sede et Concilio Oecumenico concipiatur sollemnis proclamatio et mittatur omnibus superioribus uniuscuiusque haereseos christianae atque cuiuslibet religionis, philosophis, virisque doctis notae auctoritatis, quae invitet ad cognoscendum Evangelium Iesu Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae (*Col.* 2, 3), in quo unico inest salus mundi (*Act.* 4, 12), — in qua proclamatione exponatur oportet Ecclesiae a Deo-Homine commissum mandatum praedicandi Evangelium omnibus hominibus (*Mc.* 16, 15).

b) brevis addatur conspectus historicus sectae vel religionis, in quo describatur initium sectae vel religionis earumque influxus in culturam humanam progressumque moralitatis;

c) indicentur dogmata doctrinaeque morales communia Ecclesiae dictaeque haeresi, religioni vel systemati philosophico;

d) explanentur theses, quae propriae sunt Ecclesiae Catholicae, earumque demonstratio, influxus quoque Ecclesiae in progressum scientiarum naturalium (philosophiae), moralitatis et in relationem hominis ad Deum, in assequendam felicitatem;

e) in proclamatione superioribus religionum naturalium et viris doctis missa accurate exponatur doctrina Ecclesiae de relatione inter rationem et revelationem supernaturalem additoque conspectu historico huius problematis;

f) memorata proclamatio imprimatur in ephemeridis et periodicis et, si opportunum videatur, propagetur etiam inter fautores sectarum et religionum naturalium.

II

Quomodo fideles in Ecclesiae missione participare queant

1. De codice vitae christianae componendo:

Multae res adversae, quas sacerdotes in ultimo bello ac speciali modo in quibusdam ergastulis experti sunt, vitam eorum et vim eorum vitalem crebro laederunt. Attamen bonae in sacerdotium vocationes rariores fiunt, eoque magis quod Ecclesiae in pueris instituendis auctoritas sensim et pedetentim infringitur. Ipsi christiani parentes pueris suis naturam atque vim sacerdotii perperam evolvunt, falsas autem spes excitantes. Paulatim demum in seminariis rectus sacerdotii amor et devotionis sensus alumnis incutitur.

Proinde opinor parvum vitae christianae codicem, fundamentis litterarum encyclicarum « Mystici Corporis Christi » nisum compositurum esse, quo fideles rectam doctrinam de intima eorum cum Christo coniunctione percipere queant, animosque suos cum sacerdotum operibus arctissime coniungere possint.

2. De laicorum apostolatu fovendo:

Homines nostrae aetatis, technocratiae vitio imbuti, haud raro vitae consuetudine rationeque favent, quae a Deo et Ecclesia longissime distant. Ne catholici quidem curant, ut fides eorum mente et moribus profundior appareat, parum tantummodo orant, non satis vigilant. Praecepta Sanctae Sedis contemnentes monitaque Episcoporum suorum despicientes obliviscuntur sortes Ecclesiae et mundi fortunam non solum sacerdotibus sed etiam sibi commissos esse.

Itaque laicorum officia muneraque, quae cum Ecclesiae sortibus arctissime coniuncta sint, lege definienda et statuenda esse mihi persuasum habeo. Omnes enim cognoscere debent mundum universum suo labore consecraturum iri. Sed ab infantia, iam in familiis christianis ille ardor zelusque summo studio fovendus est. Quoddam summarium exemplo catechismi compositum in familiis educandis ac doctrina christiana tradenda quam maxime profuturum esse censeo.

3. Directio laicorum ad christianam perfectionem aspirantium.

In unaquaque paroecia inveniuntur laici (minoris aut maioris numeri), qui recto desiderio culmen christianae perfectionis assequendi accensi, conscientiam suam saepius sacramento Poenitentiae purificant, frequentius, immo quandoque cotidie Eucharistico Pane reficiuntur, qui tamen a Deo indicatum gradum perfectionis non attendunt neque copiosum fructum utilitati Ecclesiae praestant, eo quod in via perfectionis speciali

directione priventur. Pastores etenim et confessores difficilis artis directionis « elitae » non satis gnari et experti, in eorum difficultatibus non praebent necessarium subsidium, solamen et adhortamentum. Ex hoc proveniunt multa mala: Deo debitus honor non datur, gradus felicitatis aeternae in vocatione intentus non attingitur, Mysticum Corpus melioribusbus fructibus non laetatur nec crescit.

Conficiatur igitur oportet specialis instructio, qua pastoribus et confessoribus explanetur doctrina directionis « elitae », praesertim quod attinet expositionem Verbi divini (conferentiae - themata), administrationem sacramentorum Poenitentiae et Altaris, methodos adhibendi liturgiam ecclesiasticam in eorum vita spirituali. Indicentur quoque modi, quibus laici hi, praesertim in regionibus, quae pernicioso laicismo laborant, opera Apostolatus fructuosius perficiant.

Opportunum mihi videtur, si ad curias dioecesanas, erigatur institutum seu sectio memoratae directionis spiritualis, quae pastoribus necnon confessoribus adiumenta praestet (instructiones), in qua iidem problemata et difficultates proponere valeant solutionesque quaerant.

III

De eis quae in re liturgica immutanda sint

1. De sacramentorum administratione.

Quo fideles in Sacramentis recipiendis magis active participent uberioremque fructum spiritualem ex eis percipient, verba orationum acclamationumque, quae in eis administrandis proferuntur, lingua vulgari dicenda esse puto, simili modo ac renovatio promissionum Baptismatis in Vigilia Paschali invenitur.

In Sacramentalibus autem administrandis, iis quae ab Episcopo administrantur exceptis, acclamationum orationumque verba lingua vulgari tantummodo proferenda esse puto.

2. De Breviarii Romani immutatione.

In sacerdotum coetibus colloquiisque saepe expostulatur, ut Breviarium Romanum cum aliis privatis orationibus et pietatis exercitiis arctissime coniungatur. Etenim in praesenti diversa eorum pietatis exercitia, quibus obnoxii sunt, ut preces matutinae ac vespertinae, meditatio, examen conscientiae, divinum officium dissipata dispersaque sunt, quapropter sacerdotibus apostolicum munus explentibus gravem molestiam afferunt. Proinde Breviarii Romani immutatio eo intendere debet, ut non solum obiectivam Dei laudem exprimat, sed etiam spiritualibus recitantium commoditatibus quam maxime prosit. Eadem Ecclesia, quae post quinde-

cim saeculos illi venustae psalmorum recitationi, quae a S. Hieronymo facta erat, novam legentibus sine ullo labore perspicuam anteposuit, etiam Officium Divinum ita immutare debet, ut principalem essentialemque orationem recitantium constitueret, in qua omnia pietatis exercitia incorporentur. Ea immutatio mentem S. Benedicti, Officii divini institutoris servare vult, qui etiam inter publicas privatasque orationes distinctionem non posuit. Ordo tamen horarum magis monachorum, qui in monasteriis prope ecclesiam suam vitam degunt operaque conficiunt, necessitates spectat. Sacerdotes autem in saeculo apostolicam missionem perficientes Breviario egent, qui e tribus partibus constaret; quae sequuntur:

a) pars matutina, ex iis quae in Matutino, Laudibus, Prima inveniuntur componenda, etiam meditationem et privatas sacerdotis preces continere debet;

b) in meridiana parte, ex iis quae Tertiam, Sextam, Nonam constituunt componenda brevis ascensio mentis ad Deum inveniatur;

c) pars vespertina, ea quae in Vesperis Completorioque continens, ita componenda sit, ut etiam examen conscientiae privatasque preces vespertinas et brevis in sequentem diem liturgicum praeparatio in ea inveniantur.

3. De iure liturgico in unum redigendo.

Sacri Concilii Patres consulere prospicere debent, ut diversae dissipataeque rubricae sacram Liturgiam spectantes in uno Iuris Liturgici Codice quam primum redigerentur, quo eorum scientia et usus et observantia unicuique facilior fieret.

IV

Sacramentum Baptismi

Cum vero baptismus ordinarie conferatur infantibus, alta et excelsa doctrina Ecclesiae de significatione et consectariis huius sacramenti fidelibus non satis nota videtur, eo quod in magisterio res haec rarius quoque tangatur. Pueri ad discretionem rationis provenientes statim incumbuntur studio sacramentorum Poenitentiae et Sacrosancti Altaris Mysterii, non bene sibi conscii characteri baptismi suaeque incorporationis in Christum lavacro vitae peractae. Doctrina de Baptismo largius et apertius igitur explanetur oportet, adhibitis praesertim elementis, quae in epistolis Paulinis, imprimis ad *Romanos* (6,1-6) inveniuntur. Renovatio promissionum baptismi, quae liturgiae Sabbati Sancti felicissime addita est, in memoriam revocare debet doctrinam Baptismi fidelibus ex catechesi iam optime notam.

V

Quod attinet ius beneficiarium Ecclesiae

Ingenti progressu artis technicae increscenteque in dies numero inhabitantium terram mutatae sunt quoque hominum conditiones oeconomicae et sociales. Commune hoc factum influxit etiam in statum bonorum temporalium Ecclesiae, immo in relationes fidelium quoad res Ecclesiae materiales. Quae cum ita sint, opportunum videtur, si nonnulli canones *C.I.C.* ex toto deleantur, ii nempe qui respiciunt bona Ecclesiae temporalia et praestationes quae pastoribus (parochis) fiunt a fidelibus, et conditionibus praesentibus ita adaptentur, ut salvetur Deo debitus honor, fidelesque nullum inde capiant detrimentum nullamque offensam.

In specie:

1) Omnino supprimendae videntur primitiae et decimae (can. 1502).

2) Ius patronatus (cann. 1448-1470) ita mutari oportet, ut abrogato patrono ab Ecclesia concesso privilegio praesentandi beneficiarium, fundatori ecclesiae eiusque uxori, non vero descendentibus praestanda sint sola suffragia spiritualia, si autem forte in egestatem et pauperiem incidant, quoddam sublevamen materiale.

3) Ut liceat Ordinario, cum consilio vel consensu Consilii Administrationis aut Capituli, aliquam partem proventuum beneficiariorum paroeciarum, quae potioribus reditibus fruuntur, servata honesta et congrua sustentatione beneficiarii, ad alios usus ecclesiasticos dioecesis assumere et designare.

VI

Ius proprietatis et obligationes sociales

Temporibus modernis nimia distantia oeconomica inter paucos praedivites et innumeros proletarios necnon discrimen sociale oritur. Utilitati ingenti fore censeo doctrinam catholicam de obligationibus super dominio privato pendentibus (bona superflua) diligenter et maturate per theologos catholicos elaborandam necnon diffusius et latius divulgandam esse.

VII

Condemnatio belli, quale aetati nostrae ingravescit

Bellum, quale aetati nostrae ingravescens, artibus technicis instrumentisque extremae perniciei hominum adhibitis, qualescumque cultioris vitae et humanitatis opes, plurimo labore acquisitas, ad nihilum redigere praesumpserit, idem ipsum flagitiosum turpe est et prorsus facinorosum, atque quin toti generi humano summo periculo calamitatique extremae foret, nemo est, qui dubitet.

Ecclesia, pacis praeco et vindex, eadem omnimodo servandam nonnunquam curabat, haecce ipsa ratione gentes, populos imperiaque adhortabatur, necnon bellum omne tamquam remedium lites discidiave inter nationes componendi indispensabile, seu thesim de belli ultima ratione, invitabiliter necnon irrevocabiliterque sustinenda necnon sequenda, damnabat.

Utilitati ingenti fore censeo, quodsi Ecclesia summa ipsius auctoritate huiusmodi bellum integrum-totale, extremi excidii hominum interitusque instrumentis gestum, tamquam inhumanum funditiusque nefarium condemnarit omnesque totius orbis terrarum nationes invitarit et commonendo ad arma plane demittenda prorsusque exuenda convocarit, ut armis exutis illud « immane quantum opum », pro belli apparatu necessarium, ad sortem hominum, inopia afflictorum egestateque oppressorum, allevandam, expendi posset.

VIII

Quod attinet ius religiosorum

1. De exemptione religiosorum immutanda.

Grave luctamen, quod in exercendo opere salvifico in praesentiarum Ecclesia Dei gerere cogitur cum laicismo et materialismo in quavis campo culturali civilique, perniciosa damna malaque supernaturali bono fidelium undeque ex propaganda atheistica ingruentia, exigunt, ut dioecesano programmati pastorali ab Ordinario proposito omnes fideles, praesertim vero clerus tum dioecesanus tum religiosus monialesque unanimiter totisque viribus acie bene ordinata cooperentur. Temerarium videtur et menti Christi Ecclesiaeque omnino contrarium, si in enormi opere pastorali in dioecesi ab Ordinario perficiendo, unaquaque domus religiosa vel congregatio in territorio dioecesis degens, proprios fines prosequatur, ideis pa-

storalibus Ordinario sese non subiciens nulloque modo eum suppeditans. Liceat ergo oportet Ordinario eique stet potestas obligare clerum religiosum monialesque (tum individuos cum eorum domus), in exercendo programmate dioecesano pastoralis onerare muneribus praestationibusque, quas ipse, cum consulto Capituli, censuerit iusta, servato tamen regimine uniuscuiusque domus vel congregationis religiosae.

2. Attinet vestem monialium.

Moniales, quae in praesentiarum in ecclesiastico opere charitativo, in doctrina christiana tradenda variisque animarum cura negotiis funguntur, quaeque in suo munere exercendo cum laicis, quandoque etiam acatholicis versari coguntur novissimis peregrinandi opibus utuntur, magnas experiunt difficultates ob suam vestem monialem, saepe valde artificiosam, valetudini contrariam, magno pretio procurandam, simplici modo sese vestiendi laicorum prorsus alienam, indeque etiam obiectum irrisionis et offensae. Opportunum igitur videtur, si vestis illa inclusoque operculo capitis (cornetto), imprimis monialium quae publicis negotiis navant, simplificetur adapteturque praesentibus exigentiis, servato quidem eiusdem religioso charactere.

✠ STEPHANUS Card. WYSZYNSKI
Archiepiscopus Gnesnensis

13

EXC.MI P. D. ANTONII PAWLOWSKI
Episcopi Vladislaviensis (Wloclawek)

Vladislaviae, die 28 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Eodem admirationis sensu ac omnes optimi in Ecclesia filii feror in Beatissimum Patrem Ioannem XXIII, Christi Vicarium strenuum maxima subeuntem opera fortique hortatu novum Oecumenicum Concilium proclamantem et molientem. Unde quotquot sumus sacerdotes aut fidelium plebs communes et fervidas effundimus preces tanto operi divina subsidia implorantes, quod Ecclesiae Dei et generi humano exstabit utilissimum.

Huic rei ne deessem, mea in dioecesi indixi orationem imperatam de Spiritu Sancto.

Hisce meis litteris vota proponenda allego simulque nuntia me demum die 17 mensis augusti litteras Vestrae Eminentiae accepisse, cum repe-

tito ordine visitandis paroeciis totus incumberem tantoque muneri, quod mentem curis deductam desideret, vacare non potui.

Quibus expositis, Eminentiae Vestrae purpuram deosculor simulque me in Christo devotissimum famulum profiteor

✠ ANTONIUS PAWLOWSKI
Episcopus Vladislaviensis

I. *De doctrina catholica*

1. Doctrina de cooperatione Beatissimae Virginis Mariae ad opus redemptionis cum subiectivae tum obiectivae exponatur; si non in omni genere, saltem veritas de Eius erga homines Maternitate spirituali et universali, quae distributione gratiarum exercetur, dogma fidei definiatur: Maria Mediatrix omnium gratiarum.

2. Doctrina de Ecclesia ut est Corpus Christi Mysticum compendiose proponatur, demonstrando praecipue nexus ex gratia et caritate Dei proximorumque provenientes atque responsabilitatem uniusque membri erga Eiusdem sortem historicam et spirituale bonum commune.

3. Doctrina de magisterio Ecclesiae ordinario atque de officiis et muneribus episcoporum, de eorum Conventibus in singulis nationibus habendis, de ipsorum relatione ad Romanum Pontificem in eo quod attinet potestatem iurisdictionis et magisterii uberius enucleanda est.

4. Notio traditionis vivae, quae adaequatus fons revelationis divinae et remota norma fidei constituitur eiusque relatio ad magisterium Ecclesiae, sedulo explananda est.

5. Positiva interpretatio illius vetustissimi adagii: « Extra Ecclesiam nulla salus » proponatur atque designetur condicio in Corpore Christi Mystico primum eorum qui actu in Ecclesia visibili in gratia et qui sine gratia versantur, deinde eorum qui, etiamsi ad Ecclesiam visibilem non pertineant, pretiosissimo sanguine Christi sunt redempti et ad salutem obtinendam ab Eo iuvantur. Praedicatio ecclesiastica hac in re fieri debeat secundum rectam notionem caritatis et tolerantiae, quae vocatur, sedulo evitando duplicem errorem immoderati zeli (s. d. phanatismi) et inopportunae cessionis (s. d. irenismi).

6. Communiendae sunt notiones principales de sorte infantium, qui sine baptismo decedunt, seu de eorum limbo eo quidem consilio, ut parentes catholici conscii sibi sint rationis reddendae Deo pro vita futura suorum infantium.

II. *De Sacramentis et Cultu Divino*

1. Facultas confirmandi concedatur sacerdotibus, qui vices parochi in xenodochiis pro senibus vel in nosocomiis stabiliter gerunt (s. d. cappellanis); quae valida etiam ab aliis sacerdotibus bona fide ministrantibus in casibus necessitatis vel urgentioribus agnoscatur, remota sanctione de nullitate sacramenti.

2. Tempus Communionis paschalis a dominica Septuagesimae usque ad dominicam post festum Sacratissimi Cordis Iesu in perpetuum prorogetur.

3. Neopresbyteris in Missa ordinationis permittantur, ut eam una cum episcopo ad altare stantes, non vero flexis genibus, concelebrent atque, si id opportunum censeatur, ut ss. Communionem sub utraque specie sumant.

4. Omnes, qui obligatione Officii Divini tenentur, si vitam communem (e. g. seminariis, in domibus religiosorum) agant, recitationem eius a choro vel saltem a duobus tribusve renovent. Si quis vero eorum officiis liturgicis vel publicis devotionibus ad unam horam active participent, id hac die pro recitatione breviarii computetur.

5. Celebrans in Missa solemni, in qua lectio et evangelium a ministris cantatur, ea legere ne teneatur.

6. Lectiones missarum opportuniores et magis rationi festorum et diei Dominicae adaptatae quam primum designentur.

7. Ritus comsecrationis ecclesiae, altaris et baptismi adultorum ad breviorem formam redigatur.

8. Quae de musica sacra, de cantu liturgico ac in genere de liturgia recentioribus temporibus a S. Pio X et p. r. Pio XII promulgata sunt compendiose in capita redigantur et *Codici Iuris Canonici* inserantur.

9. In publicis Ecclesiae caeremoniis, in administratione sacramentorum et in assistentia fidelium celebrationi Missae amplior usus linguae vernaculae et cantus populi permittatur ea quidem mente, ut liturgia Ecclesiae magis ac magis schola orationis et catholici sensus efficiatur.

10. Studiis theologicis alumnorum in Seminariis dioecesanis ac Institutis religiosis nova quaedam disciplina sacra assignetur, quae apte Theologia Liturgica nominanda erit.

III. *De religiosis et fidelibus*

1. Decreta et praecepta, quibus vita religiosorum religiosarumque regitur, ad maiorem simplicitatem redigantur amovendo tam multa et varia privilegia, dispensationes et exceptiones; diversas familias praesertim ab eodem Fundatore ceu Patre provenientes in unum coniungere

oportet; quae vero seniles a genuino et apostolico spiritu recessisse videantur, penitus corrigendae atque emendandae sunt.

2. Quae de hominis natura, origine et fine, de dotibus eius individualibus et socialibus, de officiis ac obligationibus familiae et parentum praesertim quoad prolis propagationem et educationem, de legibus vitam socialem spectantibus, de natura et muneribus status, Ecclesia sub assistentia Spiritus Sancti tenet et docet in unum codicem redigantur, sicuti « Magna Charta » humanismi, qui dicitur, catholici constituatur.

3. Principia praesertim ad ethicam specialem, quae vocatur, spectantia, quibus ligantur homines curam rerum humanarum habentes, ut medici, scholarum magistri, magistratus reipublicae, magnarum officinarum operarii diligenter consideranda et precise exponenda sunt.

4. Principia positiva ad pacificam coëxistentiam et sinceram collaborationem inter diversas formas culturarum, quae dicuntur, inter varias nationes populosque et classes sociales ad tramitem religionis revelatae et morum, qui in ea fundantur, enucleare oportet amovendo s. d. razzismum, immoderatum nationalismum, theoriam de pugna classium et alias eiusmodi erroneas notiones.

✠ ANTONIUS PAWLOWSKI
Episcopus Vladislaviensis

14

EXC.MI P. D. PETRI DUDZIEC

Episcopi tit. Camulianensis, Auxiliaris Plocensis

Plociae, die 28 augusti 1959

Cum Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico placitum sit litteris N. 1 C/59-2315 de die 18 iunii 1959 an., acceptis autem die 10 augusti an. curr., me colere, hanc ob rem futuro Concilio Oecumenico sequentia proponere et ostentare audeo:

I. In his quae ad Doctrinam spectant unum, sed maximi momenti rogo, nimirum ut dogma de Beatissima Virgine Maria omnium gratiarum Mediatrice solemniter definiatur.

II. In his vero quae ad « Reformationem », potissime quae sequuntur proponere animus mihi accedit:

1. Ut christifideles horis postmeridianis etiam extra Missam vespertinam sacram Communionem accipere possint.

2. Ut obligationi quotannis Communionis et confessionis fideles quolibet tempore, etiam extra tempus paschale, satisfacere valeant.

3. Ut pia participatio in Sacrificio Missae per radiophonicum instrumentum vel per imaginum transmissionem per electricas undas, quam televisionem dicunt, extraordinaria satisfactio sit obligationis audiendi Missam diebus Dominicis et festis de praecepto.

4. Ut in Missae Sacrificio christifideles maiorem libertatem in lingua vernacula cantandi habeant.

5. Ut omnia ieiunia abrogata sint, abstinentia autem a sola carne, non vero a iure carnis, in vigilia tantum Nativitatis Domini, Feria IV Cinerum et qualibet feria VI in anno obliget, si haec cum festo universali vel locali non concurrant.

6. Ut impedimenta matrimonialia affinitatis in secundo gradu et consanguinitatis in gradu tertio lineae collateralis omnino abrogata sint.

7. Ut Matutinum in Breviario unum tantum Nocturnum habeat et singulae Horae quolibet diei tempore libere recitari valeant.

8. Ut nonnullae caeremoniae, ex. gr. consecratio ecclesiae, altaris, companae etc., in magna sua parte abbreviatae sint.

9. Ut sacerdotes post ritus sacros peractos et extra praesentationes officiosas brevi nigra veste utantur, utque religiosi ac religiosae simpliciore habitu se exornare possint.

10. Ut in difficilioribus casibus sacerdotes ad statum laicalem reducti dispensationem a caelibatu extraordinarie obtinere possint.

11. Ut clausura monialium, avocatis cratibus aliisque ut ita dicam obsoletis et pervetustis, mitigata sit.

12. Ut — excepta Aula Summi Pontificis — infula, baculo et veste violacea soli Episcopi tantummodo utantur, omnes vero praelati et canonici nigrum mantelletum et distinctorium vittae non catenae fixum induant.

13. Ut censurae Hierarchiae reservatae aliquantum terminatae sint, largiendo habitualiter potestatem ab eis absolvendi canonicis cathedralibus et parochis.

14. Ut scripta et libros prohibitos omnes clerici curae animarum vel educationi aut studiis operam dantes servare et legere possint.

15. Ut avocata potestate, qua Ordines et Congregationes religiosae gaudent in largiendis indulgentiis, in erigendis institutis ecclesiasticis, in benedicendis iis quae ad cultum pertinent, limitata adhuc his rebus potestas Episcoporum augeatur.

16. Ut varia praescripta Codicis, quibus Ordinarii in avocandis parochis ligantur quodam modo minuta sint atque impeditiones in nominandis beneficiatis loco eorum, qui ex Familia Pontificia erant, amolitae sint.

17. Ne Ordinarii voto capituli in nominatione canonicorum et in divisione paroeciarum ligentur.

18. Ut Ordinariorum potestas, quae ad alienationem bonorum ecclesiasticorum spectat, aucta sit, largiendo eis hac in re pleniorem facultatem.

19. Ut in minoribus mutationibus finium dioecesium, uti id fieri solet cum novae pareciae eriguntur vel cum longius posita loca unius dioecesis adiunguntur vicinae paroeciae alius dioecesis, soli Ordinarii ad quos pertinet decernere possint.

Animadversiones istas, consilia et vota « omni cum libertate et sinceritate », sicut commissum fuit, prout breve tempus sinit, exaravi et humili animo ac obsequentissimo Pontificiae Commissioni Pro Concilio Oecumenico expono, omni qua par Christiana reverentia atque Catholica unitate permanens

✠ PETRUS DUDZIEC
Episcopus tit. Camulianensis

15

EXC.MI P. D. STANISLAI CZAJKA

Episcopi tit. Centuriensis, Auxiliaris Częstochoviensis

Częstochoviae, die 12 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Litteris die 18 iunii 1959, Prot. N. 1 C/59-2334 datis, quae Concilium Oecumenicum a Summo Pontifice Ioanne XXIII nuntiatum attinent, et quas die 11 augustii 1959 a. accepi, honori mihi duco quae sequuntur exponere:

I. *Credenda seu doctrinae capita*

1. Ut unum sint.

1) Praeprimis ex toto corde magnum gaudium exprimere volo ratione annuntiationis Concilii Oecumenici eiusque finis principalis, qui est coadunatio omnium errantium christianorum in Ovile Christi sub primatu Papae-Petri, ut unum sint. Fundo et fundam, egomet ipse et cum aliis, orationes ad Maternum Cor Reginae Apostolorum, Gratiarum Omnium Mediatricis, ut hanc maximam gratiam universo humano generi et Ecclesiae exoret.

2) In Universitate Catholica Lublinensi olim docui — inter alias partes Iuris Canonici — ius Ecclesiarum Orientalium; deinde uti rector Seminarii Maioris Czestochoviensis alumnos habui etiam unitos ut vocant

« Lemki » unde experientia mea procedit. Haec experientia impellit me, ut faveam conversioni facilius reddendae schismaticorum Byzantini ritus in ritum Latinum. Uniti, in vicinitate cum nationibus schismaticis viventes, asperis in adiunctis perfacile ad schisma relabuntur; huiusce eventus argumento sunt Ruteni e terris Polonis.

3) Blande allicientur schismatici ad Ecclesiam Catholicam felici absolutione codificationis iuris omnium Rituum Orientalium.

2. Dogma B. Mariae Virginis Mediatricis Omnium Gratiarum.

Proclamationem desiderati a christifidelibus dogmatis sequentes rationes expostulant:

1) Veritas haec ad thesaurum doctrinae divinitus revelatae pertinet, prout Ecclesiae universa Traditio dogmatica testatur.

2) Dogma istud supernaturalem B. Mariae V. erga homines Maternitatem melius elucidabit.

3) Definitio dogmatica magis adhuc augebit cultum Deiparae debitum, idque fortius, signando Eius munus in Divina oeconomia salutis humanae, deinde profundiorem faciet intellectionem et pietatem fidelium erga Gratiam Dei.

4) Maiorem fiduciam in mediationem Mariae praesertim lapsis in animis excitabit.

5) Concordat cum charactere praesentis Ecclesiae aetatis, quae tam eminenti cultu Deiparae signatur, quo in effectu evidens apparet operatio Spiritus Sancti, remedium salutis mundo ostendentis.

II. *Disciplina Cleri*

1. In Seminariis Dioecesanis et religiosis non solum formatio intellectualis prae oculis habenda, sed principaliter perfectio vitae spiritualis promovenda est.

2. Potissima vero methodus educandi est specimen sanctitatis ab educantibus et docentibus praebendum, propterea directores spiritus et professores Seminariorum ex optimis sacerdotibus eligendi sunt.

3. Severius exigere oportet ea, quae ad indolem adspirantium pertinent et requiruntur; potius ii parvo in numero admittantur, quam ut ad sacros Ordines indigni promoveantur. Iudicium educantium et magistrorum de idoneitate alumnorum obligatorium esto pro Episcopo ad sacerdotium admittenti.

4. Adspirans ad Seminarium examini medicorum subiciendus est, praeprimis in psychiatria peritorum, ne Sacerdotium attingant homines animo aegroti (psychopatici).

5. Caelibatus Cleri retineri debet, uti necessarius ad sanctitatem et zelum apostolicum Sacerdotum corroborandum. In extraordinariis casi-

bus, cum nempe sacerdotes lapsi in concubinatu vivunt et liberos habent, facilior reddenda est eorum cum Deo reconciliatio, etiam dispensatione a caelibatu, ut animas suas salvaturi in remota regione vitam honestam agere queant.

6. Recitatio Breviarii servari debet, quippe quae in sacerdote sensum communionis cum tota Ecclesia oranti fovet; attamen opus reformandi Breviarii ad finem perducere desideratur, Officium diurnum ad quantitatem Officii Paschatis reducendum est, et, loco partis omissae, praecipienda est sub gravi cotidiana meditatio saltem per 1/4 horae duratura.

7. Essentialis habitus Clericorum, tonsura scilicet et « collare album », semper servari debet, quia habitus clericalis ad propriam sacerdotis dignitatem aestimandam multum confert.

8. Vitam communem sacerdotum, in parochia laborantium, uti praeceptum introducere necesse est.

III. *Religiosi*

1. Strictius determinandae sunt *obligationes pastorales* religiosorum, et necessitas inculcanda cooperationis in dioecesi et parochia cum Episcopo loci.

2. Leges electionem spectantes ita definire oportet, ut Moderatrices Generales in proprium commodum cum detrimento Congregationis iis abuti nequeant.

3. Habitus religiosus in Ordinibus et Congregationibus utriusque sexus ad simpliciorem formam reducatur, praesertim in familiis religiosarum; harum enim vestis nimis exquisita est et quandoque risum excitat. Simplicitas et paupertas etiam hac in re maxime postulatur.

4. In religionibus mulierum unus tantum chorus debet esse.

IV. *Liturgia*

1. *Missae Sacrificium.* In Missa celebranda servetur lingua latina attamen in Epistola et Evangelio admittatur lingua vernacula. Cantus proprius cuiusque nationis pariter admitti debet. Hoc enim argumenta dissidentium ecclesiarum nationalium refellet.

2. *Rituale.* Rationes curam animarum spectantes introductionem in Rituale linguae vernaculae postulant (Baptismus, Confirmatio, Matrimonium — etiam benedictio novae nuptae —, Extrema Unctio, Sepultura, benedictiones et consecrationes, benedictio coemeterii et campanarum).

3. Ad simpliciorem formam reducere et in lingua nationali perficere consecrationem ecclesiae, hoc enim excitabit maiorem fidelium attentionem vividioremque sensum in eorum cordibus et mentibus.

V. *Laici*

Exarari debet *Codex Iuris Canonici* pro Laicis, ubi definienda sunt:

1) Positio et munera laicorum in Ecclesia et in parochia simul ac mutua relatio ad Clerum. Vita in gratia sanctificanti et vita eucharistica ad formam christianitatis primaevae promoveatur.

2) Responsabilitas laicorum pro Ecclesia Christi.

3) Regale Sacerdotium et apostolica cooperatio cum Ecclesia.

4) Officia et munera parentum in familia christiana.

5) Obligatio docendi fidei veritates pro omnibus catholicis.

6) Confraternitates, Sodalitiae et Societates ecclesiasticae.

7) Actio catholica in Ecclesia eiusque structura.

8) Character socialis vitae moralis cuiusque individui.

9) Institutio religiosa fidelium, praeprimis hominum e classe intellectuali ut aiunt, ope cursuum systematicorum extra scholas, cursuum in horis vespertinis, Institutorum Scientiae Religiosae et Universitatum Catholicarum.

VI. *Doctrina socialis Ecclesiae*

1. Propagare doctrinam de Ecclesia, Corpore Christi Mystico simul cum omnibus consequentiis socialibus.

2. Expressius determinare doctrinam catholicam socialem de labore, de obligationibus ius proprietatis aggravantibus, de mutua vita sociali.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimus ac devotissimus

✠ STANISLAUS CZAJKA
Episcopus tit. Centuriensis
Vicarius Generalis Częstochoviensis

16

Exc.mi P. D. VENCESLAI WICISK

Episcopi tit. Caesariensis in Numidia, Auxiliaris Gnesnensis

Opoliae, die 21 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Ad litteras Rev.mae Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, Prot. N. 1 C/59-2686 deditissime transmitto brevem tractatum de vicaria paroeciali, perpetua atque non in perpetuum erecta.

Sacram Eminentiae Vestrae deosculans purpuram profiteor me addictissimum Eminentissimi Domini servum

✠ Venceslaus Wicisk
Episcopus tit. Caesariensis in Numidia

De vicaria seu de curatia

Codex Iuris Canonici in can. 216 § 1 statuit: « Territorium cuiuslibet dioecesis dividatur in distinctas partes territoriales » et in § 3 eiusdem can.: « Partes dioecesis, de quibus in § 1, sunt paroeciae ». In can. 454 distinguuntur paroeciae inamovibiles a paroeciis amovibilibus; « novae, quae eriguntur, sint inamovibiles ». Legislator Ecclesiasticus, non reiiciens paroeciam amovibilem, favet paroeciae inamovibili.

Praeter paroecias tam inamovibiles quam amovibiles *C.I.C.* enumerat vicarias:

1) in can. 1427 § 3 *vicariam perpetuam,* quae ex divisione paroeciae oriri potest, atque

2) in can. 1412 1° *vicariam paroecialem non in perpetuum erectam,* quae beneficii nomine non venit.

Vicarius cooperator ad normam can. 476 § 2 constitui potest non solum pro tota paroecia sed etiam pro determinata paroeciae parte. Attamen desunt ampliora praescripta de erectione ac de natura vicariae tum perpetuae tum non in perpetuum erectae.

Vicariae sub variis nominibus in multis dioecesibus praesertim Europae sed et Americae Septentrionalis inveniri possunt. Leges civiles erectionem paroeciarum non raro difficilem reddebant. Tempore ultimi belli curatiae, non in perpetuum erectae, ad periculum vocandi sacerdotes ad

servitium militare praecavendum creatae sunt. Dos beneficialis antiquarum paroeciarum saepe deminuta est aut totaliter evanuit.

In territorio ecclesiastico Silesiae Opoliensis in parte archidioecesis Wratislaviensis aeque ac in parte archidioecesis Olomucensis existunt sic dictae curatiae, lege particulari erectae, quae sub nomen vicariae perpetuae subtrahi possunt i. e. « curatia independens »; adsunt etiam vicariae non in perpetuum erectae, vulgo « localiae » nuncupatae aut etiam « curatiae dependentes ».

Curatiae per decretum ab imperatore Iosepho I die 26 aprilis 1710 a. editum in Silesiam inductae sunt. Carolus XII, rex Sueciae, pactione die 1 septembris 1707 a. in Altranstädt ad Lipsiam facta imperatorem Iosephum I coegit, ut Ecclesia Romano-Catholica protestantibus 121 ecclesias edere debuerit. Propter « coactionem parochialem » (Parochialzwang) iis temporibus nondum abrogatam nova paroecia in uno eodemque loco erigi non potuit. Qua de causa, ad consulendum fidelium romano-catholicorum necessitatibus religiosis, curatiae erectae et ab imperatore dotatae sunt, in territorio Silesiae Opoliensis duae, una in Kluczbork (Kreuzburg), quae decreto diei 8 augusti 1891 a. paroecia inamovibilis erecta est, altera in Byczyna (Pitschen), quae decreto eadem die edita in paroeciam inamovibilem mutata est. Quo ex tempore, vel maxime ab incorporatione Silesiae in Borussiam 1742 a. peracta, legibus Borussicis Ecclesiam Catholicam summopere vincientibus, permultae sunt erectae curatiae atque localiae.

De quarum notione in *A.A.S.* 1919, p. 46-51 scriptum est; curatiae primi generis in Silesia Opoliensi non inveniuntur atque in dioecesi Berolinensi et in territorio ecclesiastico Gorzoviensi; curatia secundi generis est vicaria non in perpetuum erecta, curatia vero tertii generis est vicaria perpetua. Aliud documentum in *Kirchliches Amstblatt des Erzbischöflichen Ordinariats in Breslau,* 1935, art. 64 publicatum est, quod accuratius et curatiam independentem i. e. vicariam perpetuam et curatiam dependentem i. e. curatiam non in perpetuam erectam describit.

Curatia beneficium non est, sed officium curatum esse videtur.

✠ VENCESLAUS WICISK
Episcopus tit. Caesariensis in Numidia
Auxiliaris Gnesnensis

17

Exc.mi P. D. GEORGII MODZELEWSKI

Episcopi tit. Daoniensis, Auxiliaris Varsaviensis

Varsaviae, die 25 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Respondendo ad litteras Eminentiae Vestrae Reverendissimae de die 18 iunii anni currentis 1 C/59-2687, summo honore affectus vota et desideria ut sequuntur comiter propono:

Quoad iura:

1) ut omnia privilegia perpetua, quae extra Codicem sunt, abrogentur;

2) ut maior sit, qui decimum octavum aetatis suae annum complevit;

3) ut verba « Clerus dioecesanus » verborum « clerus saecularis » locum teneant;

4) ut omnes status perfectionis status religiosus nuncupantur, vel ut sub titulo « de statibus perfectionis » ordines, congregationes, societates et instituta includantur;

5) ut Episcoporum residentialium iura erga omnes ordines et congregationes precise enumerentur et obligationes curae animarum aetatis nostrae etiam religionibus clericalibus magis ac magis imponantur;

6) ut religiosarum vestes quam maxime simplificentur;

7) ut expresse declaretur Episcopos residentiales triplici potestate pollere, scilicet: legislativa, administrativa et iudiciali, ac definiantur, quibus mediantibus officiis eas exerceant;

8) ut de prohibitione librorum nova praescripta concipiantur;

9) ut poenae excommunicationis nemini reservatae aboleantur.

Quoad liturgiam:

1) ut omnes liturgicae leges in unum colligantur codicem;

2) ut fideles, qui in peculiaribus circumstantiis versantur horis vespertinis etiam extra Missam SS. Eucharistiae Sacramento refici possint;

3) ut Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Matrimonii et Extremae Unctionis vernaculo idiomate administrentur;

4) ut ritus et caerimoniae sacrae in administratione sacramentalium, praesertim in peragenda sepultura ecclesiastica servanda, indoli uniuscuiusque nationis propriae correspondeant;

5) ut qui curam animarum habent etiam benedictiones reservatas impertiri possint;

6) ut consecrationis ecclesiae ritus abbrevietur et nonnulli textus eius patrio sermone nationis exprimi possint;

7) ut genuflexiones ante Episcopum sacra peragentem nec non osculationes manus eius ac annuli omnino aboleantur.

Quoad doctrinam:

1) ut doctrina de Ecclesia, tamquam Corpore Christi Mystico, concipiatur et inter fideles propagetur;

2) ut ante Theologiam Fundamentalem quaestiones de religionum historia ab alumnis percipiantur;

3) ut studiosi tractatus de Fide nedum dogmatica sed etiam psychologica et sociologica imbuantur doctrina;

4) ut principia doctrinae catholicae socialis circa legem proprietatis, obligationes sociales non excluso debito rationis pro iis reddendae elaborantur;

5) ut obligationes laicorum erga Ecclesiam magis dilatentur inculcenturque;

6) ut statuatur, quomodo Ecclesia erga atheistas et societates veritatem revelatam oppugnantes, agere debeat.

Hac occasione nactus maxima cum reverentia Sacram Purpuram deosculor et me humillimum addictissimumque servum Eminentiae Vestrae Reverendissimae profiteor.

✠ Georgius Modzelewski
Episcopus tit. Daoniensis
Auxiliaris Varsaviensis

18

Exc.mi P. D. FRANCISCI JOP
Episcopi tit. Dauliensis

Opole, die 10 octobris anni 1959

Eminentissime Domine,

Ad litteras Eminentiae Vestrae Reverendissimae die 18 iunii vertentis anni mihi benigne missas, haec quae sequuntur significare audeo:

1. Inter ea, quae in futuro Concilio Oecumenico deliberanda sunt, magni momenti mihi videntur esse haec omnia, quae respiciunt clerum, eius nempe educationem et formationem spiritualem, necnon sanctitatem

vitae, eiusque aptitudinem ad officia pastorum animarum adimplenda, eius tandem fidelitatem erga Christum et Ecclesiam.

2. Illa, quae in canone 987, 4° statuuntur de impeditis ad ordines servis substituenda sunt potius prohibitione ascendendi ad ordines filiis ex iis familiis provenientibus, quae vitio alcoholismi indulgent, vel filiis, quorum parentes, fratres aut sorores in divortio manent, aut in concubinatu cum tertia persona vivunt, vel tandem non adimplent obligationes vitae christianae.

3. Omnes sacerdotes saeculares ut obligati sint ad vacandum singulis annis saltem per tres integros dies exercitiis spiritualibus. Moderatores piarum domorum ut nullo modo praeter necessarias expensas aliquid a sacerdotibus exercitia spiritualia peragentibus ultra postulare audeant.

4. Ut promoveatur praxis instituendi singulis mensibus communes adorationes Sanctissimi Sacramenti a sacerdotibus, cum aliqua pia exhortatione coniunctae, ac ubi hoc fieri possit, etiam recollectiones mensiles sacerdotum.

5. Promoveatur item maxima cum diligentia et cura ex parte superiorum ecclesiasticorum vita communis sacerdotum.

6. Grave periculum nostris sacerdotibus imminens est spiritus laicismi. In memoriam revocari et stricte exsequi debent praescripta Codicis quoad vestes clericales semper deferendas, tonsuram gestandam ac spectacula et theatra non frequentanda. Specialis cura adhibenda est, ut sacerdotes canonem 133 *C.I.C.* observent et continentiam sacerdotalem servent ac nimis commodam et iucundam vitam vitent.

7. Ut omnes sacerdotes, nemine excepto, etsi in dignitate ecclesiastica sint constituti, saltem aliquoties in anno (quinquies ex. gr.) ex iure canonico obligati sint ad praedicandum Verbum Divinum in ecclesiis, etsi officium pastorale non gerant. Qui vero inhabiles sunt ad praedicandum ne ordinentur.

8. Clerici saeculares in sacris constituti cuiuscumque sunt conditionis incapaces declarentur ad bona immobilia acquirenda, possidenda et administanda. Actus vero huic praescripto contrarii, ut considerentur a iure canonico prout invalidi.

9. Definienda est saltem approximative norma honestae sustentationis, ultra quam sacerdotes nihil percipere possint.

10. Ut amoveatur conceptus beneficii ecclesiastici in iure canonico et omnia beneficia sive cum dote, sive sine dote ut vocentur officia ecclesiastica, vel servitia ecclesiastica. Itemque ut omnia beneficia et officia, quae nunc existunt, ut amovibilia declarentur ad nutum superioris ecclesiastici conferenda, vetita tamen Episcopis facultate transferendi vel

amovendi sacerdotem qui bene et fructuose obligationes ex officio emanantes adimplet.

11. Constituantur in singulis dioecesibus domus, ubi sacerdotes senes, vel aegroti gratis honestam sustentationem ex expensis Curiae recipere possint.

12. Fideles ita instrui et educari debent, ut ex voluntariis oblationibus suis sacerdotibus sustentationem praebeant.

13. Desiderandum est, ut dioeceses non sint numerosae, sed ad maximum, ut numero 500.000 fidelium constent, exceptis magnis urbibus, quae in duas, vel plures dioeceseos dividi non possint.

14. In qualibet dioecesi ut instituantur in Curia duo saltem visitatores dioecesis, qui nomine Episcopi singulas paroecias diligenter visitent. Visitationes enim, quae ab Episcopis hodie peraguntur sunt potius solemnitates ecclesiasticae cum administratione Sacramenti Confirmationis et Verbi Dei praedicatione coniunctae.

15. Ut professores seu magistri in Seminariis clericorum (maioribus) obligati sint non solum ad gradum doctoris assequendum, sed etiam, prout praxis in universitatibus est, ad sic dictam habilitationem apud magistros qui scientia eminent peragendam.

16. Obligatio applicandi pro fidelibus ut reducatur ad dies Dominicas et ad festa de praecepto.

17. Ut praeter *Acta Apostolicae Sedis* in quibus publicantur acta Summorum Pontificum et Curiae Romanae, instituatur aliud commentarium officiale ad solas leges, ordinationes et instructiones Sedis Apostolicae promulgandas.

18. Moderandus est et ad simpliciorem modum reducendus habitus canonicorum in Capitulis, uniformisque fiat pro omnibus Capitulis sive quoad colorem vestium, sive quoad earum formam.

19. Item desideranda est maior simplicitas in vestibus Episcoporum. Tamen Episcopi proprias habeant vestes, quarum usus ut prohibitus sit iis, qui ordinationem episcopalem non receperunt. Usus mitrae, baculi pastoralis et crucis pectoralis ut solis Episcopis reservetur, exceptis omnibus sacerdotibus v. g. ex speciali privilegio vicariis capitularibus, nam non desunt aliquando conatus substituendi Episcopos per sacerdotes, qui ex quolibet titulo mitram portant et usum baculi habent.

20. Confirmationis Sacramentum ut a solis Episcopis, excepto periculo mortis, conferatur. In dioecesibus ubi independenter ab Ecclesia desunt Episcopi, ut potius legitime constituti parochi hoc Sacramentum administrare valeant.

21. Thronus Episcoporum, semper eius cathedra vocetur et verbum thronus adhiberi nequeat.

22. Ut meliori et clariori modo circumscribatur regimen dioecesis in casu vacationis sedis, aut sedis impeditae (can. 429 et seq.). Provideantur opportunae dispositiones, quas nostrae speciales circumstantiae exigunt.

23. Desiderandae sunt aliquae mutationes in ritibus ecclesiasticis, praesertim vero in Pontificali Romano, nimirum.

24. Abbreviandus est ritus consecrationis ecclesiae, consecrationis altarium et consecrationis campanarum. Episcopi qui in provecta aetate sunt constituti, vix ecclesias consecrare possunt, ideoque sunt non raro ecclesiae iam aliquando exstructae et per multos annos nondum consecratae.

25. Omittendae sunt in sacris ritibus osculationes manuum atque semigenuflexiones ante Ordinarium pontificalia peragentem faciendae.

26. Abbreviandus est ritus baptismi adultorum.

27. In Sacramento Confirmationis ab Episcopis administrando, ut Episcopo licitum sit unicam crucem facere ad verba: In nomine Patris etc. Apud nos saepe Episcopi administrant sub una vice Confirmationem 1.000 vel etiam maiori numero fidelium. Si faciunt tres cruces praecipitanter, hoc minus convenit dignitati Sacramenti.

28. Ut in ordinatione subdiaconorum omittantur haec verba admonitionis: « si usque nunc ebriosi, amodo sobrii. Si usque nunc inhonesti, amodo casti ». Iuxta hodiernas exigentias Ecclesiae cum his defectibus, etsi praeteritis, non solum ad ordines, sed etiam ad clericatum nemo admitti potest.

29. Tempus Communionis paschalis ut anticipetur a die Dominica Sexagesimae et prorogetur ad festum Sanctissimae Trinitatis inclusive.

30. Ius poenale Ecclesiae simplificari debet et sanctiones in delicta contra unitatem Ecclesiae, iurisdictionem ecclesiasticam et disciplinam, expresse et minutissime exponi debent.

31. Desiderandum est, ut in unaquaque natione Encyclicae Summorum Pontificum, allocutiones Papae, leges et praescripta Ecclesiae Universalis, interpretationes, decreta et instructiones Sedis Apostolicae sine mora in linguam vernaculam verti et publicari possint. Optandum est, ut in his documentis conficiendis adhibeatur lingua latina clarior et simplex, magis intelligibilis, ad versionem in linguam vulgarem facilis.

32. Praescripta ecclesiastica, interpretationes et praesertim leges ecclesiasticae, ut habeant externam formam magis accomodatam externae formae legum, quae a statibus et guberniis civilibus nunc promulgantur, scilicet formam magis perfectam.

33. Multa hodie scribuntur et publicantur de mutationibus et variationibus, quae in libris liturgicis peragi debeant. Illae mutationes, iuxta

meam opinionem, praesertim in breviario non sunt facile introducendae. Compendium hoc precum decursu saeculorum constitutum et introductum non potest et non debet variari. Desiderandae sunt solae emendationes in lectionibus historicis.

Quaestiones hic enumeratae non omnes Concilio Oecumenico proponi debeant, nonnullae decretis Sacrarum Congregationum solvi possunt, eas tamen Eminentiae Vestrae exponere audeo, nam solutio istarum quaestionum pro Ecclesia Catholica mihi utilis esse videtur.

Sacram Eminentiae Vestrae deosculans purpuram, me addictissimum servum Eminentiae Vestrae Reverendissimae profiteor

✠ Franciscus Jop
Episcopus tit. Dauliensis

19

Exc.mi P. D. MARIANI JANKOWSKI

Episcopi tit. Diospolitani in Thracia, Auxiliaris Siedlcensis

Siedlce, die 12 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

In responsione ad benignas litteras de die 18 iunii a. c. N. 1 C/59-2667 in quaestionibus Concilium Oecumenicum proxime celebraturum attingentibus communicare Vestrae Eminentiae honori mihi duco quae sequuntur:

Totus mundus catholicus a Spiritu Sancto inspiratam intentionem Summi Pontificis Papae Ioannis XXIII convocandi hunc Concilium Oecumenicum laetabundo animo accepit et Deum Omnipotentem de copiosissimis fructibus secutis ex futuro Concilio pro bono supernaturali animarum Praetiosissimo Sanguine redemptarum assidue orat et enixe adprecatur.

Faxit Deus, ut futurum Concilium Oecumenicum excitet ope Gratiae Divinae vividum et efficacem motum in via ad realisationem desiderii Cordis Christi « ut fiat unum Ovile et unus Pastor ». Permultae salutares et valde actuales quaestiones habebunt — sine dubio — locum in futuro Concilio.

Mihi videtur satis gravis quaestio de Ecclesia.

Nempe adimplenda est secundum meam humilem opinionem quaestio de Ecclesia Christi data a Concilio Vaticano. Oportet scilicet revolvere

et declarare quaestionem de Ecclesia Corpore Mystico Christi et de genuina indole Sacerdotii in Ecclesia.

Haec quaestio videtur mihi gravis etenim in presenti tempore ideae laicismi tam vehementer grassantes deformant essentiam Ecclesiae et operarios in Vinea Domini reducunt ad statum mercenariorum. Talis resolutio auctoritativa data a Concilio Oecumenico erit valde salutaris pro populo et pro Clero.

Omni qua par est reverentia et impensissimis animi sensibus Sacram Purpuram Eminentiae Vestrae osculor.

✠ MARIANUS JANKOWSKI
Episcopus tit. Diospolitanus in Thracia
Auxiliaris Siedlcensis

20

EXC.MI P. D. ALEXANDRI MOŚCICKI
Episcopi tit. Doarensis, Auxiliaris Lomzensis

Lomzae, die 31 aug. 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Maximas gratias ago pro officiosis litteris Eminentiae Tuae Reverendissimae diei 18 iunii 1959 a. Prot. N. 1 C/59-2669 et hisce honori mihi duco sequentes animadversiones et vota, quae inter alia tamquam desiderata pro futuro a Concilio Oecumenico considerari possint, adiungere.

I. *Quoad doctrinam*

1. In instructione theologica aspectus kerigmaticus dogmatum cum concentratione Mariologica prae oculis habendus est.

2. Perennis philosophia aristotelico-thomistica quam maxime progressum scientiarum physicarum, chemicarum ac biologicarum appropriare sibi debet, ut novis temporibus magis adaequate correspondeat.

3. Obiectionibus non obstantibus, scientia socialis catholica vera doctrina est, quae differt a systemate capitalistarum ac socialistarum: haec doctrina catholica sociari debet cum dogmate Mystici Corporis Christi.

II. *Quoad Codicem et Disciplinam*

1. Nova editio Codicis I. C. quamprimum pro tota Ecclesia promulgetur, in qua vetera revisioni subdantur, hucusque edita decreta generalia et interpretationes authenticae necnon res novae et necessariae inserantur.

2. Univocam terminologiam in Codice applicare.

3. Legem a qua passim et faciliter dispensatur in legem permittentem convertere.

4. Nonnullas facultates Ordinariorum ampliare.

5. Inamovibilitatem beneficiorum abolere.

6. Ius poenale aliquantulum simplificare magisque perspicuum facere.

7. Lex sacra coelibatus integra maneat, probabilis vero inhabilitas ad eam servandam et consequenter disqualificatio tironum ad statum clericalem ope etiam modernarum methodorum psycho-physico-analiticarum instituenda est, ne ad ministerium divinum vocentur et ad sacramentum Ordinis admittantur hi omnes, qui potius et magis ad sacramentum matrimonii physice et psychice dispositi sint.

III. *Quoad Liturgiam*

1. Kalendarium quamprimum reformare, festa stabilire, ne a luna mutabili dependeant.

2. Rubricae generales Breviarii adhuc magis ad simpliciorem formam redigere.

3. Breviarium maneat sacra oratio Ecclesiae, tamen aliquatenus abbreviandum est.

4. In Rituali reservationes imminuere et in administratione Sacramentorum ac Sacramentalium linguam vernaculam admittere.

5. Caeremoniale Episcoporum hodiernis conditionibus accomodare.

6. In Pontificali nonnullae caeremoniae abbreviare (v. g. Consecratio ecclesiarum, altarium etc.).

7. Missam ab hora tertia usque ad vicesimam primam ubique celebrandi permittere cum ieiunio trium horarum.

Ex quo par est obsequio, Sacram Purpuram humillime deosculans, Eminentiam Tuam Reverendissimam prosequitur seque profitetur

addictissimum

✠ Alexander Mościcki
Episcopus tit. Doarensis
Auxiliaris Lomzensis

21

Exc.mi P. D. IOANNIS FONDALINSKI

Episcopi tit. Doberitani, Auxiliaris Lodzensis

Lodz, die 26 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Eminentissimae Dominationis Vestrae litteris, nomine Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico datis mihi perbenigne die 18 iulii an. curr. Prot. N. 1 C/59-2670, humanissime et humillime respondens, haec honori maximo mihi duco anteponere:

I. *Quoad cleri formationem:*

a) Necessitatem video ut formaliter suscitentur *vocationes sacerdotales,* ut eaedem seligantur et rite colantur, quae omnia universalem applicationem requirunt.

b) In *intellectuali* formatione magnus excitabitur progressus, cum adhuc maiori in gradu singulae disciplinae scientificae aptius mutuo coniungentur, cum mutua penetratione materiali. Tamen desideratae synthesi maxime quidem prosunt pericula omnibus e disciplinis una eademque die subeunda.

Uti professores in Institutis philosophicis et theologicis seligendi sunt optimi exculti sacerdotes, Romae et in Patria educati et aliis in civitatibus, quae bene colunt scientiam.

c) *Formatio religiosa et moralis* eas per praelectiones coletur, quas ipse professor per animam suam intime cognovit; maximam hac in re opem afferret melior praeparatio eorum, qui in Seminariis munere directorum spiritus fungentur, atque eorum vitae exemplum.

d) *Gravitas et comitas* atque optimae *personalitatis* in presbytero formatio consequetur per intimam vitam sacerdotis cum Domino Nostro Iesu Christo et cum professoribus. Exinde opus est, ut professor etiam in sacerdotum educatione partem habeat, saepe cum alumnis suis commorans in omnibus totius diei actionibus.

II. *Cleri disciplina,* sensus *unitatis* et eius vitales vires formantur meliore acquisitione doctrinae de Mystico Corpore Christi et intimo eiusdem doctrinae sensu. Hoc modo quisque suum invenit locum, suam positionem, suaque officia, quae sibi, humilitate servata, in Ecclesia Christi servanda sunt.

III. Bene agentia Curiarum Dioecesanarum dicasteria magna efficere possunt, sive in ipso Dioecesis centro, sive in sacerdotibus singulis in paroeciis. Video horum dicasteriorum necessitatem: Pastorale, Scholare,

Educationis, Beneficientiae, Liturgicum, Iuridico-Sociologicum. Omnia hae dicasteria subdi deberent sacerdoti, qui sua in disciplina gradum doctoris possideret, et constare talibus sacerdotibus qui apprime noverunt theoriam praxi vitae applicare.

IV. Necessitas sentitur, ut clerus adhuc arctius populo approximetur; quod dici debet etiam de professoribus respectu alumnorum et de superioribus quoad inferiores.

V. Quoad doctrinam Ecclesiae desideratur adaequata dogmatica definitio ignis in purgatorio atque necessitas seseque Christo assimilandi, duce Beata Maria Virgine Matre Eius Sanctissima.

VI. In dies magis ardenter desideratur definitio dogmatis de Mediatione Omnium Gratiarum per Beatam Mariam Virginem, quae illas impetrat et largitur.

VII. Praeter iam susceptos labores praeparatorios ad futurum Oecumenicum Concilium necessitas vivida sentitur, ut larga et lata excitetur actio, ut christiani ab Ecclesia separati denuo Sedi Apostolicae coniungantur. Puto fore ut multa hac in re effici possint per dilatationem catholicae doctrinae de Mystico Corpore Christi.

Haec, Eminentissime Princeps, honori maximo mihi duxi offerre. Exigua sunt et fortasse melius ab aliis expressa. Gaudeo attamen me aliquid potuisse afferre ad magnum aedificium construendum.

Sacram Purpuram Eminentiae Vestrae devotissime exosculor et oboedientissimum in Domino me profiteor famulum.

✠ IOANNES FONDALINSKI
Episcopus tit. Doberitanus
Auxiliaris Lodzensis

22

EXC.MI P. D. VENCESLAI MAJEWSKI

Episcopi tit. Docimensis, Auxiliaris Varsaviensis

Warszawa, die 10 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Summo mihi honori est ad litteras a Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico die 18 iunii 1959 missas respondere et consilia votaque mea, quae sequuntur, mittere:

1. Ad augendam activam participationem fidelium in Missae Sacrificio videtur mihi Gloria, Credo, Lectio et Evangelium in lingua ver-

nacula inducendum esse, lingua latina tantum in Canone necnon in mutabilibus Missae partibus esse servanda.

2. Officium Breviarii Romani tamquam publicae orationis Ecclesiae servandum, attamen propter insufficientem eruditionem multorum in lingua latina, ad maiorem utilitatem sacerdotum et fidelium in lingua vernacula eius recitatio permittenda est.

3. Etiam religiosae omnes preces necnon Officium Breviarii in lingua patria recitent, quae fere omnes saepe saepius in litteris latinis nullam eruditionem habent.

4. In Rituali Romano Ordo Baptismi, Confirmationis, Extremae Unctionis, benedictiones in Matrimonio conferendo, Exequiarum Ordo omnesque benedictiones in lingua patria seu vigente et usitata transferendae sunt, hoc enim ad bonum animarum necessarium est.

5. Ordo Consecrationis Ecclesiae simplicius reddendus et in patrio sermone transferendus est.

6. In Seminariis permittendus est, ut alumni studia theologica in lingua vernacula acquirant, saepe saepius enim iuvenes Seminarii aedes ingredientes nullam aut minimam scientiam linguae latinae habent.

Data occasione maxima cum reverentia Sacram Purpuram deosculor

Servus in Christo
✠ Venceslaus Majewski
Episcopus tit. Docimensis
Auxiliaris Varsaviensis

23

Exc.mi P. D. VLADIMIRI B. JASIŃSKI
Archiepiscopi tit. Drizipareni

Tuchoviae, die 4 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Litteris Eminentiae Vestrae, qua Praesidis Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, ad proponenda vota et animadversiones faciendas pro futuro Concilio vocatus, sequentia humillime suggerere audeo.

Parvam dilationem in iis conficiendis causarunt: tempus retardatum, quo litteras Eminentiae Vestrae i. e. die 20 augusti an. c. accepi et deficientia ministrorum Curiae, quibus, qua Archiepiscopus titularis, privatus sum.

Ea, quae in Codice Iuris Canonici, in definitionibus Conciliorum, decretis Sanctae Sedis ac decisionibus Sacrarum Congregationum inveniuntur, non repeto, etiamsi illa in memoriam et observationem revocari necessarium esse duco et exopto.

I. *Doctrina catholica*

1. Capita doctrinae de Ecclesia, quae iam in Concilio Vaticano sunt praeparata, definiantur atque circa naturam, constitutionem et proprietates eius, quae nunc maxime actualia sunt, compleantur ac declarentur.

2. Frequentius in memoriam cleri ac fidelium revocanda est doctrina de divino magisterio Ecclesiae in litteris encyclicis « Mediator Dei » expresse pronuntiata.

3. Doctrina catholica de Corpore Mystico Christi ulterius elucidetur ac in praxim, quantum fieri potest, inducatur.

4. Item doctrina de universali mediatione Beatae Virginis Mariae quoad gratias, quae per tot saecula docetur et a fidelibus creditur, explicetur ac declaretur.

5. Festum in honorem Beatae Virginis Mariae Mediatricis omnium gratiarum ad universam Ecclesiam extendatur.

6. Cultus privatus Beatae Virginis Mariae apud diversos populos christianos ita moderetur et definiatur, ut non videatur praeiudicium afferre cultui Ipsius Christi vel Sanctissimae Eucharistiae.

7. Clerus ac fideles adhortentur, ut etiam in precibus privatis pulcherrimis et sensu plenis orationibus Ecclesiae, quae in Pontificali, Missali, Breviario, Rituali continentur, praeprimis utantur.

8. Formulae professionis fidei Tridentinae addenda est mentio de Limbo infantium sine Baptismo morientium.

9. Omnia documenta Sanctae Sedis doctrinalia, disciplinaria et liturgica intra sex menses tum clero, tum laicis ope organi dioecesani notificentur.

II. *Sacramenta et Sacramentalia*

1. Ritus baptismi adultorum abbreviandus est.

2. Rubricae Missalis ac Officii divini simplificentur.

3. Desideratur brevior forma ritus consecrationis altaris et altarium portatilium.

4. Linguae vernaculae plus loci tribuatur in administratione Sacramentorum et Sacramentalium.

III. *Matrimonium*

1. In *Codice Iuris Canonici* reducantur praesertim partes de Matrimonii impedimentis.

2. Non solum vis et metus simpliciter gravis, sed etiam minus gravis, a parentibus incussus, decernatur esse impedimentum dirimens matrimonii.

3. Error circa qualitatem gravem, uti circa morbum insanabilem, impedimentum dirimens declaretur.

4. In processibus matrimonialibus publicationes actorum omissis nominibus testium fiant, ut praecaveantur rixae, irae et inimicitiae inter partes et testes, qui ultimi saepissime ad familiam vel vicinos pertinent eorumque depositiones parti infavorabiles, si innotescunt, vincula cohabitationis et consanguinitatis rumpunt.

5. In iudiciis ecclesiasticis binum iuramentum ante et post depositiones testium superfluum videtur. Sufficiet unum ante faciendas depositiones, quae subscriptione deponentis firmentur.

6. Forma examinis sponsorum ad essentialia reducatur et strictissime observetur.

IV. *Cultus divinus*

1. Officia divina ne nimis protrahantur, ne fiant onus supra conditiones fidelium.

2. Nocturna officia divina pro fidelibus ne instituantur, sed solum pro ordinibus vel congregationibus religiosis ac coetibus clausis.

3. Omnis cura adhibeatur, ut cultus divinus magnificentiam Dei, bonum spirituale animarum, et sanam devotionem intendat, fidem astantium corroboret ac Deo iungat. Omnes regulae sensus Ecclesiae, artis christianae et aestheticae accuratissime serventur

4. Pericopae et lectiones melius diversis festorum et officiorum generibus adaptentur.

V. *Administratio*

1. Episcopo vel eius Vicario Generali tempore belli per vim maiorem amoto vel prohibito in regenda parte dioecesis, regimen huius partis ad tempus ipso iure transeat ad Episcopum vicinum, ut bono fidelium procuretur, quod canoni 429 Codicis Iuris Canonici inseratur.

2. Actis Concilii Universalis publicatis ultima Statuta Synodalia, vitandae discrepantiae causa, decretis Concilii Universalis ad summum spatio sex mensium accomodentur.

3. Moderatores ac Magistri tam Seminarii dioecesani, quam apud religiosos ante officium suscipiendum iuramento obstringantur ad fideliter sequendam et alumnis tradendam doctrinam et omnia praecepta a Sede Apostolica promulgata.

4. Capitula cathedralia officia a iure canonico et statutis praescripta stricte persolvere debent ac, ut Episcopi Senatus, consiliis suis in regimine dioecesis Ordinarium loci adiuvent.

5. Ordines ac Congregationes religiosae, privilegio exemptionis gaudentes, in materia cultus publici ne discrepent a legibus generalibus et praescriptis dioecesanis, ut exemplo fiant clero dioecesano.

Ad hunc finem assequendum eorum ecclesiae ab Episcopo vel eius delegato frequentius visitandae sunt.

VI. *Disciplina Ecclesiae*

1. Tota legislatio de delictis et poenis de novo formuletur, ut disciplina ecclesiastica vigeat et firmetur.

Leges de ieiunio et abstinentia novis conditionibus adaptentur et pro orbe catholico definitae publicentur.

3. Sacerdotes ad statum laicalem penitus redacti vel redigendi, facilius a lege caelibatus solvantur.

4. Index librorum prohibitorum revisioni subdatur et ex eo expungantur libri, quorum lectio nunc iam non videtur periculum ferre.

5. Ordines religiosi et Congregationes, quae propter observantiae relaxationem fini suo iam non respondent vel ad pristinum statum revocentur vel penitus tollantur.

6. Domus correctionis pro delinquentibus sacerdotibus et monachis instituantur.

VII. *Cura animarum*

1. Cura animarum, mandato Christi Domini: « euntes ergo docete, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis » (*Mat.* 28, 19-20) innixa Eiusque exemplo illustrata, doctrina Ss. Patrum, Doctorum Ecclesiae, Summorum Pontificum, Conciliorum Universalium ditata et a doctis Auctoribus elucidata, indiget solum zelo apostolico et recto modo eius salutares regulas praxi accommodandi. Quapropter Clerus studiis Theologiae pastoralis quam ardentissime vacare debet.

2. Ad fidem corroborandam, amorem Christi augendum, moresque reformandos quotannis in unaquaque paroecia Ignatiana exercitia spiritualia pro liberis, iuventute, solitariis, patribus et matribus instituantur.

3. Omni quinquennio « missiones parochiales », bene praeparatae, cum specialibus contionibus pro singulis statibus christifidelium celebrentur.

4. Liberis et iuventuti omni cum sollertia orthodoxa doctrina catholica exponatur.

5. In cura pastorali urgendi sunt praesertim canones 743-747 *Codicis Iuris Canonici,* qui cum gravi animarum damno parum observantur.

6. Habentur in Europa gentes vagabundae, Bohemi, italice Ungari, Polonice vero Cygani, qui saepe se esse catholicos dicunt. Ignorantia eorum in fide magna, mores corrupti, vita lasciva et bonum animarum exigunt, ut pro iis aliqua cura possibilis instituatur.

VIII. *Unitas christifidelium*

1. Beatissimus Pater inter fines primarios proximi Concilii Universalis magnum suum desiderium ponit, ut omnes, qui Christiani vocantur, ad unitatem Ecclesiae accedant, ut unum ovile Christi constituant.

Tam speranda convocatio Concilii, quam ardentissimum studium adducendi omnes ad unitatem fidei nostros animos sublimat ac laetificat, quapropter omnis cura et adiumentum tam in oratione, quam in actibus ad hunc finem assequendum ex parte nostra nunc et in posterum exhibenda sunt. Oremus sincerissime pro Beatissimo Patre Papa Ioanne XXIII.

2. Qua signum nostrae addictionis huic operi divino, introducantur in ecclesiis nostris piae laudes et acclamationes in honorem Christi Regis: « Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat ».

Purpuram sacram deosculans, me addictissimum et humillimum servum Eminentiae Vestrae profiteor ac permaneo.

✠ VLADIMIRUS BRONISLAUS JASIŃSKI
Archiepiscopus tit. Driziparenus

24

EXC.MI P. D. ADALBERTI TOMAKA

Episcopi tit. Helenopolitani in Bithynia
Auxiliaris Presmiliensis Latinorum

Premisliae, die 29 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Invitationi Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico obediens, quae sequuntur proponere audeo.

1. Praeprimis enixe rogo Deum, ut mentem et desiderium Beatissimi Patris Ioannis XXIII reducendi Ecclesias dissidentes ad unionem cum vera Ecclesia Christi gratia sua adiuvare et ad felicem finem perducere dignetur.

2. Pro clero et fidelibus magnopere utilis esset:

a) Syllabus recentiorum errorum, qui doctrinam catholicam impetunt.

b) Fundamentales veritates catholicae doctrinae socialis.

3. In clero his temporibus valde aggravato magnis laboribus curae pastoralis conspicitur desiderium brevioris formae recitandi S. Officium.

4. Liturgia.

Ad maiorem frequentiam in ecclesiis et augendam pietatem fidelium multum prodesset recitatio: Lectio, Evangelium, Gloria et Credo in lingua nationali, item in administratione Sacramentorum: Baptismi, Confirmationis, S. Communionis, Extremae Unctionis, Matrimonii in Benedictionibus ac Exsequiis, relinquendo partem essentialem in lingua latina.

Ecclesia, sic dicta nationalis, lingua vernacula in sua liturgia, populum ad se attrahere conatur.

5. Libri.

Experientia suadet ut Caeremoniale Episcoporum et Pontificale ad simpliciorem et breviorem formam reducantur. Tempus 3-4 horarum in consecratione ecclesiae est tam pro Episcopo quam pro fidelibus onerosum.

6. Religiosi.

Totalis fere exemptio religiosorum ab iurisdictione Episcopi non videtur prodesse tam dioecesi quam religioni atque vitae spirituali ipsorum religiosorum.

Hodiernae conditiones praeter propriam personalem sanctificationem exigunt maiorem collaborationem monachorum cum clero saeculari ad

vitam christianam fidelium fovendam et perficiendam. Qua in re Episcopus non paucas habet difficultates, si auxilium religiosorum adhibere velit.

Inde desideratur ut religiosi in certis saltem casibus magis ab Episcopo pendeant et si necessitas urget Episcopus ius habeat eorum domus visitandi.

Item aliqualis relaxatio subiectionis monialium a potestate superiorum religiosorum et quaedam inspectio Episcopi in vitam interiorem claustrarum videtur opportuna.

7. Cum vetera praescripta de ieiunio et abstinentia mutatis conditionibus vitae in magna parte iam stricte non observentur, aliqua mitigatio eorum videtur necessaria.

8. Pro aedificandis novis ecclesiis postulantur opportunae speciales constitutiones, nam hodiernae mirae novitates in constructione domorum Dei apud clerum et populum multas criticas et animadversiones excitant.

9. De laicis.

Hodiernis circumstantiis inspectis oritur necessitas clarius statum fidelium in Ecclesia, uti membrorum Corporis Christi Mystici, et eorum obligationes ad invicem et ad totum corpus Ecclesiae describendi.

Cui fini cum magno fructu animarum inservire potest frequentior confessio et Communio ad minimum duabus vicibus per annum ex praecepto.

Interim cum osculo S. Purpurae intimos sensus profundissimae venerationis et observantiae Eminentiae Vestrae profiteor.

Eminentiae Vestrae Illustrissimae ac Reverendissimae

addictissimus in Christo
✠ Adalbertus Tomaka
Episcopus tit. Helenopolitanus in Bithyniae
Auxiliaris Presmiliensis Latinorum

25

Exc.mi P. D. IOANNIS CZERNIAK

Episcopi tit. Eudociatensis, Auxiliaris Gnesnensis

Gnesnae, die 26 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine Princeps,

Litteris Eminentiae Vestrae Reverendissimae de die 18 iunii 1959 Num. 1 C/59-2689 feliciter receptis die 13 augusti, praesentibus sequens responsum transmittere humillime audeo:

Sanctissimi Papae Ioannis XXIII vox Concilium Oecumenicum annutiantis in Archidioecesi Gnesnensi magna laetitia resonavit et inter sacerdotes multas disceptationes excitavit. Cum autem fideles ad felicissimum Concilii eventum exorandum in ecclesiis convocati fuerint, sescenti homines huius gaudii socii fiebant. Studium curaque permanentes testimonium reddunt Sanctissimi Papae cogitata ac sensa mentis etiam in animis fidelium bene fundata esse.

1. *Mediatio universalis Beatae Mariae Virginis a Magisterio ecclesiastico declaranda*

Ex quo Pius XI die 8 maii 1928 Ecclesiam pulcherrimis litteris encyclicis *Miserentissimus Redemptor* adornavit, ubi praepotentem mediationem Beatae Mariae Virginis invocat (*A.A.S.* 1928, p, 179), in mentibus theologorum, in congressibus, conferentiis, unionibus piis conceptus mediationis universalis Beatae Mariae Virginis magis ac magis disputatur et clarescit. Quae Summi Pontificis declaratio, divinae revelationis reflexus, traditione ecclesiastica frequenter illustrata, esse videtur. Doctrinam enim ab Ecclesia creditam expresse repetit ac propugnat, qua Beata Maria Virgo mediatrix omnium gratiarum declaratur.

Maxima huius doctrinae momenta diligenter iam hodie exarata a permultis auctoribus inveniuntur. Magis ac magis etiam apparet, doctrinam de mediatione universali Beatae Mariae Virginis duplici fundamento niti, scilicet: maternitate divina et consortio cum Christo in opere salutis. Quae nuper Pius XII in encyclicis celeberrimis marianis explicare curavit. Consortium enim Beatae Mariae Virginis, eiusque mediatio universalis Christi mediationem non destruit, quia ei potius subordinatur.

Si ergo mediatio universalis Beatae Mariae Virginis quoad gratias Magisterio ordinario Ecclesiae, constanti traditione catholica et theologorum sententia communi propagatur, nunc remanet, ut sententia, fidei proxima, fide catholica credatur, scil. quod Beata Maria Virgo mediatrix universalis gratiarum declaranda non solum, quia Christum nobis genuit, sed voluntate divina mediatrix universalis creata est illudque opus misericordiae erga homines sine intermissione exercet.

2. *De obligatione caelibatus*

Disciplinam cleri alumnorumque in Seminariis clericorum arctiorem magisque strenuam urgendam esse persuasum habeo.

Attentis vanis futilibusve deliberationibus et opinionibus de obligatione caelibatus mitiganda seu moderanda molliendaque, inter catholicos quoque circumvagantibus, praxim necnon ius, ea ratione inde a saeclis

vigens, in memoriam revocari debere atque caelibatus legem etiam ad Ecclesiam Orientalem extendendam esse censeo extentionemque huiusmodi utilem fore existimo.

3. *Vitae christianae codex desideratur*

Miserias acerbissimas, quae homines ultimo bello perceperunt, et institutorum vivendi mutationes familiarum coniunctiones et societatem laxando laicismo propagando obsecundaverunt. Ipsi catholici parentes sacerdotalem missionem pueris suis false exponunt, quo fit ut etiam candidati in Seminario clericorum legationem a Christo Ecclesiae datam non intelligant. Ardens constansque sacerdotum docendi labor efficere non potuit, quin litterarum encyclicarum *Mystici Corporis Christi* a Sancto Papa Pio XII exposita principia in familiarum catholicarum radices exirent. Utillimum saluberrimumque puto codicem christianae vitae principia enucleantem in lucem emissurum esse. Utinam fideles intimam cum Christo coniunctionem profundius intelligant fortunam fataque Ecclesiae sua propria existiment!

4. *De laicorum apostolatu fovendo*

Hoc tempore quo homines intimam rerum structuram perspiciunt astra stellasque peragrare intendunt, inter societatis doctos sodales confusio mentium gignitur, quae laicismo propagando viam sternit. Doctrina autem de terrena solummodo fine civitatis et de religione toleranda atheismum universalem simulate propagare contendit. Praeterea ne catholici quidem curant fidem eorum mente et operibus profundiorem fieri, orationem negligunt parum vigilant. Praeceptis Sanctae Sedis contemptis sortem Ecclesiae et mundi fortunam solis sacerdotibus derelinquunt.

Saluberrimum puto laicismi pericula et vim nocendi in vita singulorum, in familiis, in vita societatum a Concilii Patribus condemnari. Religionis enim est omnes terrenos supernaturalesque appetitus hominis satiare, generi humano veram humanitatem cultumque afferre. Cum catholici in familiis suis instituuntur et cum eis in paroeciis doctrina christiana traditur, animo apostolico in locis, ubi vivunt operaque sua conficiunt imbuantur proximorum vitam ut negotia sua propria ducant oportet.

5. *De nonnullis caeremoniis supprimendis*

Mater Ecclesia diversis modis fideles alloquitur, ut inextinguibilia Dei mysteria eis pandant: verbo, musica, gestibus « per visibilia ad invisibilem » Amorem eos ducit. Itaque intimus Ecclesiae sensus atque

animus non solum verbis, sed unoquoque, minimo etiam gestu liturgico continetur. Haec Ecclesiae vetusta venustaque praxis naturali quodam hominis appetitione nititur, qui semper gestibus elocutiones suas clarius argutiusque exprimebat. Institutorem Divinum suum Ecclesia imitabatur, qui etiam extendebat manus, intendebat oculos, tangebat homines, imitabatur quoque Apostolos sanctos. Decursu tamen temporum diversae gentes alios gestus, alios modus ad elocutionem suam clarius exprimendam adhibebant, Ecclesia autem ea signa, quae vim significationemque amiserant, tollebat et nova in cultum inducebat. Haec erat constans tritaque praxis Ecclesiae, ut ea signa gestusque cum quibus alienae et ineptae significationes coniungerentur, legislator ecclesiasticus ea immutaret aut etiam ex toto aboleret. Talem immutationem nonnullarum caeremoniarum hominibus nostrum temporum desideratam esse opinor. Homines, qui hodie vivunt, personae suae dignitatem maxime aestimant et molliore animo omnia, quae hominis adversus hominem demissionem humilitatemque significant aegre ferunt. Quapropter nonnulli gestus, praesertim in Missis pontificalibus celebrandis, quae devotionem augere animumque colligere student, eos irritant et ad activam eorum in Sacra Liturgia participationem impedimento fiunt. Imprimis numerantur:

a) oscula in Missis pontificalibus aut solemnibus, quae in tradendis recipiendisque instrumentis liturgicis apponuntur. Ea omnia oscula, exceptis iis, quae altare aut evangeliarium respiciunt, abolenda esse puto;

b) genuflexiones ante episcopum ordinarium faciendae, quae parum tantummodo ab iis, quae coram Sanctissimo faciendae sunt, differunt falsasque significationes sensumque prorsus alienum excitant. Proinde in locum genuflexionis inclinationem profundam inducendam esse puto;

c) incensatio personarum in missis conventualibus et officiis choralibus similiter fideles pungit molestiamque eis movet indignas alienasque significationes cultui alligat. Itaque omnes personarum incensationes abolendas esse credo.

6. *De immutationibus in administratione Sacramentorum Sacramentaliumque*

Quod fideles pro rata increscente in dies portione in Sacrificio Missae et praesertim in instaurata Liturgia Hebdomadae Sanctae partem accipiunt, eorum saluti prosperitatique spirituali evadat, non est qui dubitet. Maturato opus est, ut homines etiam in sacramentis recipiendis magis active participent. Propterea verba responsionum et orationum in Sacramentis administrandis lingua vulgari ab omnibus dicenda esse puto.

In nonnullis sacramentalibus administrandis e. g. in Ecclesiarum Alta-

riumque consecratione verba orationum abbrevientur, caeremoniae ad simpliciorem modum redigantur oportet. In administratione aliorum sacramentalium acclamationes orationesque ex omni parte solummodo lingua vulgari proferenda esse puto.

7. *De Breviario Romano immutando*

Graves in textu et rubricis Breviarii ab Ecclesia immutationes, quae ultimis annis factae sunt, desideria optataque sacerdotum apostolico munere fungentium non despexerunt. Nova enim Psalmorum versio nullo labore apposito textum a Spiritu Sancto inspiratum perspicuum reddebat, rubricae autem in simpliciorem modum redactae recto recitando ordini et modo expediebant. Attamen in sacerdotum colloquiis coetibusque saepius expostulatur, ut Breviarium Romanum denuo ita immutetur, ut cum aliis pietatis exercitiis e. g. meditatione, examine conscientiae in unum coalescat. Sacerdotes, qui difficile onerosumque munus suum in saeculo explent, Breviarium desiderant, qui e duobus maioribus partibus et una minore constaret:

a) e parte matutina, ex iis quae in Matutino, Laudibus, Prima inveniuntur composita et meditationem privatasque sacerdotis preces continente;

b) e parte vespertina, ex iis quae in Vesperis et Completorio inveniuntur composita et examen conscientiae continente;

c) iis duobus partibus addatur brevis ordo orationis meridianae, ex eis quae Tertiam, Sextam, Nonam constituunt.

Nemo est, qui dubitet, quin talis ordo orationis, quae in unum coalescat diversa dissipataque adhuc pietatis exercitia simul contineat, sacerdotibus in mundo suum munus explentibus magno emolumento saluti foret.

8. *Quod attinet calendarium liturgicum*

Cum vero Organisatio Nationum Unitarum sese implicat praeparationibus novi calendarii, in toto mundo obligandi, rem valde prudentem et urgentem habeo, ut ab Ecclesia quoque concipiatur quamprimum calendarium liturgicum (illi Organisationis N. U. conveniens), in quo loco festorum mobilium sola deinceps festa stabilia ponantur. Quae correspondentia calendarii saecularis et liturgici non solum facilitabit relationes mutuas fidelium et acatholicorum, immo etiam tollet fidelium difficultates conscientiae quae causantur differentiis inter calendarium saeculare et liturgicum.

9. *Quod attinet linguam vernaculam in missa paroeciali*

Cum lingua latina actu bene omnibus fidelibus ignota sit (saltem ita, ut intelligant cunctos versus missae), cum lingua vernacula iam admittatur ab Ecclesia in administratione nonnullorum sacramentatorum et benedictionum, videtur opportunum, ut saltem in missa peroeciali Dominicarum festorumque licebit recitare textus biblicos et cantare alios tractus mobiles missae lingua vernacula, textu modoque recitandi et cantandi approbato ab Ordinario.

10. *Quod attinet legem ieiunii et abstinentiae*

Difficilioribus condicionibus oeconomicis in omni paene regione mundi existentibus eventum est, ut lex ieiunii aut omnino non observetur, aut solummodo a paucis. Fidelibus, qui iam per duo decennia dispensatione Sanctae Sedis in hac re utuntur (gaudent), qui insuper persaepe non propriis domibus sed in publicis locis comedere solent sive coguntur, lex ieiunii, prout in cann. 1251-1252, 1254 praescribitur, videtur imponere gravius onus, quam quod sustineri possit. Immo sacerdotes ipsi, officia pastoralia (schola, celebratio plurium missarum in diversis ecclesiis, confessionum exceptio praesertim tempore Quadragesimae) maximis incommodis (iter ad plures ecclesias scholasque) exercentes, saepius censent, se esse iure naturae a lege ieiunii iuste dispensatos. Quae cum ita sint, opportunum videtur, si lex ieiunii omnino tollatur, lex vero abstinentiae limitetur ad solas ferias sextas vigiliasque Nativitatis et Resurrectionis, ommissis Quatuor Temporibus.

11. *Sollemnis proclamatio relationis naturam inter et ordinem supernaturalem*

Cum expansiva vis Ecclesiae actu intendit congregare in sinum unicae Veritatis unicique veri Pastoris omnes homines, acatholicosque et atheos, opportunum censeo, si iterum sollemniter declaretur, quid Ecclesia sentiat de relatione inter naturam et ordinem supernaturalem, inter rationem humanam et revelationem et quomodo revelatio supernaturalis suppleat fallibilem rationem hominis. Declaratio haec, amplexo quoque conspectu historico problematis interpretationeque recta data factorum et decisionum, quae ab inimicis Ecclesiae contra auctoritatem Magisterii ecclesiastici obiciuntur, multum iuvabit ad conciliandos animos, impedimentaque tollenda.

12. *Quod attinet casum sacerdotum degradatorum*

Multa mala permagnae difficultates oriuntur problemati sacerdotum, qui ob crimina et impoenitentiam poena deportationis afflicti sunt. Cum Ecclesiae actu desint opes forenses ac plerumque etiam materiales praestandi locum commorationis in monasterio ibique eos sustentandi, cum iidem opibus destituti persaepe ab atheistis et inimicis Ecclesiae amplectantur et ad perniciosos actus contra Ecclesiam incitentur, videtur opportunum ac prudens, ut a Synodo Oecumenica consideretur, si haec gravissima scandala et damna non evitentur, quando sacerdotibus deportatis licebit ad statum laicalem transire vitamque saecularem degere ab obligatione breviarii coelibatusque absolutis.

13. *De potestate Ordinariorum loci in domos religiosorum augenda*

Officia et munera eorum, qui animarum curam exercent hodie gravissima molestaque sunt, propterea pastores animarum diverso auxilio adiumentoque indigent. Perutillimum fore opinor domos religiosorum in dioecesi strictiore ditioni ordinarii loci subdendos esse. Tum enim in eius potestate foret, ut clerici religiosi religiosaeque sorores id officium in animarum cura expleturi essent, quod ipse urgentem Dei servitio maxime necessariam existimet. Itaque nonnullorum ordinum nimis latas exemptiones supprimendas esse eorumque socios sui ordinarii ditioni strictiori modo subdendos esse puto. Id animarum curae optime profuturum et Ecclesiae opes aucturum foret.

14. *De religiosarum vestitu ad simpliciorem modum redigendo*

Sanctimoniales, quae hodie diversa et difficillima officia in cura animarum adiuvanda, in egenis sustinendis, in doctrina christiana tradenda explent, hoc vestitu suo non apto, gravi, bonae valetudini contrario in laboribus perficiendis maxime impediuntur. Haud raro enim contigit eas longa itinera emensuras diversis novissimis peregrinandi opibus fruendas esse. Proinde utilitati ingenti fore credo religiosas, opera in animarum cura, in nosocomiis, aliisque caritatis institutis exercentes simpliciorem aptioremque vestitum induturas esse, eorumque gravia onerosaque capitum tegumenta in commodiora mutanda esse.

15. *De iure patronatus supprimendo legeque beneficiali immutanda*

Cum in praesenti numerus inhabitantium terram, artium technicarum ingens progressus rem oeconomicam et socialem commutaverint, etiam nonnullae quae bona Ecclesiae temporalia pertinebant leges obsoletae

videntur. Itaque ius patronatus (cann. 1448-1470 *C.I.C.*) decimas necnon primitias (can. 1502) supprimenda esse opinor. Leges autem, quae reditus personarum spectent, ita mutentur oportet, ut beneficia quae potioribus fructibus gaudent iudicio ordinarii loci iustam partem eorum in utilitatem totius dioecesis redditura forent.

16. *Quid de novissimis tormentis sentiendum*

Bellum, quale nostris diebus comminatur, apparatibus instrumentisque excidio interitui hominum adhibitis, quae cultus humanitatisque opes funditus delere praesumpserit, ipsum natura inhonestum turpe est atque generi humano extremae miseriae summopere periculo foret, non est qui dubitet. Ecclesia catholica summorum antistitum voce compluries ad pacem servandam adhortabatur, bellumque tamquam adiumentum subsidiumque ad lites inter populos componendas damnabat. Summae utilitati fore puto, quodsi Ecclesia summa ipsius auctoritate, bellum totale, extremi interitus hominum apparatibus gestum, tamquam nefarium, turpe, natura inhonestum condemnaverit, omnesque totius orbis terrarum populos ad arma telaque prorsus exuenda convocaverit, ut illae ingentes opes, quae ad arma paranda perduntur, ad condicionem hominum egestate penuriaque afflictorum sublevandam dispensari possent.

17. *De obligationibus, quae cum privato dominio iunctae sint*

Numerus hominum in terra degentium hisce temporibus ingenter augetur, quapropter iusta divisio bonorum temporalium res gravissimi momenti esse videtur, ut terra, quam Deus omnibus hominibus dederat, omnes etiam probe sustentare possit. In medio etiam omnium pugnarum socialium insanum dominium privatum stare videtur. Peropportunum fore credo obligationes sociales dominio privato inhaerentes ipsius socialem indolem a theologis catholicis acute minuteque elaborandas esse. Quodsi de bonis superfluis distribuendis doctrina penitus intelligatur et ad effectus re vera perducatur, discrimen delectusque classium et ordinum leniri necnon perturbationes civiles mitigari possint.

Quam occasionem nactus, sacram Purpuram Eminentiae Vestrae Reverendissimae deosculor ac sensus maxime venerationis obtestor.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
humillimus servus in Domino

✠ Ioannes Czerniak
Episcopus tit. Eudociatensis
Auxiliaris Gnesnensis

26

Exc.mi P. D. HENRICI STRAKOWSKI
Episcopi tit. Girbitani, Auxiliaris Lublinensis

Lublini, diei 15 decembris 1959

Ego, Henricus Strakowski, Dei et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus tit. Girbitanus, ad pedes Suae Sanctitatis provolutus, sequentia desideria, quae mihi opportuna videntur ut in futuro Sacro Concilio Oecumenico considerationi tradantur, humillime propono:

1. Bonum atque desiderabile mihi videtur Festum Resurrectionis D. N. I. Christi pro Universali Ecclesia ut immobile stabilire.

2. Revisioni tradere lectiones II Nocturni Breviarii Romani atque Caeremoniale Episcoporum (Consecratio ecclesiae et altaris).

3. In Rituali Romano ad instar Appendicis Ritualis Romani pro Universa Ecclesia linguis vernaculis pro toto orbe terrarum concedere, quae pertinent ad administrationem Sacrorum Sacramentorum.

4. Concedere Missam Catechumenorum in Ordine Missae lingua vernacula celebrare.

5. Nova versio latina Scripturae Sacrae (nova Vulgata), quamprimum facienda est et hic textus in libros liturgicos introducendus.

6. Critica editio catholica textum sacrorum, nempe: hebraica, graeca, syriaca et aliarum versionum antiquarum necessaria videtur.

7. In omnibus Statibus Associationes Biblicae ad lectionem Scripturae Sacrae, editiones populares pro pretio minimo, horas hebdomadasque biblicas propagandas erigendae sunt.

8. Ut Sacra Communio fidelibus distribui possit horis postmeridianis, nempe ab hora 15 ad 22 independenter a Missa, servato ieiunio eucharistico iuxta praxim hodiernam.

9. Obligationem imponere sacerdotibus cuiuscumque dignitatis ecclesiasticae peragendi exercitia spiritualia quotannis per tres dies.

Et Deus ...

✠ Henricus Strakowski
Episcopus tit. Girbitanus
Auxiliaris Lublinensis

27

EXC.MI P. D. MICHAELIS BLECHARCZYK

Episcopi tit. Jotani, Auxiliaris Tarnoviensis

Tarnoviae, die 7 novembris 1959

Eminentissime ac Celsissime Domine,

Michaël Blecharczyk, Episcopus tit. Iotanus ac Auxiliaris Tarnoviensis in Polonia, votis Eminentiae Vestrae Celsissimae humillime obsequens, transmittit in adnexo propositiones et vota ad Concilium Oecumenicum.

Sacram Purpuram Eminentiae Vestrae devote deosculans, humillimum servum in Christo me profiteor.

✠ MICHAËL BLECHARCZYK
Episcopus tit. Jotanus

I. *Quaestiones dogmaticae*

1. Quaestio de existentia Dei eiusque cognoscibilitate ac demonstrabilitate hodie in variis publicationibus et libris scientificis et quasi-scientificis ab atheis et infidelibus saepissime agitata ac proposita in sensu negativo solvitur. Errores agnosticismi et fideismi renovantur. Ipsi etiam catholici auctores in argumentis ad probandam existentiam Dei adhibitis non semper invicem concordant. Argumentorum traditorum hac in re valor — praeprimis « quinque viarum » S. Thomae Aquinatis — a quibusdam in dubium vocatur.

Quapropter instanter desideratur, ut materia haec de cognoscibilitate et demonstrabilitate Dei ope naturalis rationis, — quae iam olim a Vaticano Concilio tractabatur — denuo in memoriam revocetur, plenius ac profundius declaretur et explicetur; valor autem argumentorum pro Dei existentia, cognoscibilitate ac demonstrabilitate a Doctoribus hucusque traditorum — in quantum retineantur — confirmetur a Concilio; gradus item certitudinis in naturali Dei cognitione accuratius determinetur; et tandem denuo condemnentur praefati errores agnosticismi et fideismi.

2. Post decreta et Constitutiones Apostolicas de Sacrae Scripturae interpretatione, praesertim vero post ultima S. Sedis edicta de genere

litterario in Sacra Scriptura interpretanda admittendo, non desunt auctores, qui licentiam hanc nimium extendere videantur; unde praevidetur periculum, ne doctrina de peccato originali, quae in libro Genesis traditur, de peccato scilicet personali et actuali protoparentum et insimul peccato naturae, in dubium vocetur. Ideoque expectatur, ut textus illi sacri ex libro Genesis — si fieri potest — authenticae interpretationi a Concilio subdantur, ne forte fides de necessitate redeptionis fundamento suo destituatur.

3. Desideratur etiam, ut — si fieri potest — Sacrae Scripturae textuum, qui de mundi creatione tractant, authentica detur interpretatio. Ratio ut supra ad 2.

4. Instantissime desideratur, ut doctrina, quae tenet Beatissimam Virginem Mariam in elargitione omnium ad salutem gratiarum esse Mediatricem, catholicae fidei dogma infallibili definitione declaretur.

Quae quidem veritas mentibus fidelium nostrorum — incultorum pariter ac eruditiorum — profundissime manet insita.

Scilicet: Beatissimam Virginem Mariam prae omnibus creaturis a Deo exaltatam, in Matrem Verbi Incarnati et Redemptionis Cooperatricem electam, esse ideo etiam Matrem Mystici Corporis Christi, necnon omnium gratiarum ex Redemptionis fonte provenientium Mediatricem.

Ultimi vero temporis gravissima pericula veritatem hanc quam maxime in patria nostra elucescere fecerunt. Fideles enim peculiari cum fiducia in necessitatibus suis tum corporalibus tum spiritualibus ad Coeli terraeque Reginam confugientes mirabiliter ab Ipsa exaudiebantur.

Firmiter igitur confidimus fore, ut veritate illa definita populus noster viva laetitia affectus eo ardentiorem cultum Mediatrici suae retribuat eoque confidentius sub Ipsius confugiat praesidium.

Et Virgo Deipara, quae « cunctas haereses sola interemit in universo mundo » novo ab Ecclesia diademate ornata, gratiam rependat reconciliationis Christianorum ab unitate Ecclesiae divulsorum novumque fidei nostrae conciliet triumphum.

II. *Quaestiones iuridicae*

1. Introducere in Codicem Iuris Canonici omnes interpretationes Commissionis de Interpretando Codice et mutationes a SS. Congregationibus hucusque editas.

2. Reformare can. 617 § 1 in hunc modum: « Si in regularium aliorumve religiosorum domibus eorumve ecclesiis abusus irrepserint, et Superior monitus prospicere neglexerit, Ordinarius loci tenetur rem ad Apostoli-

cam Sedem deferre; in casibus vero urgentioribus aut si recursus ad Sanctam Sedem difficilis sit, statim providere, salvo recursu in devolutivo ».

3. Concedatur Ordinario loci potestas exigendi, et religiosis in territorio degentibus obligatio praestandi iuvamen in cura pastorali (catechetica et charitativa) dioecesana et praesertim parochiali.

4. Introducere obligationem intimandi Curiis Dioecesanis omnes ordinationes superiorum religiosorum (generalium et provincialium), quae domibus religiosorum in suis territoriis mittuntur.

5. Tollere:

a) totum canonem 1017;

b) impedimenta matrimonialia gradus minoris enumerata in canone 1042 § 2, nn. 1-5.

In praxi enim impedimenta ista inutilia deveniunt, quippe quae semper et sine ulla difficultate dispensantur.

6. Introducere nova impedimenta dirimentia matrimonium:

a) aethylismum chronicum matrimonio antecedentem;

b) luem, cum positivo eventu ex analisi serologica, matrimonio antecedentem;

c) in canone 1083 § 2 tollere n. 2, et in locum eius substituere: « si pars homicidium commisit, quod comparti ante matrimonium omnino ignotum fuit ». Ratio est, quia uterque morbus detestabiles effectus in prole causat; delictum vero homicidii partem innocentem maxime diffamat et ideo magnam ei iniuriam infert.

7. Desideratur, ut praescriptiones canonicae circa vestitum ecclesiasticum clericorum, scilicet vestem talarem deferendam esse, hodiernis condicionibus conversationis sacerdotalis necnon laboris pastoralis accommodentur. Quae vestis talaris deferri debeat in omnibus functionibus sacris, sive in ecclesia sive extra ecclesiam peragendis, necnon in nonnullis casibus, quando sacerdos extra functiones liturgicas, officiali tamen modo aliquibus sollemnitatibus sive ecclesiasticis sive civilibus interest. In conversatione vero quotidiana et in adimplendis officiis extraliturgicis detur ipsis facultas utendi decenti vestitu more laicorum, salvis semper distinctoriis status sacerdotalis prout tonsura et collare.

Ratio: *a*) Praxis supradicta fere in omnibus regionibus occidentalibus iam introducta et stabili usu ita est irradicata, ut etiam praescripta synodalia veterem praxim canonicam inculcantia nullum vel fere nullum reportent effectum. Praxis haec iam vim legitimae consuetudinis ad normam canonis 28 et 29 attigisse videtur et solummodo ad normam can. 25 competentis Superioris ecclesiastici indiget consensu.

b) Hodiernis praeterea temporibus ipsa evolutio industrialis et oeconomica radicaliter traditionales formas vitae socialis commutavit atque

in dies magis commutat. His in condicionibus etiam conversatio sacerdotum externa, methodus mediaque laboris pastoralis influxui harum mutationum necessario sunt obnoxia. Sive quod spectat usum modernae locomotionis in re pastorali, sive curam pastoralem praesertim in centris urbanis industrialibusque exercendam.

Quae omnia et aliae necessitates passim indigent, ut sacerdotes in quotidiana conversatione externa et in officiis extraliturgicis adimplendis supradicto decenti habitu quasi-laicali uti possint.

8. Reformare et expurgare Indicem librorum prohibitorum.

III. *Quaestiones liturgicae*

Maxime postulatur:

1) Ut tempus celebrationis Sacrificii Missae ab hora quarta matutina usque ad horam vigesimam primam vespertinam extendatur et Sacra Communio tempore postmeridiano independenter a Sacrificio Missae distribui possit.

Ratio: Hodiernis in condicionibus permulti operarii ac officiales, item iuventus scholaris diversis horis postmeridianis vel vespertinis potius quam mane ad Sacram Communionem accedere possunt. Quodsi tamen Sacra Communio postmeridiana necessario cum Sacrificio Missae connectitur, permulti fideles, diebus ferialibus — praesertim feria sexta initio cuiusque mensis — Sacra Communione eiusque fructibus spiritualibus privabuntur.

2) Ut parochi solummodo diebus Dominicis et festis de praecepto Sacrificium Missae pro populo applicare teneantur.

Ratio: Paupertas sacerdotum.

3) Ut officium Breviarii Romani in brevis contrahatur seu reformetur ad normam officii paschalis i. e. unius Nocturni trium Psalmorum.

Ratio: Clerus saecularis in re pastorali occupatus pluribus laboribus premitur. Numerosae paroeciae et consequenter plurimae confessiones sacramentales fidelium, magna distantia ab ecclesia parochiali, provisio moribundorum, ordinaria cura aegrotorum in ambitu actionis caritativae, necnon instructio catechetica iuventutis, quam maxime tempus viresque sacerdotum extenuant.

4) Ut in sacramentis administrandis (excepto Ordine et Poenitentia) nec non in benedictionibus in Rituali contentis lingua Polonica admittatur.

Ultimis siquidem annis actio liturgica plures de die in diem animos sibi conciliat ideoque fideles nostri caeremonias sacras textusque liturgicos magis intelligere suosque facere desiderant. Difficultatem tamen

haud exiguam hac in re causat lingua Latina, utpote a nostra lingua Polonica prorsus aliena.

Certa autem spes affulget fore, ut patria lingua in Rituale introducta non solum ad textuum sacrorum pleniorem intelligentiam, sed etiam ad ipsos sacros ritus ardentiori studio et amore amplectendos plurimum conferat.

5) Ut lex ieiunii et abstinentiae de iure statuatur in hac forma, in qua hodie de facto vi dispensationis obligat.

Ratio: *a*) Haec praxis iam fere ubique viget,

b) Debilis valetudo hominum,

c) Difficultas acquirendi victui necessaria in hodiernis condicionibus oeconomicis.

6) Ut ritus consecrationis ecclesiarum contrahatur.

Ratio: Prouti praxis demonstrat, fideles qui occupationibus sui status necnon gravibus conditionibus vitae hodiernae premuntur, eiusmodi ceremoniis per aliquot horas durantibus vix interesse possunt atque nullos vel fere nullos ex ipsis fructus spirituales hauriunt.

IV. *Quaestiones sociales*

Desideratur:

1) Ut familia christiana, quae fundamentaliter supernaturali vinculo sacramentali constituitur, in Iure Canonico et in vita ecclesiastica principaliorem magisque determinatum obtineat locum.

Ratio: Familia christiana fons est vitae socialis atque religiosae. In hodiernis vero condicionibus oeconomicis, in nationibus praesertim, quae totalismo oeconomico favent, vinculum familiae internum, mores traditi, pondus ac valor vitae familiaris magis magisque diminuuntur ac interdum dissolvuntur. Parentes, qui persaepe ambo officio publico funguntur, vel in officinis industrialibus laborant, vitam maxima ex parte extra familiam degunt. Filiis suis operam dare nequeunt et proinde ipsos aliis personis vel publicis institutis alendos educandosque tradunt. Labor, qui benedictionem familiae afferre deberet, grave damnum irreparabilemque ei saepe affert iacturam, quod consequenter in vitam totius societatis destructive redundat, scilicet non hominem plena personalitate gaudentem, sed quasi « hominem-machinam » creando.

Catholica doctrina de officiis familiae christianae iam quidem satis nota, a Concilio Oecumenico denuo solemniter in memoriam revocari debet; parentibusque gravitas responsabilitatis pro suis filiis, pro futuro statu societatis humanae necnon Ecclesiae Catholicae serio inculcetur. Familia christiana hodiernis temporibus — ut patet — spiritu ac vigore apostolico imbuatur necesse est.

2) Ut in Iure Canonico et vita ecclesiastica laicis aperte et expresse assignentur officia ac iura ipsis competentia; quippe qui prouti in primaevo statu Ecclesiae, potiores partes ac responsabilitatem pro hodierna vita ecclesiastica suscipere possunt ac debent.

Ratio: *a*) Res per se patet. Laicismo civili atheistico contraponendus est laicatus catholicus, qui — determinatis iuribus ac officiis instructus — apostolatum una cum sacerdotibus exerceat.

b) Sacerdotes in cura pastorali exercenda, in veritate religiosa defendenda, in iuribus Ecclesiae propugnandis, adiutorio laicorum expertes ac solitarii vix munera sua perfecte adimplere possunt. Eorum labor etsi magnanimis ac constans, non omnes, sed persaepe paucos tantum attingere potest. Apostolatus vero laicorum multo maiori ambitu diffundetur ac potiores afferet fructus. Patent ipsis nimirum plures ianuae, quae sacerdotibus occluduntur.

c) Laici animum promptum sacerdotibus opem praestandi praeseferentes laudabiliter et fructuose apostolatu suo fungentur, dummodo sint satis instructi ac debita auctoritate ecclesiastica praediti.

3) Ut Concilium Oecumenicum auctoritative, solemniterque pronuntiet doctrinam christianam de morali valore laboris, qui quidem hominem quasi cooperatorem Dei in opere creationis reddit, media sanctificationis salutisque subpeditat, necnon necessarias opes materiales, personae individuali familiaeque praestat.

Quae doctrina per principia generalia iam nota magis practice in actum deduci debet; v. g. in Constitutionibus Congregationum religiosarum et statutis Confraternitatum laicarum; quomodo scilicet hodiernis in condicionibus oratio et contemplatio cum labore conciliari possint ac debeant; item ut, quemadmodum singulae orationes vel devotiones indulgentiis ditantur, pro labore praestito cum debita supernaturali intentione indulgentiae elargiantur etc.

Ratio: Hodiernis in condicionibus socialibus, quae eximiam evolutionem industrialem ac oeconomicam secum tulerunt, labor uti primum ac principale officium hominis consideratur et quidem non tam individualis labor, quam a communitate viribus unitis confectus; quo fit, ut personalitas hominis vilipendatur vel etiam penitus evanescat. Quapropter necessitas fere urget, ut labor lumine supernaturali illustretur et quidem non solum ut est medium sustentationis et materialis prosperitatis, sed etiam prout idem labor — personalibus viribus exercendus ab homine — medium est sanctificationis et salutis. Eiusmodi labor — physicus et spiritualis — personalitatem hominis confirmabit et stabiliet.

Supradicta doctrina tum in Evangelio tum in Theologia morali certo

et clare continetur. Desideratur tamen, ut a Concilio Oecumenico profundius ipsa enucleetur necnon auctoritative et solemniter fidelibus intimetur utpote quaedam — ut nonnulli aiunt — « theologia laboris » vel « oratio laboris ».

✠ MICHAËL BLECHARCZYK
Episcopus tit. Jotanus
Auxiliaris Tarnoviensis

28

EXC.MI P. D. IOANNIS JAROSZEWICZ
Episcopi tit. Letopolitani, Auxiliaris Kielcensis

Kielciis, die 28 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Maximi mihi est favoris et gaudii mentem meam circa materiam in proximo Concilio Oecumenico tractandam aperire animadversionesque adiungere circa singula capita doctrinae atque disciplinae ecclesiasticae quae meo humillimo iudicio maximae erunt pro Ecclesia utilitatis.

Occasionem interea libentissime nanciscor, Eminentiae Vestrae sincerrimos devotionis sensus profitendi

✠ IOANNES JAROSZEWICZ
Episcopus tit. Letopolitanus

1. *Theologia Dogmatica*

Censeo, necessariam esse dogmaticam definitionem circa immediatam creationem animae humanae et quidem in momento conceptionis. Huiusmodi definitio maximi est momenti ad praecavenda crimina abortus.

2. *Ius canonicum*

a) Praescripta iuris hodierni circa beneficia ecclesiastica in multis regionibus iam obsoleta sunt propter cessationem proventum. Non expedit, officia ecclesiastica a beneficiis pendere. In his salus animarum suprema lex esto. Ad hanc salutem fructuosius procurandam non iuvant praescripta legis de exemptione regularium, de inamovibilitate parochorum.

b) Relaxandae sunt leges de habitu ecclesiastico necnon de tonsura deferenda.

c) Desiderantur magis explicita praescripta circa ius clericorum ad honestam sustentationem tempore infirmae valetudinis, senectutis etc.

d) Abroganda est lex ieiunii relicta sola abstinentia.

e) Non sunt permittenda matrimonia sub conditione.

f) Missa ac communio permittatur quacumque hora, ratione habita utilitatis fidelium et prudentiae celebrantis, servato ieiunio 3 horarum.

3. *Praescripta liturgica*

a) Simplificandae sunt rubricae necnon ritus consecrationis altarium et ecclesiarum.

b) Simplificentur rubricae spectantes assistentiam ministrorum celebrante episcopo, tollatur quoque ritus genuflectendi coram episcopo.

c) Permittatur usus linguae vernaculae in Rituali Romano, exceptis formulis essentialibus.

✠ IOANNES JAROSZEWICZ
Episcopus tit. Letopolitanus
Auxiliaris Kielcensis

29

EXC.MI P. D. IOANNIS BUCKO

Archiepiscopi tit. Leucadensis
Visitatoris Ap. pro Ucrainis Catholicis in Europa Occidentali

Prot. N. Sob. 4371/59 Romae, 4 septembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Relate ad aestimatissimas litteras de die 18 iunii 1959 N. 1 C/59-2635, quae nonnisi die 20 augusti ad manus meas pervenerunt mihique venerandum ordinem Eminentiae Vestrae Reverendissimae communicarunt, ut cogitata mea patefacerem Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico circa res et argumenta, quae in Concilio proxime futuro tractari poterunt, honori mihi duco aliquas animadversiones meas, consilia et vota breviter exponere, non quidem tamquam scientifice elaborata (et hoc propter defectum temporis), sed tantummodo tamquam leviter significata, uti sequitur:

1) Damnanda est sollemniter doctrina sic dicti « Communismi », quia doctrinae christianae omnino adversatur, sive quia crassum materialismum profitetur, sive blasphemum atheismum inculcatur atque perver-

sitatem morum sollicitat contra omnem legem divinam, naturalem et ecclesiasticam.

2) Tamquam doctrina christiana, catholica iterum iterumque sollemniter declaretur illa, quae principia tamquam summa capita observanda statuit de libertate hominum, classium, populorum gentiumque communitati et consequenter omnem iniustam limitationem et tanto magis privationem hominum, populorumque libertatis, doctrinae christianae adversari. Quapropter damnanda est quaecumque oppressio vel etiam sola cupiditas opprimendi quocumque modo singulos homines, classes, populos, seu gentes.

3) Ecclesiae particulares cuiuscumque ritus a Sede Apostolica admissi et approbati non solum ius sed etiam obligationem habent fidei propagandae contribuere ubicumque locorum sine limitatione quacumque ex parte Hierarchiae Ecclesiae alterius ritus qui in dato territorio primus tempore et potior in iure existimatur.

4) Damnanda est doctrina nec non discussio quaecumque legi naturali et positivae, fidei ac moribus christianis contraria, quae sic dictum « divortismum » sustentare videtur, quia dissolubilitatem matrimoniorum etiam inter catholicos contractorum usibus scismaticorum vel protestantium accommodare conatur.

5) Declarandum est Romanum Pontificem tamquam visibile Ecclesiae caput Dominique Nostri Iesu Christi in terris Vicarium omni nationi, ritui et particulari disciplinae esse superiorem et quidem hoc sensu: eundem Romanum Pontificem non esse cuicumque nationalitati, ritui vel disciplinae particulari adstrictum et proinde in libro annuali Apostolicae Sedis semper omittendos esse omnes titulos, qui non ad rem esse videntur et sive apud dissidentes sive etiam apud quosdam catholicos occasionem falsae interpretationi praebent v. gr. Patriarca dell'Occidente, Primate dell'Italia, Arcivescovo e Metropolita della Provincia Romana, Sovrano della Città del Vaticano.

6) Omnes Patriarchae cuiuscumque ritus orientalis ipso facto et iure Cardinales fiant Sanctae Ecclesiae.

7) Declarandum est sollemniter omnem ritum in Ecclesia Catholica admissum et approbatum eiusdem esse iuris et dignitatis necnon catholicitatis.

8) Revidenda est methodus et forma praescripta a Suprema Congregatione S. Officii quoad conversationem acatholicorum, ut magis simplex et animis hominum nostrae aetatis magis accomodata reddatur.

9) Membra S. Collegii Cardinalium atque Officiales Curiae Romanae ex universitate populorum catholicorum seligantur itaque validiorem opem in officiis absolvendis Summo Pontifici praestent.

10) Nimia centralisatio negotiorum et causarum iuris ecclesiastici apud Curiam Romanam quodammodo relaxanda est et quidem hoc modo, quod quaedam maior autonomia provinciis ecclesiasticis concederetur, quibus simul obligatio imponenda esset synodum provincialem atque etiam dioecesanam crebro convocandi easdemque synodos efficaciores reddendi.

11) Sic dicta « exemptio » clericorum regularium a iurisdictione episcopali ordinaria magis magisque moderanda est, atque iura et obligationes eorumdem accurate statuendae sunt ad curam animarum exercendam et ad verbum Domini praedicandum.

12) Condemnanda est spiritualitas sic dicti « americanismi », quae suo tempore a Papa Leone XIII in Litteris Apostolicis ad Cardinalem Gibbons directis iuste tamquam species cuiusdam haereseos, quae vitam activam vitae interiori seu contemplativae superiorem praedicans reprehensa nihilominus nostra aetate inter clerum tam saecularem quam regularem propagatur atque immensa damna Ecclesiae catholicae animarumque saluti afferre potest.

13) Acta et Decreta Concilii Oecumenici proxime futuri, sicut erat antiquis temporibus, in duabus linguis h. e. latina et graeca exarentur.

Rogo humillime Eminentiam Vestram Reverendissimam ut mihi benignissime indulgere dignetur si cogitata mea exposita ex defectu temporis non bene ordinata neque sententiis neque auctoritatibus confirmata inveniuntur.

Hac eadem occasione liceat mihi Sacram deosculanti purpuram gratissimi animi mei sensus simul cum sensibus venerationis meae profundissimae Eminentiae Vestrae Reverendissimae exprimere quibus sum ac permaneo

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
humillimus, devotissimus, obsequiosissimus famulus

✠ Ioannes Bucko
Archiepiscopus tit. Leucadensis
Visitator Apostolicus
pro Ucrainis Catholicis in Europa Occidentali

30

EXC.MI P. D. FRANCISCI JEDWABSKI
Episcopi tit. Maxulitani, Auxiliaris Posnaniensis

Posnaniae, die 19 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Litteris Vestrae Eminentiae Reverendissimae de die 18 iunii 1959, Prot. N. 1 C/59-2216, acceptis et re perpensa, visum mihi est secundum meum humile iudicium sequentes quaestiones ad deliberandum in Concilio proponere:

1) commutatio pericoparum S. Evangelii, quae in Dominicis leguntur in alias adhuc non usitatas;

2) modernisatio breviarii eo sensu, ut ex lectionibus vitam sanctorum narrantibus, eliminentur facta legendaria e. g. quod infans sextis quibusque feriis semel tantum lac sugebat vel cum inter nutricis ulnas Missae sacrificio interesset, totus in sacrorum mysteriorum contemplatione defixus videbatur... et similia;

3) quaedam modernisatio habitus clericalis, scilicet ut licitum sit clericis extra ecclesiam et functiones sacras uti vestibus brevioribus — magis necessitatibus hodierni temporis accomodatis — servata utique obligatione portandi collarem clericalem pro distinctione a laicis.

4) concessio parochis facultatis dispensandi a bannis praclamandis, quoties nupturientes rationabiliter id petant et de eorum status libertate moraliter certo constet;

5) abolitio impedimentorum matrimonialium minoris gradus ut consanguinitatis in tertio gradu lineae collateralis vel affinitatis in secundo gradu lineae collateralis etc.

Quae cum retuli Sacram Purpuram deosculans profiteor me

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
devotissimum et addictissimum servum

✠ FRANCISCUS JEDWABSKI
Episcopus tit. Maxulitanus
Auxiliaris Posnaniensis

31

EXC.MI P. D. LUCIANI BERNACKI

Episcopi tit. Melensis, Auxiliaris Gnesnensis

Gniezno, 25 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Valde honoratus litteris Eminentiae Vestrae de die 18 iulii 1959 (Prot. N. 1 C/59-2222) opiniones meas a Patribus in futuro Concilio Oecumenico congregatis examinandas transmittere audeo. Quae suggestiones spectant:

1. dogma de Maria Dispensatrice omnium gratiarum (5 fol.);
2. linguam liturgicam (6 fol.);
3. aliquas quaestiones liturgiam spectantes;
4. caelibatum clericalem;
5. aliquas quaestiones de Iure Canonico (2 fol.).

Eminentia Vestra me excusare dignetur de responsione tardiva; invitationi Vestrae prius satisfacere non potui, quia litterae ipsae invitatoriae die demum ultima iulii ad me pervenerunt.

Interim purpuram Eminentiae Vestrae humillime osculor, cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Eminentiae Vestrae addictissimus

✠ LUCIANUS BERNACKI
Episcopus tit. Melensis

De dogmate Mariam Dispensatricem omnium gratiarum spectante et a Patribus in Concilio Oecumenico futuro definiendo.

Proclamatio sollemnis dogmatis istius ab omnibus fidelibus iam dudum expectatur.

Fideles a tempore immemorabili vivunt persuasione profunda, omnia dona supernaturalia, omnes gratias nos a Deo per Mariam accipere; quod facile ex constanti et universali consuetudine recurrendi ad Mariam in omnibus necessitatibus et vitae vicissitudinibus evincitur.

Quae attitudo constans et universalis fidelium in revelatione divina bene fundatur. Exstant insuper enuntiationes Sanctae Sedis fidem illam profecto autorisantes.

Quae constans Ecclesiae traditio et persuasio S. Scriptura roboratur, et quidem verbis Christi Domini in Cruce pendentis, quibus Mariam

Matrem nostram promulgavit. Etenim, verba: « Ecce filius tuus — ecce mater tua » non possunt significare intentionem Domini assecurandi Matri suae aliquam tutelam in persona S. Ioannis. Profecto amplior et profundior attribuendus eis est sensus.

Quodcumque enim Christus Dominus in Cruce pendens dixerit aut fecerit, omnia uti Redemptor totius generis humani fecit et dixit. Orans pro persecutoribus suis blasphemantibus: « Pater, ignosce ... », pro omnibus peccatoribus Patris veniam implorabat; latroni paenitenti paradisum promittens, illud omnibus peccatoribus paenitentibus promittit. Item, Matrem suam S. Ioanni committens, in persona eius omnibus a se redemptis Mariam uti Matrem salvationis eorum commendat.

Matris opus praecipuum est vitam in se receptam conservare, ad maturitatem perducere et maturam in lucem edere.

Sicut actio materna totam vitam feti amplectitur, analogice actio materna Beatae Mariae Virginis debet dispositione sua amplectare omnes gratias ad vitam supernaturalem nobis necessarias et a Christo Domino nobis acquisitas.

Re vera, vita supernaturalis, a Christo Domino in Cruce pro nobis recuperata, de ipsa Cruce Matri nostrae spirituali concredita est. Dehinc sub eius actione materna homines, a Christo redempti, per gratiam ab Ea nobis dispensatam, uti filii Dei adoptivi reviviscunt, maturantur et finaliter in vitam aeternam eduntur.

Quaestio, quomodo in ista oeconomia divina conciliari possit actio materna spiritualis Mariae cum dogmate de efficientia Sacramentorum s. d. ex opere operato, thesi nostrae non est contraria.

In Sacramentis omnibus gratiae a Christo Domino nobis acquisitae solummodo continentur. Signa externa, ope quorum gratia invisibilis nobis datur, non sunt nisi media visibilia earum gratiarum, quae a Christo Domino per Matrem suam hominibus, per spatia et tempora existentibus, applicantur. Quae signa actionem Matris spiritualis superfluam facere non possunt, immo eam supponunt.

Difficultas enim non in eo consistit, quod Maria gratias per medium Sacramentorum dispensat, sed in modo intelligendi humano per signa et categorias spatii temporisque.

Factum decisivum, per quod Beata Maria Virgo ut Dispensatrix omnium gratiarum uti dogma fidei nobis imponitur, sunt verba Christi Mariam ut Matrem nostram de Cruce proclamantis.

Quibus verbis Dominus Noster analogia utitur, quae a nobis facile comprehenditur. Mater physica dispensatrix vitae physicae est; Mater vero spiritualis — dispensatrix vitae spiritualis seu supernaturalis.

Quae vita dispositione Christi, secundi Adami, a Maria, secunda Eva,

matre omnium viventium, omnibus a Christo redemptis dispensatur, in eis ad maturitatem filiorum Dei perducitur, ut a Patre luminum finaliter ut filii recognosci et recipi possint.

De facto maternae dispensationis omnium gratiarum per Mariam non potest esse ullum dubium, quamquam debilitas intellectus nostri non omnes difficultates, modum illius dispensationis spectantes, adhuc elucidare potest. Nihilominus proclamatio istius mihi valde utilis esse videtur.

Etenim, de Maria nunquam satis — praesertim si agitur de veritate tam clare a Christo Domino proclamata ut est Maternitas Eius spiritualis.

Dogma ipsum facile explicat oeconomiam divinam nostrae salutis, scilicet:

1) creationem nostram ad imaginem Dei;

2) istius imaginis perditionem per peccatum primorum parentum, quibuscum, via generationis phisicae, arctissime coniuncti sumus;

3) reparationem pristinae dignitatis filiorum Dei per Christum D. Almamque sub Cruce Sociam Eius Mariam, spirituales Parentes nostros, quibuscum arctiori adhuc modo per regenerationem spiritualem (supranaturalem) coniungimur;

4) salvationem nostram uti fructum maturitatis supranaturalis sub Immaculato Corde Matris nostrae.

Dogma de Matre nostra spirituali, Dispensatrice omnium gratiarum, arctiore modo nos cum Ea coniungere aptum esse mihi apparet. Demonstrat enim modo concreto totalem dependentiam nostram de Maria et unionem nostram cum Ea in quantum ad nostram vitam supernaturalem.

Revera, status noster viatorum sub respectu supernaturali comparari potest statui feti in utero matris existentis. Fetus a primo instanti vitae suae usque ad nativitatem suam dependet omnino a matre quacum vitaliter coniungitur. Sub respectu vitae supernaturalis eodem modo a Matre nostra spirituali dependimus.

Insuper, Patri nostro Divino, liberis ad imaginem suam creatis vitam suam daturo, placuit vitam hanc nobis non communicare nisi per Matrem, cuius amor erga filios spirituales omnem mensuram excedere videtur, Voluntati enim Patris oboediens Mater illa consentit, ut pro nostra salvatione Filius eius unicus sacrificium cruentum subiret. Quo facto immensum amorem suum maternalem erga Filium suum unicum in amorem erga filios suos spirituales mutare non recusavit.

Ita dogma de Maria, Dispensatrice omnium gratiarum sub imagine Maternitatis Eius spiritualis aptum esse mihi videtur, ut non solum dogma hoc difficile sed laetissimum ingenio fidelium intelligibilior evadat,

sed etiam ut pietas fidelium erga Matrem nostram spiritualem adhuc crescat.

Quapropter mihi valde persuasum est proclamationem sollemnem dogmatis de Maria, Dispensatrice omnium gratiarum Ecclesiae perutilem fore.

Ad maiorem amorem erga Matrem nostram spiritualem fovendum Patribus futuri Concilii Oecumenici proponere audeo aliquam mutationem secundae partis orationis: « Ave Maria, gratia plena », scilicet: « Sancta Maria, Mater Dei *et nostra,* ora pro nobis ... ».

Populum catholicum magno cum plauso et fructu magnaque cum gratitudine hanc additionem accepturum esse mihi persuasum est.

De lingua liturgica

Circa linguam liturgicam in Ecclesia Christi servandam sequentia Patribus futuri Concilii Oecumenico consideranda mihi videntur:

1. Miraculum linguarum in festo Pentecostes a S. Scriptura relatum linguae vernaculae in Ecclesia usum insinuare videtur.

Revera, lingua latina non semper liturgica in Ecclesia fuit.

Dominus Noster Iesus Christus ipse lingua vernacula sc. aramaica utebatur, lingua hebraica, quae illo tempore in liturgia mosaica vigebat sed a populo iudaico iam non comprehendebatur, spreta.

Decursu temporum Ecclesia Catholica Divi sui Fundatoris exemplum secuta linguam liturgicam fidelium intelligibilitati adaptabat.

Ita lingua aramaica primo in graecam, quae iterum, saec. II - III pro Occidente in latinam mutata est.

Saec. IX pro populis slavonicis a Ss. Cyrillo et Methodio baptizatis S. Sedes eorum linguam in liturgia observandam approbavit.

Saec. XVII a Paulo V Papa decretum die 25-1-1615 editum in China omnes libros liturgicos in linguam chinensem traducere permisit.

Hodie circa quattuordecim variae linguae liturgicae ab Ecclesia Catholica approbatae vigent.

Quae magnanimis Ecclesiae attitudo circa linguam liturgicam observandam hodie ex speciali titulo practico mihi consideranda esse videtur:

Lingua latina enim generaliter in Ecclesia Catholica pro liturgia praescripta diversis ex capitibus iam inconveniens esse mihi videtur.

Etenim lingua latina fidelibus multarum nationum hodie omnino incomprehensibilis est. Qua ignorantia non solum populus christianus sed etiam saltem magna pro parte clerus laborat. Quod factum non solum in nostra Polonia, sed etiam in Francia, Hispania, Portugalia,

Italia, Anglia, Scotia, Germania observavi. Quae incomprehensibilitas linguae latinae augmentare certe debet in iis nationibus, quae a cultura latina valde alienae sunt.

Durante bello ultimo Franciam, Hispaniam, Lusitaniam, Angliam peragrans et in unaquaque natione satis multum temporis degens, omni cum conscientia dicere possum linguam latinam a perpaucis et adhuc valde inadaequate intelligi.

Qua de causa lingua latina finem suum uti medium naturale ideas transmittendi mentemque ad Deum elevandi dogmataque in liturgia vivendi minime attingit. Fideles ubique in Ecclesia « assistent » functionibus liturgicis, sed eis non vivunt nec cum ministro ecclesiastico liturgia fungente cooperant maximo cum animarum damno.

Cui defectui non medetur dando in manus fidelium sic dicta missalia lingua vernacula confecta: Qui his missalibus utuntur, « legunt » sed cum ministro non « vivunt » liturgiam.

Qua de causa pietas liturgica in multis iam deficit; ecclesiae, in quibus exclusive latine oratur, evacuantur. Quod accidit in Gallia, in Hispania, in Lusitania necnon in nostra Polonia.

In particulari: Ubi in Polonia, e. g. in Vesperis, a saeculis a fidelibus diebus Dominicis lingua vernacula cantatis, lingua latina introducta sit, nemo fere fidelium ad Vesperas cantandas in ecclesiam veniebat, ut ibi Vesperae a solo parrocho eiusque organooeda persolvuntur. E contra, ubi Vesperae lingua vernacula cantatae conservatae sint, ecclesia fidelibus repletur.

Bello ultimo durante in Francia degens observavi nonnullos sacerdotes, propria auctoritate, Baptismum lingua vernacula gallica administrasse magno cum fructu astantium qui orationes, exorcismos functionesque liturgicas maxima cum attentione sequebantur. E contra, in Hispania, ubi per unum annum vicarius cooperator functus sim, interrogationes in Baptismo conferendo lingua latina pronuntiabantur, responsiones vero a sacerdote patrinis subdictae, sine ulla comprehensione intellectuali ab illis repetebantur.

Causa apostasiae si non formalis sed saltem materialis moralisque magnae fidelium partis ab Ecclesia vel saltem a vita liturgica Ecclesiae in eo consistere mihi videtur quod fidelibus liturgia, lingua latina persoluta, nihil dicit, immo saepe exotica apparet.

Quod maiore etiam ratione pro missionibus valet. Deplorandum re vera est missiones sinenses (et aliae) a quatuor saeculis tanto cum zelo et labore susceptae adhuc minimos fructus attulisse.

E contra, missiones primorum saeculorum, quando liturgia simplex et totaliter intelligibilis per se ipsa fideles informabat, dogmata

praeceptaque divina in mentem eis revocabat, maximos fructus attulerunt regnumque Christi in omnes imperii romani partes disseminarunt. Fideles enim tunc temporis vivebant in liturgia fidem suam, quod de fidelibus hodiernis, qui multo maxima ex parte latine nihil comprehendunt, haud dici potest.

Quare, si lingua latina liturgiae in linguam vernaculam mutabitur, maximo fructu spirituali omnibus fore mihi videtur.

Unitati Ecclesiae mutationem talem linguae liturgicae nihil damni illaturam esse mihi persuasum est. Etenim Ecclesiae unitas sub respectu regiminis dogmate Primatus Pontificis Romani, sub respectu fidei infallibilitate Ecclesiae, speciatim Sanctae Sedis, sub respectu vitae supernaturalis unico Missae Sacrificio eisdemque Sacramentis firmissime fundata est.

Ad quam unitatem tuendam lingua latina minime contribuere mihi videtur:

Vidi operarios polonos in Franciam emigrantes, qui — in Polonia boni catholici — in Francia ideis communisticis succumbentes ab Ecclesia brevi temporis spatio deficiebant. Qua de causa? In patria ex traditione locali et familiali fidem servabant: quibus traditione opinioneque deficientibus spiritum vacuum ideis communisticis repleverunt. Primis mensibus emigrantes isti ecclesiam paroecialem adhuc frequentabant; sed quia nec in Polonia nec in Francia liturgia illis aliquid explicabat, nihil dicebat, nihil rememorabat, a patria fide abierunt. Quod certe non accidisset, si iam in patria non solum « assisterent » liturgiae, sed etiam eam viverent adiuti lingua liturgica comprehensibili.

Ad unitatem liturgicam servandam sufficiat, ut gestus liturgici et melodiae liturgicae unificentur.

Nec Ecclesiae timendum ne linguae latinae in vernaculam mutatione aliquid damni exoriatur.

Non ex comparatione cum sectariis protestantibus, qui ab Ecclesia deficientes linguam vernaculam in liturgiis suis introducebant.

Celeris idearum protestantium diffusio sub quodam respectu certe huic mutationi linguae liturgicae attribuenda est. Sed hoc factum thesim de introducenda in liturgia lingua vernacula confirmare videtur.

Ecclesiae Catholicae ex hac mutatione non solum nihil damni timendum, sed, e contra, multos fructus expectandos esse mihi persuasum est.

Si enim hoc linguae vernaculae medio ideae hereticae tam facile celeriterque diffundi potuerunt, quanto facilius et celerius Veritas ipsa Catholica, a Sancto Spiritu nutrita, diffundi et in fidelium cordibus fortificari poterit?

Considerandum nobis insuper est, infideles modernis, ut errores suos et perversitates suas facilius diffundere possint, omnia media naturalia adhibere. Nos vero, linguam vernaculam a liturgia excludendo, medium valentissimum fidem cognoscendi et vivendi fidelibus subtrahere.

Estne in tali conditione mirandum, fidem catholicam externe adhuc a multis populis retenta in vitam tamen fidelium cotidianam, socialem, familialem, politicam internationalemque influxum minimum exercere?

Quibus rationibus permotus Patribus Ecclesiae in Concilio Oecumenico congregandis hoc linguae liturgicae problema proponere audeo eo sensu quod pro fortificanda et disseminanda fide regnoque Christi dilatando maximae utilitatis erit, si in sacra liturgia lingua vernacula introducta fuerit.

Quibus addere superest linguam latinam in Ecclesiae administratione necessariam maximaeque utilitatis esse foreque.

De aliquibus quaestionibus liturgiam spectantibus

1. In formulario Missae textus consecrationis pristinus restituendus esse mihi videtur, sc. verba: *mysterium fidei* auferendo, quia ad ipsam formulam consecrationis non pertinent. Melius esset in quantum ad traditionem servandam, ut illa verba, in Missa sollemni, diaconus, ad populum conversus, ante ipsam consecrationem alta voce proferat; in Missa lecta minister submissa voce ea pronuntiet.

2. Liturgia consecrationis episcopi, ecclesiae, altaris portatilis, campanae abbrevianda, modernizanda est.

3. Breviarium Romanum unius nocturni sit lectionesque eius ampliores S. Scripturae, praesertim Novi Testamenti textus contineant.

De Coelibatu servando

1. Necessitas et utilitas caelibatus sacerdotalis servandi non est disputanda.

2. Sed patet quaestio quomodo contra habituales transgressores caelibatus procedendum esse.

Agere hic desidero de sacerdotibus qui foeminis se iunxerunt concubinantes aut civile matrimonium attentantes ita ut sperari non possit illos Ecclesiae aliquando utiles fore. Vivunt in peccatis et, si adhuc functiones sacerdotales exercent, maxima sacrilegia committunt; fidelibus scandalo sunt; animam suam perdere possunt praesertim si propter femi-

nam ab unitate cum Ecclesia deficientes in Ecclesiae hostium castra transfugerint.

Sacerdotes tales insuper Ecclesiae damnum magnum inferunt eo, quod propter eos permulti iam fideles in caelibatum cleri non credunt; quapropter fides etiam et mores eorum multo vacillant.

Quibus praemissis, nonne melius esset reducere sacerdotes tales ad statum laicalem eo sensu, ut, solum ad Breviarium recitandum obligati, matrimonium in facie Ecclesiae contrahere possent, ast sine ulla spe et possibilitate ad functiones sacerdotales redeundi?

Qua ex disciplina Ecclesiae fructus varios orituros esse spero:

1) Maior Dei gloria ex eo quod peccata sacerdotum sacrilega ad minimum reducuntur.

2) Vera castitas et sanctitas cleri.

3) Restauratio fidei fidelium in caelibatum sacerdotalem.

4) Animi salvatio sacerdotum naufragantium.

Potestas sacerdotes incorrigibiles ad statum laicalem reducendi concedenda sit Ordinariis qui audito et consentiente Capitulo eam exerceant.

De aliquibus quaestionibus Ius Canonicum spectantibus

1. De electione Vicarii Capitularis.

Sede vacante, regimen dioecesis ad Capitulum cathedrale devolvitur: Can. 431 § 1.

Quae dispositio Iuris Canonici in theoria bona, in praxi inconveniens saepe evadit. Etenim.

a) In dioecesi Episcopus Auxiliaris generaliter habetur, qui in electione Vicarii Capitularis facienda iudicio humilianti Capitularium subicitur.

b) Capitulo nonnumquam homines ambitiosi annumerantur, qua de causa Vicarii Capitularis electio valde laboriosa, praesertim pro Episcopo Auxiliari electionem participante evadit.

c) At S. Scriptura clare pronuntiat thesim: « Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei » (*Act. Ap.* XX, 28).

Quibus rationibus commotus sequentem mutationem Canonum respectivorum proponere audeo:

I - Sede vacante dioecesis regimen, nisi Sancta Sedes aliter providerit, penes Episcopum Auxiliarem esto.

II - Si duo aut plures Episcopi Auxiliares habeantur, regimen dioecesis maior eorum suscipiat; si sit ineptus aut regiminis onus accipere renuntiaverit coram Capitulo cathedrali, penes ordine secundum Auxiliarem regimen esto.

III - Auxiliari omnino deficiente aut onus regiminis accipere omni-

no renuntiante diocesis regimen ad Vicarium Capitularem devolvitur ad normam can. 431 ssq.

2. Circa Episcoporum privilegia: *C.I.C.* can. 349 § 1, n. 1. Episcopis titularibus privilegia addenda mihi videntur etiam quae sub can. 239 § 1, nn. 1, 5 et 6 enumerantur.

Ratio est quia Episcopus plenitudine sacerdotii gaudet.

In specie quoad can. 239 § 1, n. 5: hoc privilegio iam plurimi sacerdotes saeculares et regulares gaudent; a fortiori hoc privilegium episcopo ratione plenitudinis sacerdotii competere debet.

✠ LUCIANUS BERNACKI
Episcopus tit. Melensis
Auxiliaris Gnesnensis

32

EXC.MI P. D. CAROLI VOJTYLA
Episcopi tit. Ombitani, Auxiliaris Cracoviensis

Cracoviae, die 30 decembris 1959

Eminentissime Princeps,

Litteris istius Pontificiae Commissionis antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, cui Eminentia Vestra Reverendissima praesidet, de die 18 iuniii 1959 Prot. N. 1 C/59 - 2257 respondens in adnexo animadversiones meas praesentibus transmittere audeo simulque instantissime veniam imploro tam tardae responsionis, quam propter plurima mea officia Eminentia Vestra Reverendissima benignissime concedere dignetur.

Manus Eminentiae Vestrae Reverendissimae humillime deosculor et servitorem addictissimum in Domino me profiteor.

✠ CAROLUS VOJTYLA
Episcopus tit. Ombitanus
Auxil. Cracoviensis

1. Adiuncta temporum, in quibus nunc contingit vivere Ecclesiae Christi, suggerunt quaedam capita doctrinalia praecipue elucidanda. Materialismo crescente, qui diversas obtinet species (materialismus scientismi, positivismi, dialecticus), transcendentalem oportet ordinem spiritualem exponere, et satis quidem fortiter. Qui in Deo, Prima omnium Causa — Deo inscrutabili in mysterio vitae suae intimae — initium

habet, ordo ille spiritualis invenitur etiam in homine ad imaginem et similitudinem Dei creato. Est quidem homo ens compositum; corpore participans in mundo materiali, anima tamen spirituali et immortali a mundo hoc distinctus — si anima, tunc etiam ente integro, anima enim forma est corporis. Excedit etiam corpus humanum propter substantialem cum anima spirituali unionem caetera mundi corpora, et propter spem resurrectionis futurae videtur ipsam eiusdem animae immortalitatem quodammodo participare. Sunt ea, quae partim solo rationis lumine, plenius lumine revelationis supernaturalis cognoscuntur, postulant autem hominem tamquam personam ab aliis mundi visibilis entibus distinguere — caetera enim non sunt entia personalia.

Unde problema personalismi christiani, quod opportunum videtur et conveniens doctrinaliter delineari. Personalitas humana ostenditur praecipue in relatione cuiuslibet personae humanae ad personalem Deum — en culmen ipsum omnis religionis, praesertim autem religionis in supernaturali Revelatione fundatae. Participatio Divinae naturae et vitae intimae Augustissimae Trinitatis per gratiam, unde exspectatur perfecta unio in visione beatifica — haec omnia non nisi inter personas inveniri possunt.

Personalismus christianus fundamentum etiam constituit totius doctrinae ethicae, quae Evangelio innixa semper ab Ecclesia catholica docetur. Persona humana tamquam suppositum voluntarie et cum conscientia agens, in actibus suis moralitatem includit. In actione personae considerandae sunt relationes agentis ad res et personas alias. Unde catholica doctrina moralis regulas indicat utendi quidem rebus sine abusu et diligendi personas. Praeceptum caritatis implicat et simul exsuperat ea omnia, quae ab iustitia commutativa et sociali postulantur.

Quae omnia, sub isto praesertim aspectu considerata, probe distinguere iubent personalismum illum christianum a quovis alio, in quo vel individualismi vel etiam cuiusdam oeconomismi materialistici vestigia latent. Problema personae humanae eiusque « situationis » in mundo a contemporaneis maxime expetitur; problema istud aliquos ad excessivam « fidem humanisticam », alios vero, et quidem saepius, ad desperationem omnis humanae existentiae ducit. Unde non solum fideles, probabiliter etiam infideles, aliquod futuri Concilii eloquium in hac causa exspectant.

2. Concilium ab omnibus summo studio expectatur, praesertim autem a separatis ab Ecclesiae unitate ratione haereseos vel schismatis. Videntur et ipsi aliqualem possidere amorem Christi Domini, unde spes reconciliationis eorum cum vera Ecclesia Christi, amor enim parit unitatem. Unitas autem Ecclesiae in nullo alio sic exponitur, ut in doctrina de

Corpore Christi Mystico: si Ecclesia est Corpus Christi, non potest esse nisi una et unica, unum enim et unicum est etiam hoc Corpus. In quo membra diversa, sana et aegrota — haec quidem etiam ratione haereseos, quae est contra fidem peccatum, et schismatis, quod contra caritatem. Atqui aegrota etiam non desinunt esse aliquo modo membra Corporis Christi, quod in coelis tantum gloriosum est, in terra tamen vulneratum erat et exinanitum — unde similiter et Corpus Eius Mysticum, quod est in terra, aegrotat et languores patitur. Languores Eius in nobis omnibus, qui proinde obligamur de sanitate eius omnes solliciti esse.

Concilium simul ac tota ecclesiologia theologica haec omnia exponere possunt, minorem accentum praebendo his omnibus, quae separant, quaerendo autem omnia quae conciliant. Sic praeparabitur forsan quaedam conversio in mentibus, exoranda est autem perseveranter gratia reconciliationis cum Ecclesia in doctrinalibus, quae difficillima videntur.

3. Laici, de quibus in *C.I.C.* non multa inveniuntur, in praesenti magis ac magis activam in Ecclesia Christi partem obtinere videntur. Activitas haec laicorum lingua gallica « mouvement de laicat » appellatur. Oportet forsitan propriam indolem simul ac fundamenta supernaturalia huius activitatis doctrinaliter delineare. Tunc melius apparebit vocatio laicorum in Ecclesia (vel: diversae vocationes) eorumque propria responsabilitas: Potest quandoque suspicari periculum alicuius in hac re excessus. Laicos inter et clericos in Ecclesia quaedam aemulatio adesse videtur, qua tamen uti possumus ad pleniorem aedificationem Corporis Christi Mystici. Laici ad opus hoc in diversis vitae saecularis officiis vocantur, in quibus responsabiles sunt pro Ecclesia. Aedificatio Corporis Christi sine mutuo laicorum cum clero labore in actum transire nequit.

Tunc tamen ex parte cleri necesse est, ut pleniorem capiant cognitionem totius vitae laicorum eiusque valoris tam naturalis quam supernaturalis. Relationes sociales hodiernae longe ab antiquo partiarchalismo distantes, democratismo autem proximae, contemporaneam etiam postulant et adaequatam methodum applicandam, paternitatem spiritualem sacerdotum erga christifideles quod attinet. Sine autem aliquo sensu talis paternitatis vera cura animarum, quae non est tantum officium vel functio aliqua socialis, dari nequit. Videtur autem democratismi huius reflexus etiam in hac actione laica (mouvement de laicat) inveniri — proinde sacerdotes diversas formas « protectionales » vel « patriarchales », etsi etiam traditione fulciantur, evitare debent, evitare etiam separatismum quemlibet erga laicos, quae omnia sunt contra mutuum laborem ad aedificationem Mystici Corporis. In cura animarum ne reputentur laici quasi obiectum tantum, sed etiam tamquam subiectum cooperans. Zelo

autem eorum uti oportet praesertim, ubi sacerdotes et clerici missionem suam extendere nequeunt.

Agitur utique de labore evangelico magis ac magis augendo, non autem de quadam lite super competentiam cleri et laicatus catholici.

4. Est res, quam attendamus oportet etiam in formando et disciplinando clero tam saeculari quam regulari. Relevanda sunt, et quidem valde fortiter cleri inter caeteros christifideles specifica quaedam quae particularem eius in Ecclesia vocationem sequuntur, sed relevanda est etiam connexio eius cum laicis ad ostendendam unitatem Regni Dei in hoc saeculo. Vita interior clericis et praesertim sacerdotibus propria inniti debet coelibatu, cuius sensus et valor proprius tunc profundissime capitur, quando cognoscitur in relatione cum inaudito privilegio Sacrificii Altaris celebrandi. Accedit recitatio Breviarii, de cuius reformandi ratione hodie non pauca audiuntur. Quaeritur, utrum abbreviatio, vel potius tantum aliqua renovatio, praesertim cum de lectionibus secundi Nocturni agitur, forsitan etiam primi. (An non melius libri prophetici quam tot de Machabaeis?).

Simul tamen opportunum videtur, ut clericis contactus facilior reddatur cum multis vitae humanae, etiam saecularis, factis et phaenomenis, ex. gr. ubi de cultura intellectuali, artistica et forsitan etiam physica (sport, alpinismus et similia) agitur. Maxime tamen insistendum est, nullo modo hic agi de quodam « saecularismo », sed tantum de affirmatione omnium eorum, quae in se valent affirmari, etsi externe indolem religiosam et sacralem non possideant. Multorum quidem in vita humana « sacralisatio », alia quam indirecta et discreta, simul autem vera et profunda, esse non potest. Exsistit etiam quaedam tendentia ad inculcandum momentum sacri tali methodo, quae menti contemporaneorum valde videtur propria.

Huic tendentiae formatio cleri correspondeat. Utrum in hac re procedendum sit via legislativa et per decreta? Est quaestio haec potius paedagogica, quae ad methodos seminarii et postea ad « auto — paedagogiam » quandam cuiuslibet sacerdotis pertinet — est quidem ultimatim quaestio prudentiae sacerdotalis. Inveniuntur in *C.I.C.* quaedam, quae de habitu clericali vel de non participando in publicis spectaculis et similia — tractant, optima certe. Utrum tamen non sit relevanda necessitas contactus cum istis phaenomenis vitae humanae, quae etiam multa afferre valeant in cura animarum? Sola prohibitiva faciliter suggerere possint ea, quae superius tamquam separatismus — allata sunt.

5. Coelibatum sacerdotalem quod attinet. Est verus thesaurus nostri officii, etsi saepe in vase fictili portatur. Unde etiam viri ecclesiastici, et quidem valde periti in lege et in cura animarum versati, quaedam

de ecclesiasticis suggerunt, qui legem coelibatus violaverunt, quae hic etiam referenda sunt. Quaeritur ergo pluries, utrum tales ad statum laicalem ab Ecclesia omnino reducendi non sint sine ulla spe readmissionis ad statum clericalem, cum dispensatione simul super coelibatus violata lege, eo ipso ab impedimento maiorum ordinum, ubi agitur de matrimonio.

Propositio haec quibus innititur rationibus? En 1) agitur de salute aeterna sacerdotis talis lapsi, ad quam cuilibet ius est ex lege divina, cum coelibatus magis ex lege ecclesiastica procedit. Vivendo in contractu civili privatus est autem talis sacerdos lapsus remediis supernaturalibus, simul cum eo etiam mulier, unde eventuales filii periculo spirituali exponuntur. 2) Saepe inde inimici Ecclesiae ortum suum capiunt, qui odio maximo illam persequuntur. Lege mutata possent tales vitam ducere honestiorem satisfaciendo pro scandalo a se praestito. 3) Esset etiam pro Ordinariis facilius, si de his clericis agatur, qui ex defectu naturae vel vitae interioris legem coelibatus adimplere nequeunt.

Cum tamen propositio ista Commissioni Ante-praeparatoriae praesentatur, ut voces etiam eorum audiantur, qui talia suggerunt, clarum est simul, cuius res sit momenti. Ecclesia sine dubio in hac re omnino est competens. Utrum tamen propositio haec bono spirituali et sanctitati clericali, an potius relaxandae disciplinae inserviret — hoc maxima cum cautela et summa sollicitudine inquirendum et pensandum esset.

6. Radix clericalis formationis est in seminario — unde illud optimam habeat directionem et organisationem, ut illis quae vocatio et status sacerdotalis necnon quae cura animarum et contactus cum contemporaneis postulat — sufficienter saltem respondeat. In efformanda mente et conscientia alumnorum a primordiis elaborandus est sensus quidam missionis apostolicae. « Missio » et « officium » maiorem partem in mente et voluntate eorum obtineat postposita ratione beneficii, qua voce utitur *C.I.C.*, iuste quidem et convenienter. Forsitan tamen etiam in Codice haec ratio et nomen « beneficium » mutari debeat ad convenientius efformandam indolem clericorum.

In re seminarii magni est hodie momenti non tantum formatio moralis sed etiam intellectualis. Fiant seminaria nostra quam maxime non solum studia professionalia, sed verae academiae vel studia generalia universitatibus adaequabilia. Oportet enim sacerdotem in cura animarum laborantem convenienti auctoritate intellectuali inter contemporaneos pollere, quorum plures ac plures educationem superiorem in universitatibus adeptam possident. Unde necessitas praeparationis scientificae in seminario, cuius conditio sine qua non — professores et

magistri ipsi perfecte quidem praeparati. Forsitan etiam non esset sine momento commissio quaedam ad verificandas eorum qualitates in quacumque disciplina — simili modo ut procedunt universitates laicae. Sollicitudo de qualitatibus scientificis professorum seminarii coniuncta sit cum aliquo postulatu quoad indolem ipsorum seminariorum tamquam determinatae institutionis. Obtineant seminaria forsitan — saltem ubi dantur conditiones — indolem facultatum theologicarum iuris ecclesiastici, et in principalioribus dioecesibus (metropoliis) etiam indolem studii generalis cum tribus consuetis facultatibus (philosophica, theologica, iuris canonici).

Agitur evidenter non tantum de erectione formali, sed de reali indole institutionis, in qua futuri praeparantur sacerdotes. Videtur tamen ipsa erectio formalis ex parte Ecclesiae — prudenter utique et cum fundamento in re — etiam magni esse momenti, ipsa enim indoles iuridica obligationem realem videtur inducere. Tunc in seminariis nostris verus labor et inquisitio scientifica initium capiet etiam ad gradus academicos obtinendos.

7. Quod vitam internam Ecclesiae tangit, magni videtur esse momenti formatio claustralis et religiosa. Quandoque multa de quadam crisi audiuntur, si agatur de ordinibus et congregationibus singulis. Tamen doctrina evangelica de perfectione, de consiliis, de exclusiva sui ipsius donatione Deo et Domino Nostro Iesu Christo et Spiritui Sancto — semper est actualis et vivida. Crisis ergo supradicta magis formas externas tangit, quibus status perfectionis acquiritur. Necessaria videtur adaptatio quaedam ad mentes et sanas aspirationes contemporaneas, quibus etiam vita Ecclesiae manifestatur. Agitur in hac re non tam de quibusdam externis ut v. gr. de habitu religioso, sed de ipsa spiritualitate religiosorum, in qua nequit tamquam principalis concipi ipsa separatio a mundo et ab hominibus ad obtinendam propriam solummodo salutem. Vincere queat necesse est illa alia conceptio, secundum quam vita claustralis, monastica, religiosa, praecipuam constituit aciem Ecclesiae militantis, quae ad regnum Dei et Christi in hoc saeculo tendit.

Positiva relatio haec ad mundum, ad contemporaneos, componi debet cum necessitate non commiscendi sese, « cum hoc saeculo », non immergendi se in ipso. Vita religiosa nequit consistere in faciliori quadam forma existentiae, praesertim hisce temporibus, quando haec existentia humana saepe fit et spiritualiter et materialiter valde difficilis. Necessaria est ergo vera et perfecta observantia religiosa — unde officium stabilis in qualibet natione visitatoris apostolici postulatur. Posset ille visitator disciplinam et observantiam omnium claustralium invigilare, insimul stabiliter in conferentiis Episcoporum participando haberet officium coordi-

nandi activitatem religiosorum cum necessitatibus curae animarum in qualibet dioecesi.

Est enim haec quaestio difficilis, quandoque etiam quaedam de periculo particularismi vel egoismi sui generis audiuntur, cum de relatione alius atque alius domus religiosae ad dioecesim vel paroeciam agitur, ac si domus ista esset sibi ipsi finis et ratio essendi. Necessaria est utique exemptio religiosorum in dioecesi quoad vitam internam cuiuslibet domus, quae ex principiis regulae emanare debet. Aliud tamen est cura animarum et sollicitudo pastoralis, ubi religiosi stricte subdantur ordinario oportet, ne eorum labor in hac re aliquo modo praeter ea fiat, quae in tota dioecesi vel paroecia sub directione episcopi vel etiam parochi fiunt. Ratio exemptionis religiosae inducitur enim quandoque ad evitandam solidam collaborationem in cura animarum, etsi collaborari possit.

Non est haec tamen principalis quaestio de potestate, de facultate regendi et disponendi inter clericos, sed de maiore unitate in agendo. Sollicitudo pastoralis temporibus nostris semper maiorem videtur obtinere partem in activitate Ecclesiae. Caveant utique ordinarii, episcopi et etiam parochi, ne in invitandis vel etiam cogendis religiosis ad curam animarum, obliviscantur tamen specificae illius indolis cuiuslibet ordinis vel congregationis eorumque vocationis principalis in universali Ecclesia Christi. Videtur tamen crisis contemporanea, qua laborant ordines et congregationes religiosae non posse vinci, nisi in connexione proxima cum tota vita Ecclesiae eiusque situatione in mundo hodierno.

8. Maius ac maius interesse in Ecclesia, etiam inter laicos, rebus liturgicis datur. Multa iam facta sunt ad facilitandam participationem mysteriorum Fidei nostrae, quae in liturgia quodammodo manifestantur. Postulatur semper prudens admissio linguae nationalis in administrandis S. Sacramentis et in sacramentalibus, sine tamen totali nationalisatione rituum. Revisio quaedam videtur opportuna, si de functionibus pontificalibus agatur, ad simplificandum caeremoniale externum et forsan etiam ab abbreviandas quasdam caeremonias (v. gr. consecratio ecclesiae vel altaris), ita tamen, ne essentialis pulchritudo liturgica insimul detrimentum capiat.

Consideratis omnibus adiunctis et conditionibus vitae christifidelium in multis regionibus videtur opportunum non amplius limitare tempus Sacrificii Missae celebrandi. Participatio Missae etiam in sacello privato vel in altari portatili celebratae sufficiat ad adimplendum praeceptum ecclesiasticum diebus festivis.

9. Quae Codicem I. C. tangunt, a iuris peritis et professoribus iuris canonici postulantur et suggeruntur. Sic v. gr., ut ius poenale Ecclesiae simplificetur, ut impedimenta matrimonialia minoris momenti e Codice

evanescant, ut iurisdictio ad confessiones audiendas in una dioecesi sufficiat ad audiendas eas etiam in aliis dioecesibus eiusdem nationis (identitas idiomatis), saltem ad determinatum aliquod tempus. Si agatur de obiectis pietatis benedicendis, nimia sunt reservata — facilius et simplicius in hac re constituere oportet, etiam quoad indulgentias, quae cum obiectis talibus connectuntur.

Si adhuc ad matrimonium eiusque impedimenta redeamus, videntur aliqua in *C.I.C.* introducenda: speciali modo, si agatur de indole sanguinis inconvenienti — unde consequentiae tristissimae, de quibus medicina testatur.

Undique etiam audiuntur plurima de Codice librorum prohibitorum — revisio videtur opportunissima.

✠ CAROLUS VOJTYLA
Episcopus tit. Ombitanus
Auxiliaris Cracoviensis

33

EXC.MI P. D. FRANCISCI KORSZYNSKI

Episcopi tit. Oriseni, Auxiliaris Vladislaviensis

Wloclawek, dn. 12 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Praeprimis Summas Eminentiae Tuae ago gratias pro litteris nomine Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico mihi missis.

Cum illis igitur hisce respondeam, honorem mihi duco proponere quae sequuntur.

1. Ardentissimum desiderium peroptimi Patris nostri Papae Ioannis XXIII est etiam meum desiderium, ut nempe omnes christianae confessiones uniantur et unum Ovile sub uno Pastore constituant. Id deprecor quotidie.

2. Cum variae protestantium sectae, in America Septentrionali ortae et nunc in Polonia grassantes, in suos errores seducant multos, praecipue utentes lingua vernacula, enixe rogo, ut in sacra liturgia, in caeremoniis peragendis, sicuti in collatione nonnullorum sacramentorum, in exequiis, immo etiam in sacrificio Missae (in partibus quae tempore liturgico mutantur) maiorem atque potiorem partem habeat lingua polona.

3. Cum in ergustalariis horrendis castris in Dachau una cum triginta milibus captivorum ad necem destinatorum morarer, accidit ut ipse sanctus

Ioseph mirabili prorsus modo omnes nos liberaverit. Proinde cum in sanctum Ioseph gratissimo simus animo, meo meorumque in Dachau sociorum, episcoporum sacerdotumque nomine efflagito, ut divi Patriarchae litaniis haec nova invocatio inseratur: « Sancte Ioseph, mirande captivorum Liberator, ora pro nobis ».

4. Rogo etiam, ut S. Ioseph, Patronus universalis Ecclesiae, saltem semel in anno ubique terrarum, consentientibus magistratibus civilibus, externa solemnitate honoretur.

5. Optandum est, ut consecratio ecclesiae, nimis longa et intellectui populi difficilis, brevior faciliorque reddatur.

Quae Cum Eminentiae Tuae propono, sacram Tuam purpuram deosculor

✠ FRANCISCUS KORSZYNSKI
Episcopus tit. Orisenus
Auxiliaris Vladislaviensis

34

ECX.MI P. D. PETRI GOLEBIOWSKI

Episcopi tit. Panitani, Auxiliaris Sandomiriensis

Sandomiriae, die 10 octobris 1959

Eminentissime Princeps,

Grato animo perlegi litteras diei 18 iunii 1959 N. 1 C/59-2266 a me receptas die 1 augusti anni currentis, quibus nimirum nuntius datur Summum Pontificem Ioannem XXIII Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico instituisse et simul vota atque consilia singulorum Episcoporum exigere pro apparandis quaestionibus, quae in futuro Concilio Oecumenico tractabuntur. Cum in responsione sine more danda difficultates expertus sim, nunc ea quae mihi opportuna esse videantur ad exaltationem S. Matris Ecclesiae humillime proponere audeo:

1. *Quoad doctrinam*

1. Hodiernae conditiones et periculosi errores moderni requirunt, ut auctoritas et ambitus Vivi Magisterii Ecclesiastici magis extollatur et mentibus inculcetur quod immortalis memoriae Summus Pontifex Pius XII cum in Litt. Enc. *Humani Generis*, tum in Allocutionibus ad E.mos PP. DD. Cardinales et Exc.mos PP. DD. Antistites de die 31 maii ac 1 novembris 1954 delineavit. Elenchus modernorum errorum

circa auctoritatem Vivi Magisterii Ecclesiastici utilis immo necessarius videtur, propter tantam confusionem conceptuum etiam inter eos, qui catholici vocantur.

2. Definienda est tanquam dogma fidei doctrina fundata in fontibus Revelationis de Ecclesia uti Corpore Mystico Christi.

3. Veritas de universali mediatione B. Mariae Virginis etiam tanquam articulus fidei tradenda est.

2. *Quoad disciplinam cleri*

1. Efficacia remedia adhibenda sunt contra laicismum, qui animas sacerdotum hodie inficit. Optandum est, ut sacerdotes iunioris aetatis post 2-3 annos laboris apostolici in speciali Instituto Ecclesiastico per aliquot menses commorari possint ad renovandum et roborandum animum.

2. Desideratur arctior unio inter sacerdotes et proinde vita aliquo modo communis hedum in paroeciis urbanis, sed etiam in vicariatibus foraneis.

3. Exercitiis spiritualibus unusquisque sacerdos saecularis quotannis saltem per continuos quatuor dies vacare debet.

4. Lex S. Coelibatus pro clericis in maioribus ordinibus constitutis Ritus Latini omnino tuenda est, at in casibus singularibus dispensatio super obligatione Coelibatus etiam presbyteri reducti ad statum laicalem opportuna esse ad maiora vitanda mala videtur.

5. Servanda est etiam obligatio clericorum ordinum maiorum recitandi quotidie officium divinum attamen cum ulteriore abbreviatione pro illis, qui curam animarum exercent.

3. *Quoad disciplinam fidelium*

1. Normae respicientes Actionem Catholicam in Codicem Iuris Can. introducendae sunt. Obligatio apostolatus laicorum, praecipue parentum in educatione religiosa et morali filiorum commendanda est.

2. Pars III, lib. II *C.I.C.*: De laicis, amplianda est designando quaenam iura et obligationes eis in Ecclesia sint.

3. Activitatem pastoralem novis aptisque mediis, quae exigentiis et conditionibus hodiernis accommodata essent, corroborare necesse est.

4. *Quoad disciplinam in genere*

Stabilienda est disciplina circa abstinentiam et ieiunium hoc sensu ut ieiunium cum abstinentia ad 4 dies per annum reducatur, lex de

ieiunio tantum totaliter abrogetur, abstinentia a carnibus singulis feriis sextis retineatur; praeterea etiam aliae mortificationes clero populoque imponantur uti tempore Quadragesimae abstinentia a potibus alcoholicis, a publicis spectaculis et choreis, vel in Quadragesima praeter abstinentiam in feriis sextis feria quarta loco sabbatorum quavis abstinentia servetur.

5. *Quoad dispensationem Sacramentorum*

1. Facultas conferendi S. Confirmationem in periculo mortis concessa Const. Apost. *Spiritus Sancti munera* d. d. 14 septembris 1946 extendenda est ad omnes sacerdotes, sicut pro absolutione sacramentali.

2. Optanda est pro Ordinariis locorum potestas concedendi sacerdotibus facultatem trinandi Sacrificium Missae etiam in eadem ecclesia celebrandae si id spirituale bonum notabilis partis fidelium exigeret.

3. Facultas distribuendae et recipiendae S. Communionis sicut horis matutinis ita etiam postmeridianis independenter a Sacrificio Missae celebrando, servato ieiunio eucharistico ad mentem Motu Proprio P. Pii XII de die 19 martii 1957 an. Tamen potus alcoholici ante S. Communionem recipiendam, exceptis mediis medicinalibus prorsus prohibendi sunt.

6. *Quoad S. Liturgiam*

1. Orationes, quae in Rituali Romano pro administratione sive Sacramentorum sive Sacramentalium ponuntur, lingua vernacula recitentur maiori cum fructu spirituali fidelium.

2. Ritus consecrationis ecclesiae, sicut etiam altaris sive stabilis sive portatilis ad breviorem formam redigendus, adhibitis psalmis et saltem quibusdam orationibus in lingua vernacula.

Haec Eminentiae Vestrae Reverendissimae humillime communicando insimul Deum Omnipotentem per intercessionem Beatissimae Virginis Mariae, Reginae, adprecor, ut sacra desideria votaque Summi Pontificis nostri Ioannis XXIII cum Oecumenici Concilii celebratione connexa implere velit praesertim ut hi, qui extra Catholicam Ecclesiam degentes unitatem quaerunt quantocius ad unum Ovile Christi Domini redeant.

Sensus reverentiae qua par est ex intimo corde exprimo et deosculans Sacram Purpuram me devotissimum et addictissimum Eminentiae Vestrae Reverendissimae profiteor

✠ Petrus Golebiowski
Episcopus tit. Panitanus
Auxiliaris Sandomiriensis

35

EXC.MI P. D. SIGISMUNDI CHOROMANSKI

Episcopi tit. Panopolitani, Auxiliaris Varsaviensis

Varsaviae, die 2 octobris 1959

Eminentissime Princeps,

Summo mihi honori est ad litteras a Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico die 18 iunii 1959 missas respondere et consilia votaque mea, quae sequuntur, mittere:

In futura legislatione ecclesiastica videtur mihi ad formam necnon ad moderationem Actionis Catholicae animus advertendus esse praesertim ad relationes inter clericos et laicos et ad missionem parentum quoad educationem liberorum in familia christiana.

Praecepta, quae curam animarum spectant magis explanata esse debent.

Quoad coelibatum attinet, nullae mutationes vigentis disciplinae inducendae sunt, sicut iam de admissione nuptorum diaconorum in administratione sacramentorum disputabatur. Coelibatus enim defendendus est tamquam conditio sanctitatis necnon ardoris apostolici sacerdotum.

Officium Breviarii tamquam publica oratio Ecclesiae est servandum, breviarium enim sacerdotem cum tota Ecclesia orante consociat. Correctiones et emendationes raro sint, in multis enim regionibus non facile est breviarium emere.

Privilegium exemptionis religiosorum mutatum atque emendatum esse debet. Ab Episcopo enim Ordinario inspicienda est vita domorum religiosarum. Exemptio talis non raro efficit, ut ordo regularis vel congregatio religiosa extra vitam et negotia Ecclesiae vivat. Hodiernis temporibus cuiusvis ordinis vel congregationis est opem ferre in omnibus laboribus et negotiis, quae curam animarum attinent.

In ordinibus vel congregationibus religiosorum, praesertim feminarum, superiores in electionibus saepe potestate sua abutuntur.

Ratio studiorum in ordinibus et congregationibus religiosorum praeceptis Seminariorum et Facultatum Theologicarum congruenda est.

Vestitus religiosorum ac religiosarum simplicius reddendus atque hodiernis negotiis accomodandus est.

Quod liturgiam spectat — rationes, quae curam animarum attinent, postulant ut lingua vernacula in Rituali inducta sit, praesertim in

administratione Baptismi, Confirmationis, Matrimonii, in Exequiarum Ordine necnon in variis benedictionibus.

Sacra Congregatio Rituum Sacrorum omnia desideria omnes quae petitiones tarde in hac re explet. Iam a tribus annis Polonia approbationem Novi Ritualis expectat.

Ad augendam activam participationem fidelium in Missae Sacrificio linguam patriam seu usitatam, praesertim in nonnullis Missae partibus, inducendam est.

Ordo Consecrationis Ecclesiae, altaris et campanarum simplicius est reddendus.

In legislatione ecclesiastica doctrina de re sociali Ecclesiae Catholicae magis explanata esse debet, praesertim de iure officioque laboris, de officiis socialibus, quibus privatae possessiones tenentur, de sociali modo coexistendi et convivendi.

Data occasione maxima cum reverentia Sacram Purpuram deosculans me humillimum servum profiteor.

✠ SIGISMUNDUS CHOROMANSKI
Episcopus tit. Panopolitanus
Auxiliaris Varsaviensis

36

EXC.MI P. D. THOMAE WILCZYŃSKI
Episcopi tit. Polybotensis

Nr. 3023/59 Olstinii, die 1 octobris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Responsiones meas ad quaestiones, quaesitas a me litteris Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, tempore praefinito, i. e. ante diem 1 septembris anni currentis exarare non potui, quoniam praefatae litterae in fine mensis augusti demum ad me pervenerunt.

Ea omnia, quae inter alia in proximo Concilio Oecumenico opportune tractanda existimo, subsequentibus quaestionibus continentur.

I. *Doctrina*

a) Ea omnia, quae pertinent ad doctrinam de Ecclesia tamquam Mystico Corpore Christi, quae doctrina matura mihi videtur ad definiendum uti dogma fidei catholicae.

b) Definita per Concilium Vaticanum constitutione de Romano Pontifice, existimo possibilem elucidationem vel definitionem de Episcopatu ac Sacerdotio.

c) Doctrina de natura individuali ac sociali hominis; de iuribus et obligationibus hominis erga societatem, in qua vivit.

d) De iuribus et obligationibus fidelium erga Ecclesiam « regale sacerdotium », eius fundamenta et circumscriptio. Actio catholica.

e) Problema non parvi momenti in praesenti aera, quae ad laicismum declinat, est promotio laicorum ardore apostolico insignium ad S. Diaconatus ordinem.

II. *Disciplina Cleri*

a) Obligatio coelibatus extendenda est in clerum cuiuscumque ritus, quia in difficillimis nostri temporis circumstantiis propria familia est valde grave incommodum in servanda fidelitate erga fidem et Ecclesiam.

Ad abolenda vel praecavenda scandala, exorta e non servata obligatione coelibatus, oportet omni cum rigore progredi in eos, qui, quamquam saepius admoniti, in hac materia deficiunt, cum effectu reductionis ad statum laicalem. Procedura canonica in pertinaces debet simplificari ad effectum assequendum.

Clericis reductis ad statum laicalem concedantur omnia iura laicorum, cum facultate contrahendi matrimonium inclusive. Talis amotio clericorum incontinentium emendabit totum statum clericalem, atque nonnullos commovebit ad vitam vere sacerdotalem et castam.

b) Divinum Officium reducatur ad formam breviorem, in modum officii simplicis, scilicet officium unius Nocturni.

In horis minoribus Dominicae recitetur non totus Psalmus 118, sed una tantum pars, quoniam in omnibus eius partibus eadem mense continuo revertitur.

Habens prae oculis insufficientem cognitionem S. Scripturae, bonum mihi videtur, si in lectionibus III Nocturni ponantur pericopae totius Evangelii S. Matthaei e synopticis, ac Evangelii S. Ioannis.

Pro clericis e negligentia culpabili recitationem Divini Officii omittentibus exigatur aliqua sanctio externa, usque ad poenam suspensionis a divinis inclusive.

Item imponatur omnibus clericis obligatio stricta recitandi quotidie tertiam partem S. Rosarii.

c) Omnis clericus peragat exercitia spiritualia quotannis, non tantum tertio quoque anno. Exercitia spiritualia protrahantur ad sex dies, quibus vacare oportet in domibus specialiter ad hoc destinatis.

d) Quod attinet decentem habitum clericalem pro veste talari per-

mittatur vestis masculinus nigri coloris, sed semper cum collari, uti mos est in nationibus occidentalibus.

e) Ad abolendam nimiam disproportionem nonnullorum beneficiorum constituantur normae canonicae cum stricta obligatione destinandi aliquam partem redituum ad sustentationem clericorum, qui beneficio paupere utuntur.

f) Nostris temporibus paroecia potius est officium quam beneficium; bonum spirituale fidelium debet esse norma pro Episcopo in translatione sacerdotum curam animarum exercentium. Parochus est pro paroecia, non autem vice versa. Idcirco existimo immutari debere praescripta Iuris Canonici de translatione parochorum. Si quilibet sacerdos ad aliquod munus non est idoneus, pro honesta eius sustentatione aliter providendum est, sed non debet talis beneficii causa fungi munere, cuius officia exercere non valet. Fidelis populus, qui semper cupit sacerdotem dignum ac idoneum, omnino non potest intelligere, quare amotio sacerdotis non idonei secundum normas Iuris Canonici tam est difficilis. Nullus Episcopus vel Ordinarius loci removet aliquem sacerdotem dignum et idoneum, nisi agatur de casu speciali, in quo nullus alius quam iste aliquam aliam paroeciam difficilem reducere possit ad statum normalem.

III. *Res liturgicae*

a) *Rituale Romanum.*

Ritus omnium Sacramentorum, excepta forma sacramenti, exerceatur in lingua vernacula, quod iam locum habet in nonnullis dioecesibus. Usus linguae vernaculae est cum magna utilitate pro fidelibus ad cognoscendum sacros ritus liturgicos, praesertim Sacramentorum Baptismi ac Extremae Unctionis necnon multarum benedictionum sacramentalium. Caeremoniae atque orationes recitatae in lingua latina manent fidelibus fere semper non intelligibiles, quamquam per sacerdotes maxima cum cura elucidatae fuerint.

b) *Pontificale Romanum.*

Ritus consecrationis ecclesiae reduci debet ad caeremonias et orationes non ultra unam horam protrahendas. Fideles hodierni, magna nervositate obnoxii, nullo modo assistere valent caeremoniis, quae una cum Missa ad quatuor vel etiam quinque horas protrahuntur. Non semel accidit, ut in fine talis consecrationis Episcopus tantum cum sacerdotibus assistentibus atque cum pusillo numero fidelium in ea ecclesia inveniatur.

In consecratione campanarum omitti posse existimo ea omnia, quae agunt de monstruis, fulgoribus etc., quae ortum suum habuerunt in primitiva cognitione legum naturae et physicae.

Ritus collationis Ordinis Presbyteratus potest, ut mihi videtur, paulisper mutari, ita ut forma collationis huius ordinis adiuncta sit caeremoniis et actionibus magis expressivis.

c) *S. Missae Sacrificium.*

Tum ritus hodiernus tum lingua latina in celebratione huius sacrificii Novi Testamenti sacerdotibus atque omnibus fidelibus incomparabiliter cara sunt, praesertim uti vinculum unitatis et catholicitatis S. Ecclesiae.

Attamen pro fidelibus, qui huic sacrificio non solum assistere, sed etiam vivo participare cupiunt, cognitio S. Missae sacrificii facilior esse debet.

Pro populis linguis non romanis utentibus etiam permitti debet in melodia gregoriana cantus Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei in lingua vernacula praeter linguam latinam.

In recitatione Missae lectae item permitti debet, ut populus clara voce recitare possit lingua vernacula, concomitans sacerdoti celebranti, orationes, Epistolam et Evangelium; secus participatio fidelium in S. Missae sacrificio esset materialis tantum.

In solemni celebratione Missae celebrans omittere debet ea, quae a sacris ministris cantantur.

d) Exarari debet novum Caeremoniale Episcoporum, accomodatum nostris temporibus, quod possit esse Quasi-Vademecum Episcopi. Simile Manuale etiam sacerdotibus valde utile esset.

Pro acatholicis genuflexiones ante Episcopum in celebratione Missae omnino non sunt intelligibiles.

IV. *Ordines et Congregationes religiosae*

Existimo Episcopos sine permissione S. Sedis Apostolicae nullas novas congregationes religiosorum vel religiosarum condere et erigere posse. Saepe enim neque constitutiones neque regulae novarum congregationum essentialiter inter se distinctae sunt, atque istae congregationes numero ac spiritu valde debiles sunt.

Habitus religiosarum debet simplificari ad vitandam admirationem.

Ordinarii locorum maiorem ingerentiam habere debent ad omnia, quae vitam apostolicam attinent.

Visitatores apostolici pro congregationibus religiosis quinto quoque anno eligi debent e familiis alterius ordinis, ac non eiusdem, quae est obiectum visitationis. Visitator per aliquod longum spatium temporis versari debet in conventu, quem visitaturus est.

In educatione novitiorum auctoritati fundatoris vel fundatricis anteponi debet continuo vivens auctoritas Ecclesiae, imprimis Summi Pon-

tificis, atque vivae traditionis ecclesiasticae. Nonnullus fundator alicuius vetustae ordinis, si praevidisset necessitates nostri saeculi, sine dubio constitutionem eiusdem ordinis maius vel minus immutaret. In praesenti autem forma constitutiones tales nimis conditionatae sunt mentalitate medii aevi, atque idcirco exercent hodie nimis parvam attractionem. Ordines tales nostris temporibus saepe carent vocationibus, atque magis vegetant quam activam ducunt vitam.

In Iure Canonico multa praescripta circa religiosos simplificari debent, multa ad constitutiones remitti.

V. *Res sociales*

Necessaria ac utilis videtur editio quasi « Codicis socialis » ad commune usum Ecclesiae cum respectu theoriarum hodie vigentium, qui instrueret in generali, quousque liceat catholicis progredi in singulis quaestionibus socialibus.

VI. *Index librorum prohibitorum*

Hic in praesenti statu amisit omnem vim ac sensum pro laicis. Tum defectus promulgationis, quae in ipsa continentur, tum curiositas legendi eo, quae in Indice inscripta sunt, quemcumque valorem ei abstulit. Forte sufficerent normae generales ad ea, quae non licet catholicis legere.

Omni cum reverentia, libertate ac sinceritate proponere audeo meas suggestiones, quae mihi opportunae videntur, et quae, non omnes tamen, indigent deliberatione Concilii Oecumenici.

Si aliquae ex iis sint minus convenientes, omnino, quaeso, obliviscantur. S. Sedes Apostolica habet maiorem experientiam omnium rerum tractandarum, quae bonum Ecclesiae postulat.

Enixe precor Christum Dominum, ut benedicere dignetur pium propositum feliciter regnantis Summi Pontificis Ioannis XXIII Papae convocandi Concilium Oecumenicum, cuius consilia et decreta uberrimos fructus pro Ecclesia Dei afferant.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimus in Christo Domino Nostro

✠ THOMAS WILCZYŃSKI
Episcopus tit. Polybotensis
regens dioecesim Varmiensem

37

Exc.mi P. D. CASIMIRI TOMCZAK

Episcopi tit. Siccensis, Auxiliaris Lodzensis

22 augusti 1959

Eminentissime Princeps!

Ad benignas litteras Eminentissimi Principis a. c. I C/59-2405 — et per officium postale mihi allatas primis diebus huius mensis, augusti — honori mihi est id quod sequitur, respondere:

I

Antequam nominatus fui episcopus auxiliaris Lodzensis (1927 a.), homileticam alumnis seminarii Varsaviensis exponebam, unde quandam experientiam tam in practica cura pastorali, quam in theoretica notitia homileticae artis adeptus sum. Duas istas res respiciunt observationes et propositiones, quas infra exponere audeo: Fundamentum et basis instructionis et educationis alumnorum in seminariis nostris sunt, sine dubio, doctrinae theologiae tam dogmaticae, quam moralis, asceticae, mysticae, iuris canonici, s. scripturae, liturgiae, historiae ecclesiasticae. Homiletica autem potius ars, quam doctrina, multoties parvipenditur, quamquam Summus Magister noster non solum revelavit nobis veritatem divinam, sed etiam dedit nobis optimum exemplum docendi et praedicandi evangelium. Homines vocati a Deo ad Sacerdotium una cum vocatione accipiunt quidem et sufficientem indolem eloquentiae. Sed omnis indoles, sive quinque, sive duo, sive talentum unum excoli debet et multiplicari studio et labore, id quod saepe negligitur per Sacerdotes incipientes curam pastoralem. Ut facilius satisfaciant obligationi praedicatoriae refugiunt ad compendia i. e. collectiones sermonum per alios auctores scriptas. « Ex libro docti, ex capite stulti » funus potius vivae praedicationi praeparant, abhorrendo auditores, « quaerentes viam, veritatem et vitam ».

Quale remedium applicandum est, ut talis situatio cesset et renovetur apostolicus zelus scientiaque praedicandi?

A) Ante omnia necessaria est quaedam mutatio in ratione studiorum in seminariis, spectans tempus et modum docendi artem eloquentiae. Falsa est opinio nonnullorum contemporaneorum, qui postulant adaptare ipsam doctrinam christianam ad saeculares ideas et ad desideria semper nova et se mutantia. Non Evangelium ad terrena per fas et nefas flectere,

sed homines eorumque mentes et corda ad Deum exaltare debemus; non divina terrenis, sed terrena divinis penetrare et nobilitare, hic est finis noster!

B) Ad hunc finem assequendum studium vel potius practica *exercitia rethorica per omnes annos seminaristicos dilatari debent* (hodie solum 2 horae per hebdomadam in annis scholaribus 4°, 5° et 6°), propositio mea sequens est: in *1° et 2° anno historia eloquentiae* ecclesiasticae et *analysis* contionum tum ex antiquissimis temporibus Ecclesiae procedentibus, tum ex posterioribus et modernis saeculis (S. Paulus Ap., Leo M. Ioannes Chrysostomus, Bossuet, Petrus Skarga et sic porro).

C) In *3°* et *4°* anno studium *methodi* et sermonis catechetici.

D) In °*5* et *6°* anno homiliae et proprie dictae *sermones* per alumnos redigantur originaliter; etsi argumenta ex variis libris haurient ipsi *veri auctores* concionum esse debent.

E) Exarationem sermonum in scriptis sequi debet *pronuntiatio* eorum vocalis iuncta *cum rectificatione vitiorum dictionis* per magistrum eloquentiae.

Hoc modo tractata *homiletica* esset *praeambula* tum *concionandi pastoralis* in futuro, tum curae pastoralis in tota actione sacerdotis, eius initium, primus gustus eius suavitatis excitantis zelum in futuros labores et victorias.

II

Conductu novi agminis alumnorum ad Seminarium eorumque educationi maximae multaeque obstant difficultates. Iuvenes enim nati tempore belli vel postea, tempore sic dictae revolutionis socialis, expositi sunt periculis, inauditis antea tam in vasto saeculi campo, quam in schola, immo etiam sub tectu propriae familiae, sub obtutu patris et matris. Ventis, inimicis fidei et moribus christianis, agitati ephemeridibus, atheisticis editionibus aperte scandala promulgantibus imbuti, omni rationali saltem, si non religiosa educatione privati, raro et non facile vocationem Dei ad sacerdotium audiunt, et si audiunt, speciali et maxima cura indigent in Seminariis ex parte dirigentium educationem cleri, ut ad rectum tramitem revertantur et in eo perdurent.

Magistri, theologiam docentes, adiiciunt suam partem ad paedagogiam, pater spiritualis dirigit conscientiam poenitentium, eorumque vitam spiritualem, vitam gratiae supernaturalis. Tamen educatio nostrae naturae, urbanitas civilis neglecta est saepe in seminariis clericorum, id quod multum nocet Ecclesiae, clero ipsique religioni.

Quapropter mea modesta opinione, quam exprimere et proponere audeo, sequens est: Necessarii sunt in seminariis pro clero *educatores-*

assistentes ad instar talium, quos S. Ioannes Bosco pro suis tironibus constituit: Praeeminentes doctrina et morum sanctitate, notitia hominum, affabilitate, pleni zelo et caritate Dei et hominum, pleni s. d. urbanitate, aliisque donis boni characteris ditati. Tales educatores-assistentes obligati essent cohabitare cum alumnis, notitiam eorum bonam acquirere, eisque auxilium praebere, instruere et spiritualiter formare.

Sacram purpuram Vestram humillime deosculans permaneo, Eminentissime Princeps, Eminentiae Vestrae addictissimus servus

✠ CASIMIRUS TOMCZAK
Episcopus tit. Siccensis et Auxiliaris Lodzensis

38

EXC.MI P. D. IOSEPHI DRZAZGA
Episcopi tit. Siniandenus, Auxiliaris Gnesnensis

Olsztyn, die 21 septembris a. D. 1959

Eminentissime ac Reverendissime Princeps,

Litteris Eminentiae Tuae Reverendissimae die 18 iunii 1959 anni (I C/59-2412) ad me infrascriptum datis respondens animadversiones et vota mea circa argumenta in futuro Concilio Oecumenico tractanda mente sincera ac humillime hisce communico. Rogo simul excusatum me habeas in hac mea retardatione, cum litterae Eminentiae Tuae Reverendissimae vix medio mense augusto a. c. mihi delatae sint.

Sententiae circa argumenta in proximo *Concilio Oecumenico* tractandae:

I. *Quomodo* unio separatorum *seu avulsorum fratrum cum Ecclesia Catholica promoveatur*

In Concilio Oecumenico omnia, quae uniunt, in lucem proferenda sunt, utputa tam veritates Ecclesiae Catholicae et protestantibus communes, quam maior pars dogmatum cum schismaticis. Magni facienda sunt, quae nos uniunt, minoris, utique sine dissimulatione, quae nos dividunt.

II. *Quae* doctrinam *respiciunt*

1. Accuratius explananda doctrina de Corpore Christi Mystico et de relatione ad idem Corpus eorum, qui ab Ecclesia separati sunt. Quam ob causam pressius definiatur principium: « Extra Ecclesiam nulla salus »

non exclusivo sed potius expansivo sensu. Magni facienda mutua responsabilitas membrorum Corporis Mystici e. g. in rebus fidei et morum.

2. Priscorum christianorum praxis et doctrina, quae laicos in apostolatum Ecclesiae docentis admittebat, etiam hodie, opus est, dogmatice definiatur et usu restauretur. Praxis vigens adhuc ob metum influxus protestantium catholicos laicos ab activa participatione in Ecclesia semovit. « Actio Catholica » promovet quadam ratione reditum ad traditiones vetustatis christianae, attamen non nisi respectu sociali. Proinde definienda est positio in Ecclesia laicorum ratione Baptismatis et Confirmationis, quorum « regale sacerdotium » atque responsabilitas pro Ecclesia pluris facienda.

3. Expetenda est ex parte Ecclesiae reprobatio dogmatica quorumdam systematum ideologicorum Fidei contradicentium, a factionibus politicis praescindendo nec eas iungendo, quamvis in illis systematibus doctrina cum factione connectatur.

4. Necesse est in memoriam revocare christianam veritatem et doctrinam de homine, de eius fine supernaturali, de spiritualitate et immortalitate animae eius, de poenarum et praemiorum aeternitate. Definienda sunt etiam iura personae humanae eiusque autonomia in parte organisationis socialis, laboris et proprietatis.

5. Declaranda sunt iura et officia Status, scilicet peragenda est ei functio auxiliaris, non autem absoluta potestas plenaque initiativa socialis occupanda. Oportet potestatem civilem relinquere civibus iustum potestatis initiativaeque ambitum in forma organizationis municipalis, liberarum associationum etc.

6. Opportuna videtur necessitas explicandi praecepta morum in parte ethicae internationalis. Evolutio technica praebet quidem conditiones obiectivas faventes unioni generis humani. Altera ex parte periculum destruendi culturam atque civilisationem ipsumque hominem imminet.

III. *Disciplina cleri*

Supplenda est lex disciplinaris cleri. Nam praescripta vigentia condicionibus difficultatibusque vitae praesentis non semper adaptata sunt. Animadversiones materiam hanc spectantes:

1. Antiqua idea christiana « Vitae communis clericorum » denuo perscrutanda et ubi possibile (in oppidis) ad effectum adducenda est, ne sacerdos cura spirituali destituatur et sibimet ipsi relinquatur.

2. Protegenda est lex coelibatus, quae ad sanctitatem et zelum apostolicum promovendum sacerdotibus conditio necessaria videtur.

3. Clerici orationi mentali vacare pressius obligentur, quae maximi

momenti est ad hodiernum laicismum et naturalismum oppugnandum. Ob oculos ponenda est praestantia Divini Officii recitandi tamquam orationis publicae Ecclesiae sanctae, qua sacerdotis unio cum Ecclesia oranti augetur.

4. Maximi momenti est melius ac melius praeparare clerum in seminariis: *a*) multiplicando seminaria minora, *b*) adaptando rationem studiorum huius temporis necessitatibus, *c*) promovendo curam supernaturalis educationis novae cleri generationis. Saepius enim in dies spiritus laicismi et naturalismi in agminibus sacerdotum iuvenum apparet.

5. Iura Episcopi Ordinarii erga religiosos accuratius definiantur. Immediata a Congregatione Religiosorum dependentia religionum exemptarum saepe difficultatem generat propter impossibilitatem introspiciendi in domorum religiosarum vitam.

6. Quoad praxim « reductionis sacerdotis ad statum laicalem » Ordinariis locorum detur ius sacerdotes indignos semovere et degradare.

IV. *Disciplina fidelium*

1. Fidelibus in mentem revocetur doctrina catholica de unitate et indissolubilitate matrimonii, per desapprobationem praxeos qua catholici divortio civili utuntur.

2. Instantibus malis ex accrescenti sensualitate et morum dissolutione manantibus vox Ecclesiae iterum atque iterum audiatur. Canones contra propagationem pornographiae in scriptis, libris, spectaculis theatralibus, cinematographicis, televisivis etc. edantur.

V. *In re iuridico-liturgica innovanda*

1. Concedatur omnibus vicariis, ut pari parochorum privilegio hominibus in articulo mortis versantibus sacramentum Confirmationis administrare possint.

2. Potestas absolvendi super excommunicatione propter apostasiam, haeresim vel schisma, hucusque can. 2314, § 2 *C.I.C.* solis Ordinariis in foro externo reservata, tribuenda est omnibus parochis, qui eam gravi de causa pro casibus particularibus aliis sacerdotibus delegare possint.

3. In novo Codice Iuris Canonici praeparando, in capite « De clericis in specie » definiantur iura et privilegia sacerdotum, qui in scholis solummodo laborantes tradendae doctrinae catholicae destinantur (sic dicti « sacerdotes catechistae »).

4. De Breviario reformando satis crebra sunt vota et speciatim quoad lectiones II nocturni.

5. Ratio pastoralis expostulat maiore in gradu linguam vernaculam in caeremoniis Baptismi, Confirmationis, Matrimonii, in exequiis, benedictionibus et consecrationibus inducendam.

6. Stabilienda est dies Paschatis et tempus Communionis paschalis extendendum.

7. Vestis religiosorum religiosarumque condicionibus vitae hodiernae et iustis higienae exigentiis adaptanda est.

8. Abbrevietur ritus consecrationis altaris et ecclesiae linguaque vernacula in eodem ritu admittatur.

Sententias et vota circa materiam in futuro Concilio Oecumenico deliberandam Eminentiae Tuae Reverendissimae proponens maxima laetitia afficior decisionis causa feliciter regnantis Ioannis Papae XXIII convocandae Synodi Oecumenicae, cuius definitiones et decreta pro Ecclesia Sancta Dei fructus uberrimos afferant. Deum Omnipotentem enixissime adprecor, ut opus a Spiritu Sancto inspiratum benedicere et ad felicissimum effectum perducere dignetur.

Interea purpuram Eminentiae Tuae Reverendissimae deosculans, Deo me commendatum habeas imploro.

Cum reverentia profundissima et amore filiali

✠ IOSEPHUS DRZAZGA
Episcopus tit. Siniandenus
Auxiliaris Gnesnensis

39

EXC.MI P. D. LADISLAI SUSZYNSKI
Episcopi tit. Tabborensis

Bialystok, die 10 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

In responsione ad litteras Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, diei 18 iunii 1959, Prot. N. I C/59-2422, receptas die 17 augusti 1959, ego Ladislaus Suszynski, Episcopus titularis Tabborensis, degens in Bialystok, via Slonimska 8 - Poloniae, meas animadversiones, consilia et vota infra expositas pro futuro Concilio Oecumenico humillime communico:

I. Quoad doctrinae capita:

Valde desideratur, ut pia sententia tenens Beatam Virginem post Christum et dependenter ab Ipso Mediatricem omnium gratiarum et Coredemptricem esse, definiatur a Patribus Concilii ut dogma fidei nostrae impositum.

II. Quoad disciplinam cleri:

1. Lex coelibatus, de qua in can. 132, § 1, ut magnum subsidium sanctitatis et zeli pastoralis sacerdotum omnino servanda est.

2. Quotidiana obligatio horas canonicas integre recitandi secundum proprios et probatos libros, de qua in can. 135 *C.I.C.* dicitur, uti oratio publica fovens sensum communitatis clericorum in maioribus ordinibus constitutorum cum Ecclesia Universali servanda est. Attamen lectiones praesertim historicae secundi nocturni, vitas sanctorum continentes, magna ex parte corrigendae et in brevius contrahendae sunt.

3. Clerici non solum in sacrificio missae celebrando sed etiam in aliis divinis officiis seu functionibus potestatis ordinis obeundis veste talari induantur. Extra missam et divina officia habitus clericalis saltem aliquatenus distinctus maneat a vestibus laicorum. Mea humili opinione quotidianus habitus clericalis atri coloris, quo clerus in U.S.A. utitur, a clero in aliis regionibus adhiberi posset. Attamen collare stricte ecclesiasticum non autem laico simili clerici portare deberent. Ad multa mala praecavenda stricte observandum est decretum S. C. Concilii, 28 iulii 1931, quo praescribitur, ut clerici habitum ecclesiasticum semper deferant, non excepto tempore aestivarum vacationum.

4. Habitus religiosorum in religionibus tum masculinis tum femininis ad maiorem simplicitatem revocetur, ut facilius suum apostolatum inter laicos gerere possint.

III. Quoad disciplinam populi christiani:

In Codice Iuris Canonici, in parte tertia libri de personis, quae tractat de laicis, hodiernis temporibus opportunum esset definire locum, quem fideles per characterem sacramentalem baptismi et confirmationis necnon per gratiam sanctificantem in Ecclesia ut Corpore Mystico Christi occupant et obligationes inde provenientes, ut obligatio sanctificationis personalis per media supernaturalia, praesertim vero obligatio responsabilitatis pro fide catholica et Ecclesia Christi et cum hac responsabilitate connexa obligatione defensionis fidei catholicae et iurium Ecclesiae contra inimicos; apostolatus laicorum; christianae iuventutis educationis; cooperationis laicorum cum Ecclesia in fide per missiones propaganda necnon cooperationis cum hierarchia et clero in associationibus ecclesiasticis.

IV. In can. 987 *C.I.C.* abrogare oporteret simplex impedimentum servitutis ad ordines recipiendos in n. 4 contentum, quo praescribitur:

« Sunt simpliciter impediti servi servitute proprie dicta ante acceptam libertatem ».

V. Quoad res liturgicas:

1. In rituali, ad maiorem fructum sacramentorum baptismi, confirmationis, matrimonii et extremae unctionis a fidelibus percipiendum et ad functiones potestatis ordinis ut sepulturae et benedictiones melius intelligendas, ritus administrationis horum sacramentorum et ritus in sepultura persolvenda ac benedictionibus impertiendis in lingua vernacula exsequi deberent.

2. In Pontificali Romano ritus consecrationis ecclesiae ad maiorem simplicitatem revocandus sit et, ut a fidelibus melius intelligatur, in lingua latina ubique terrarum dicenda sit.

Eminentissimus Princeps, cuius sacram purpuram deosculor, me habere dignetur observantissimum et addictissimum servum.

✠ LADISLAUS SUSZYNSKI
Episcopus tit. Tabborensis

40

EXC.MI P. D. STANISLAI JAKIEL

Episcopi tit. Tanagraei, Auxiliaris Presmiliensis Latinorum

Premisliae, die 24 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Aestimatissimis Litteris *Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico* obsequium praestans, animadversiones seu vota circa res, quae in futuro *Concilio* tractari poterunt, proponere audeo prout sequitur:

1. *Circa doctrinam catholicam universim*:

a) Proclamatio dogmatis de *Beata Maria Virgine* ut *Mediatrice omnium Gratiarum* ab universo clero populoque fideli expectatur;

b) Ad tuendam sinceramque conservandam doctrinam fidei et morum perutile erit syllabum errorum hodierno tempore grassantium conficere, eosque explicite proscribere;

c) Magni motus sociales, quod hodie experimur, doctrinam de vita hominis individualis et socialis alienam persaepe a veritate divina docent, erroresque varios in hac re inter fideles Christi spargunt. Bonum erit, contra hos errores, capita doctrinae catholicae elaborare et proponere.

2. *Circa Liturgiam*:

a) Populus fidelis de die in diem, magis atque magis vult non solum in Sacrificio Missae active participare, sed etiam in variis benedictionibus et consecrationibus. Hac de causa:

b) necessarium videtur in administratione Sacramentorum et Sacramentalium, praeter caeremonias essentiales, quae lingua latina recitantur, admittere usum linguae patriae;

c) Insuper benedictiones et consecrationes, quae ab Episcopo peraguntur, et quae sat longae sunt, abbreviandae videntur, praecipue: consecratio ecclesiae et altaris, benedictio lapidis primarii ecclesiae, benedictio et consecratio campanae etc. Populus fidelis desiderat in his benedictionibus participare, quae ut breviores sint necessarium est partesque earum nonnullae, e. gr. cantus vel recitatio Psalmorum, Litaniae Sanctorum, lingua patria recitandae vel cantandae permittantur.

3. *Circa vitam cleri et populi fidelis*:

a) Clerus occupationibus pastoralibus valde occupatus expectat breviorem formam recitandi S. Officii;

b) Ad varia pericula, quae hodie sanctitati vitae sacerdotalis imminent, evitanda, vita communis non solum consulenda, sed ubi hoc possibile est, praecipienda esse videtur;

c) Ut pietas fidelium, eorumque intima coniunctio cum Christo magis augeatur, utile forsan sit, stricte praecipere omnibus fidelibus saltem bis in anno S. Communionem suscipiendi;

d) Cum in omnibus fere regionibus mundi largae dispensationes ab observanda lege abstinentiae. et ieiunii concedantur, postulatur generalis mitigatio legis abstinentiae et ieiunii.

4. *Circa religiosos*:

a) Experientia teste, conditiones hodiernae persaepe postulant, ut omnes sacerdotes, non solum dioecesani sed et religiosi, laborem suum bono fidelium praestent. Episcopus ergo, si hoc necessarium iudicaverit, ius et potestatem habeat in auxilium vocandi etiam religiosos exemptos;

b) Episcopus etiam maiores facultates circa visitationem exemptorum religiosorum et monialium, regularibus subiectis, oportet ut habeat, et quidem ad bonum dioecesis et ipsarum religionum.

5. *Circa legem poenalem Ecclesiae*:

Desideratur clarior et simplicior lex poenalis, ut clericis et populo fideli facilius notificari possit.

Animadversiones has breves concludendo animum sincere exprimere velim, me toto corde, desideriis Suae Sanctitatis Ss.mi Pontificis Ioannis XXIII, fratres nostros dissidentes ad unitatem Ecclesiae revocandi, adhaerere.

Interim S. Purpuram Eminentiae Vestrae osculans intimos sensus profundissimae venerationis et observantiae profiteor.

Eminentiae Vestrae Illustrissimae ac Rev.mae
addictissimus in Christo D.

✠ Stanislaus Jakiel
Episcopus tit. Tanagraeus
Auxiliaris Premisliensis Latinorum

41

Exc.mi P. D. CAROLI PĘKALA
Episcopi tit. Trocmadiani

Tarnoviae, die 13 novembris 1959

Eminentissime Princeps,

Notitiam de convocando Concilio Oecumenico a feliciter regnante Pontifice Ioanne XXIII magno cum gaudio excepi.

Quod quidem gaudium augetur ex praecipuo fine, quem hoc Concilium intendit, ut scilicet fiat, quod Summus Sacerdos in aeternum Christus Dominus orando a Patre postulabat, « ut unum sint » per tentatam reconciliationem Universali Ecclesiae disiunctorum.

Laetatus sum valde etiam hac de causa, quod Eminentiam Vestram, cuius personali notitia honoratus sum, tam honorifico munere Praesidis Commissionis Antepraeparatoriae huius futuri Concilii ornatam video.

Grato igitur animo excepi invitationem ab Eminentia Vestra mihi dignanter transmissam ad proposita et vota ad hoc Concilium dirigenda.

Paenitet me tantum multo labore gravatum ob munus Vicarii Capitularis in dioecesi Tarnoviensi post obitum p. m. Ioannis Stepa ultimi eiusdem dioecesis Episcopi orbata recenter susceptum, quod tempore praesignato huic benignae invitationi Eminentiae Vestrae respondere non potuerim ideoque pro hac mora in respondendo humiliter veniam peto.

Gratissimo animo ac pia recordatione retineo peregrinationem meam Romae anno 1958 mense ianuarii peractam, cum a gloriosae memoriae decesso Pontifice Pio in audientia privata receptus eiusque Benedictione recreatus sum.

Unde etiam eximia cum laetitia excepi notitiam de evectione Eminentiae Vestrae ad S. R. E. Cardinalis dignitatem et postea ad amplissimum officium Secretarii Status Suae Sanctitatis. Qua de causa liceat mihi hodie congratulari Eminentiae Vestrae et simul sensus submissionis, pietatis et devotionis exprimere in primis in manus Eminentiae Vestrae tamquam Suae Sanctitatis Status Secretarii obsequia filialis amoris, humillimae submissionis et etiam fidelitatis ac devotionis erga actualem Christi Domini Vicarium, feliciter nobis regnantem Ioannem Papam XXIII et item erga Eminentiam Vestram obsequentissimum pandere animum.

Dum sacram purpuram reverenter deosculor, Eminentiae Vestrae servum humillimum me profiteor.

✠ CAROLUS PEKALA
Vicarius Capitularis
Dioecesis Tarnoviensis in Polonia

I. QUAESTIONES DOGMATICAE

1. *De cognoscibilitate et demonstrabilitate Dei naturalis rationis lumine doctrina magis enucleanda videtur.*

Antesignani contemporanei atheismi et materialismi multum impendunt laboris, ut in elucubrationibus suis et publicationibus — quas scientificas praesumptiose vocant — demonstrent Deum non existere aut saltem cognosci ac demonstrari non posse. Tali modo quasi omnes errores — iam olim damnatos ab Ecclesia denuo renovare et quasi in auxilium sibi adsciscere conantur. Qui omnes antiquissimi errores nova quadam specie et apparatu, quem solum scientificum esse contendunt, proponuntur. Catholici vero auctores in erroribus illis expugnandis nimis quandoque timidi et condescendentes videntur, non semper invicem in proponendis argumentis Dei existentiam, cognoscibilitatem et demonstrabilitatem probantibus concordes sunt, saepe etiam in valore traditorum argumentorum quibus existentia Dei ab antiquis Doctoribus, praesertim ab Angelico Doctore, demonstrabatur aestimando in varias sententias abeunt.

Ideo reverenter proponitur, ut materia haec de cognoscibilitate et demonstrabilitate Dei ope naturalis rationis — iam olim a Concilio Vaticano proposita — novi Concilii auctoritate in memoriam revocetur plenius ac profundius — si fieri potest — explicetur et declaretur, novis — si praesto sunt — argumentis ditetur, valor autem argumentorum, qui pro Dei existentia cognoscibilitate et demonstrabilitate militant quoque ab antiquis Doctoribus hucusque traditi sunt — in quantum retineatur —

a Concilio confirmetur, gradus quoque certitudinis in naturali Dei cognitione comparanda acquirendus, qui veritatem hanc tamquam obligatoriam imponat, accuratius determinetur — et tandem denuo condemnentur supradicti errores agnosticismi et fideismi, immo et quem dixerim semiagnosticismum id est nimius criticismus, qui argumenta certa immerito in dubium vocat, item condemnetur. Tali modo speramus, futurum, ut ex doctrina hac novi Concilii omnibus bonae voluntatis hominibus, quorum oculi conversi erunt in tantae auctoritatis conventum fulcimentum et novum robur pro fide sua confirmanda aut restauranda praesto sit et omnes probe noscant inter fidem et scientiam nullam posse argui discrepantiam, sed e contra scientificis fundamentis fidem nostram inniti.

Cum autem de Deo eiusque opere creationis sermo instituetur, convenientissimum videtur, ut Sacrae Scripturae textuum qui de mundi creatione narrant authentica detur interpretatio et per hoc errandi licentia coarctetur. Etenim etiam circa hanc veritatem multi errores ab infidelibus sparguntur.

2. *Nimia licentia in libro Genesis interpretando coarctanda videtur.*

Iam anno 1909 die 30 iunii Commissio de re Biblica aperte declaravit et inde Pius Papa XII Litteris Encyclicis *Humani Generis* expresse admonuit, ne auctores in interpretandis primis tribus Genesis capitibus sive in scientificis sive in popularibus elucubrationibus praepropere a sensu litterali recedere auderent. Nihilo minus post ultima S. Sedis edicta de genere litterario in Sacra Scriptura interpretanda admittendo non desunt auctores, qui hanc licentiam nimium extendere videantur, timendum igitur videtur, ne doctrina de peccato originali, quae in libro Genesis traditur de peccato scilicet personali et actuali protoparentum et insimul peccato naturae in dubium vocetur.

Quapropter desiderandum videtur, ut textus illi sacri ex libro Genesis — si fieri potest — Concilii auctoritate authenticae interpretationi subdantur et hunc in modum fundamenta doctrinae de necessitate redemptionis in tuto collocentur.

3. *Definitio dogmatis de B. Maria Virgine omnium gratiarum Mediatrice opportuna videtur.*

Ut vero exstruatur monumentum perenne pietatis ac venerationis necnon etiam grati animi pro tot beneficiis obtentis erga Admirabilem ac semper Venerandam Dei Matrem — quibus temporibus nostris tum ab ipsis Summis Pastoribus, tum ab omnibus Concilii Patribus, tum a cuncto

fidelium grege haec Deiparae Virgo prosequitur — et ut ipsa, « quae cunctas haereses sola interemit in universo mundo ». Filium suum nobis reconciliet et pacem ac unitatem Ecclesiae restauret, divulsos fratres reducendo — opportunum visum est rogare, ut doctrina, quae tenet Beatissimam Virginem Mariam in elargitione omnium ad salutem gratiarum esse Mediatricem, catholicae fidei dogma infallibili definitione declaretur. Credimus enim omnes, tum Pastores, tum fidelis populus, Beatissimam Virginem Mariam prae omnibus creaturis a Deo exaltatam, in Matrem Verbi Incarnati et Redemptionis Cooperatricem electam — ideo etiam Matrem Mystici Corporis Christi esse necnon omnium gratiarum ex Redemptionis fonte manantium Mediatricem existere.

II. Quaestiones de iure canonico

1. Tamquam praesuppositum reverenter enuntiatur desiderium, ut in *Codicem Iuris Canonici* introducantur omnes hucusque peractae mutationes iuris et in redigenda nova *Codicis I. C.* editione ratio habeatur omnium interpretationum Commissionis de interpretando *Codice I. C.*

2. Proponitur, ut canon 617, § 1 reformetur hunc in modum: « Si in regularium aliorumve religiosorum domibus eorumve ecclesiis abusus irrepserint, et Superior monitus prospicere neglexerit, Ordinarius loci tenetur rem ad Sedem Apostolicam deferre. In casibus vero urgentioribus aut si recursus ad S. Sedem difficilis sit, statim ipse providere debet salvo iure recurrendi ad S. Sedem, ast in devolutio tantum ».

3. Rogatur ut — si opportunum visum fuerit — concedatur Ordinario loci potestas exigendi, et religiosis in territorio degentibus obligatio praestandi iuvamen in cura pastorali dioecesana et parochiali et introducatur obligatio intimandi Curiis Dioecesanis omnes ordinationes superiorum religiosorum generalium et provincialium, quae domibus religiosorum in suis territoriis mittuntur.

4. Expungatur — salvo meliori iudicio — series impedimentorum matrimonialium gradus minoris, de quibus in canone 1042, § 2, nn. 1-3. Etenim non videtur eorundem sublatio gravius praeiudicium afferre familiae aut societati et ex altera parte illa impedimenta difficilius deteguntur, facillime vero dispensantur.

5. Introducenda videntur nova impedimenta matrimonium dirimentia: *a*) aethylismus chronicus matrimonio antecedens, *b*) lues cum positivo eventu ex analisi serologica matrimonio antecedens, *c*) in can. 1083, § 2 tollere n. 2 et in locum eius substituere: « Si pars homicidium commisit, quod comparti ante matrimonium omnino ignotum fuit ». Ratio est, quia uterque morbus detestabiles effectus in prole causat, delictum

vero homicidii partem innocentem maxime diffamat et ideo magnam ei iniuriam infert.

6. Proponitur reformatio Indicis librorum prohibitorum, ut antiquata iam opera et hodie non nociva ex Indice tollantur et prohibitio librorum qua talis solum ius naturale de damno spirituali et scandalo vitando afferat sublatis fortasse etiam censuris, quarum appositio quandoque contrarium eventum id est auctam legendi prohibitum librum cupiditatem producit.

III. Quaestiones liturgicae

1. Timorati et pii sacerdotes huius dioecesis quando agitur de Confirmatione aegrotis conferenda, vi concessae a Sacris Congregationibus facultatis renuntiant omnino usum huius facultatis — propter timorem, ne forte excedendo limites facultatis incidant in poenas pro tali casu appositas. Ideo rogamus, ut hi rigores, ut sunt nullitas collati Sacramenti et censurae in confirmantem, prorsus tollantur. Nam et inter nos viventes sacerdotes ritus orientalis Confirmationis Sacramentum valide et licite conferentes sine ulla limitatione a nostris sacerdotibus conspiciuntur.

2. Tempus quoque sacrificii Missae, quod in praesens viget, ita extendatur, ut licitum sit a tertia matutina hora ad vigesimam (nonam vespertinam) et Missam celebrare et independenter a Missae celebratione S. Communionem distribuere. Permulti enim nunc sunt operarii, officiales, immo et iuventus scholas frequentans, quibus solummodo horis pomeridianis vel vespertinis possibile est, ut haec Communio cum Missae celebratione connectatur.

3. Quoad applicationem Missae pro populo conveniens videtur — ob paupertatem cleri — ut solummodo diebus Dominicis et festis de praecepto sacerdotes Missam pro populo applicare teneantur.

4. Lex etiam ieiunii et abstinentiae, ut in hac forma, in qua hodie de facto vi dispensationis obligat, de iure statuatur, conveniens videtur ob difficultates acquirendi victui necessaria in hodiernis condicionibus oeconomicis.

5. Ritus in ecclesiae consecratione pro hodiernis condicionibus nimis prolixus videtur. Nam fideles tot occupationibus gravati non iam tempus habent tam diu eidem assistendi ideoque contrahatur.

6. Tandem — si unitati Ecclesiae tam desideratae ab omnibus non obstet — rogatur, ut in Sacramentis administrandis (excepto Ordine et Paenitentia) necnon in benedictionibus in Rituali contentis lingua nationalis seu vernacula introducatur. Talis dispositio ad sacras caeremonias melius intelligendas multum proficua futura esse speratur.

IV. Quaestiones sociales

1. *Mala familiae imminentia praecaveantur.*

Catholica doctrina de officiis familiae Christianae iam quidem satis nota et a Romanis Pontificibus ultimorum praesertim temporum toties enuntiata etiam a Concilio Oecumenico denuo sollemniter in memoriam revocanda videtur. Parentibus gravitas responsabilitatis pro suis filiis, pro futuro statu societatis humanae necnon Ecclesiae Catholicae serio inculcetur. Familia Christiana hodiernis temporibus spiritu ac vigore apostolico imbuatur necesse est. Familia enim Christiana fons est vitae socialis atque religiosae. In hodiernis vero condicionibus oeconomicis vinculum familiae internum, mores traditi, pondus ac valor vitae familiaris magis magisque diminuuntur ac quandoque dissolvuntur. Parentes, qui saepissime ambo in officinis industrialibus laborant aut ambo officio publico funguntur, vitam maxima ex parte extra familiam agunt. Filiis suis educandis parum operae praestare possunt ipsosque aliis personis aut publicis institutis alendos educandosque tradunt.

2. *Sacerdotibus adiutorium in cura animarum a laicis subministretur.*

Sacerdotes in cura pastorali exercenda, in veritate religiosa defendenda, in iuribus Ecclesiae propugnandis, si adiutorio laicorum expertes sunt, vix munera sua perfecte adimplere possunt. Eorundem labor, etsi magnanimis et constans, non semper omnes sed quandoque paucos tantum attingere potest. Si autem laicorum apostolatu adiuvante laborant, operationis eorundem ambitus valde distenditur, cum laicis saepissime plures pateant ianuae, quae sacerdotibus occluduntur. Praeterea laicismo atheo opponendus est laicatus catholicus, qui apostolatum una cum sacerdotibus et sub eorum ductu exercere paratus sit. Ideo desiderandum videtur, ut auctoritate Concilii denuo adhortentur laici atque edoceantur, quomodo eos conversari oportet in Ecclesia Dei, quanti valoris partes attributae sunt eis in Ecclesia, cum et ipsi vocentur ab Apostolo gens sancta, regale sacerdotium, membra Corporis Mystici Christi, lapides vivi, quibus coaedificatur Ecclesia, a quibus etiam tantum Ecclesiae bonum dependet. Revocetur in eorum memoriam illa inaequabilis et incomparabilis dignitas filiorum Dei, membrorum Christi, ad quod nascuntur in Ecclesia et simul etiam responsabilitas eorundem pro statu Ecclesiae eiusque efficaci operatione in Christi mandato exsequendo.

3. *De laboris valore ac necessitate vera principia catholica proponantur.*

Hodiernis in condicionibus socialibus, quae eximiam evolutionem industrialem ac oeconomicam secum tulerunt, labor et operatio uti primum

ac principale officium hominis consideratur et quidem non tam industrialis hominis operatio, quam a communitate viribus unitis eadem peracta. Quod fit, ut dignitas personae humanae vilipendatur et quasi iam penitus evanescat. Necesse igitur videtur, ut aliquomodo labor et operatio humana non solum, ut est medium sustentationis et materialis prosperitatis, sed etiam prout hominem quasi cooperatorem Dei in opere creationis reddit, media sanctificationis salutisque suppeditat — modo sit cum oratione et intentione Deum glorificandi peractus. Supradicta doctrina per principia generalia iam nota est, quia tum in Evangelio, tum in Theologia morali clare enuntiatur et continetur. Desideratur tamen, ut a Concilio Oecumenico profundius ipsa enucleetur necnon auctoritative et sollemniter fidelibus ut « theologia laboris » vel « oratio laboris » intimetur. Practice etiam id appareat vg. ut pro quibusdam operibus cum labore coniunctis cum debita supernaturali intentione praestitis indulgentiae elargiantur. Quae omnia de operatione et labore humano principia occasione felicissima festi S. Ioseph Opificis a sacerdotibus traduntur, sed valde optandum, ut Concilii auctoritate firmentur.

4. *Caritatis opera iterum commendentur.*

a) Desideratur, ut a Concilio Oecumenico denuo sollemniter declaretur, confirmetur et propugnetur ius plenum Ecclesiae ad activitatem charitativam, tum vi ipsius iuris naturae, tum vi praecepti Domini, quod « novum mandatum » ab eodem dictum est, tum vi iuris acquisiti, profluentis ex tot meritis Ecclesiae erga pauperes, aegrotos, debiles, senes et orphanos — verbo, erga omne genus miseriae humanae praestitis. Porro inculcentur fidelibus a Concilio veritates evangelicae de iure pauperum et indigentium, quo gravatur omne patrimonium in eorundem favorem.

b) Adhortentur Concilii auctoritate omnes bonae voluntatis moderatores et gubernia, ut famelicis, nudis, tecto ac omni ope destitutis inopiae sublevandae efficaciter consulatur.

c) Adhortentur tandem pastores et fideles, ut Apostolorum vestigia sectando, novas et modernas adinveniant methodos in caritate practice exercenda, quod tum a sacro ministerio sacerdotali tum a vita vere catholica fidelium inseparabile et hodiernis temporibus tam necessarium est iuxta praepulchra verba S. Augustini: « *Extende caritatem super orbem terrarum — nam in toto orbe terrarum membra Christi iacent* ».

✠ CAROLUS PĘKALA
Episcopus tit. Trocmadianus

42

Exc.mi P. D. BOLESLAI KOMINEK
Episcopi tit. Vagensis

Wratislavia, die 26 augusti 1959

Ad mentem mandati *huius Illustrissimae Commissionis* diei 18 iunii a. D. 1959 Prot. N. I C/59-2489 humanissime propono quaestiones, quae ab indicto Concilio Oecumenico tractari poterunt.

I. *Quaestiones doctrinales*

1. Definitio uti dogma fidei catholicae: Beatissimam Virginem Mariam esse universalem Mediatricem omnium gratiarum.

2. Clara et distincta officialis declaratio Ecclesiae de iuribus et officiis in Ecclesia catholica fidelium-laicorum eorumque participatione in eius vita et responsabilitate de eius statu.

3. Doctrina Ecclesiae catholicae de naturalismo et laicismo in vita et educatione iuventutis.

4. Theologis imponendum munus elaborandi et conscribendi quasdam ethicas normas, quae respectent etiam necessitates actuales et quaestiones ideologiae catholicae simili modo, quo suo tempore perfecit hoc Concilium Tridentinum (Catechismus Romanus).

5. Ad liturgiam magis captui fidelium nostrae aetatis accomodatam reddendam profundiusque ab eis intelligendam omittenda sunt in ea, quae sunt *tantum* reliquiae venerandae antiquitatis et nihil ad essentiam liturgiae afferunt, introducendaque in eam in ampliori ambitu lingua vernacula et etiam in administratione Sacramentorum, servata lingua liturgica in essentialibus.

6. Talis dispositio Breviarii, ut illud magis, quam adhuc, formet totam vitam eorum, qui ad Divinum Officium recitandum obligati sunt habeatque prae oculis meditationem, examen conscientiae et Visitationem SS. Sacramenti.

II. *Quaestiones disciplinares*

1. Possibilitas reductionis ad statum laicalem, reservatae tamen Sedi Apostolicae et in casibus exceptis non solum eorum, de quibus in Codice Iuris, sed etiam eorum, qui adhibitis omnibus remediis, nullam spem faciunt vitam dignam clerico et sacerdote ducendam. Eo modo vitabun-

tur multa scandala et sacrilegia, salvabuntur hi qui sua sponte vestem sacerdotalem proiecerunt matrimoniumque per actum civilem tentaverunt.

2. Accommodatio legum Indicis ad actuales necessitates, deletis ex eo titulis, qui nunc valorem tantum historicum habent et clara expressaque traditio normarum necessariarum ad strictam earum applicationem in singulis casibus.

3. Restrictio Benedictionum aliquibus tantum ordinibus reservatarum.

4. Accommodatio ad nostra tempora et magis ad usum practicum vestitus sacerdotum ad formam nunc in America vigentem: vestis talaris in functionibus liturgicis, vestitus saecularis nigri coloris cum distinctione clericali pileusque niger extra ecclesiam.

✠ BOLESLAUS KOMINEK
Episcopus tit. Vagensis
in Wratislavia

43

EXC.MI P. D. ANDREAE WRONKA
Episcopi tit. Vatarbensis, Auxiliaris Gnesnensis

Wratislaviae, 24 augusti 1959

Em.me Princeps!

Invitato ad communicandas quaestiones, quae in futuro valde laete expectato Concilio Oecumenico tractandae essent, haec mihi videntur animarum bono profutura:

I

1. De unione Ecclesiarum restituenda.
2. De amovendis periculis laicismi, qui in vitam fidelium progreditur.
3. Homo christianus in relatione ad hodiernum « technicismum ».
4. Errores huius saeculi.
5. Laici in Ecclesia.

II

1. De componenda vita spirituali cleri cum actione pastorali.
2. De desideranda vita communi cleri.

3. De habitu clericali extra actionem liturgicam huic aetati aliquatenus accomodando.

4. De facilius eliminandis a statu clericali clericis, qui se perpetue diffamaverunt.

5. De unificandis in iure et practica choris in ordinibus et congregationibus religiosarum.

6. Religiosi obligentur oboedire Episcopo, qui eis imponit curam animarum, deficientibus ecclesiis et sacerdotibus dioecesanis.

7. Legislatio de exemptione religiosorum mutanda est in favorem curae animarum, quia hodierna legislatio in hac materia non prodest provehendae curae animarum.

In hodiernis condicionibus Ecclesiae particulare bonum religiosorum cedere debet necessitatibus communibus.

III.

1. De indice librorum prohibitorum reformando.

2. De lege poenae excommunicationis reformanda.

IV. *De restauranda sacra liturgia*

Commissio Liturgica Conferentiae Episcopatus Poloniae est in conficiendo argumento desideratae restaurationis s. liturgiae.

Fas mihi sit hic sola capita enumerare:

1. Variationes in Missali faciendae.

2. Variationes in Breviario Romano faciendae: in hoc libro maximae desiderantur variationes, quae suggeruntur tum bono spirituali cleri tum cura animarum.

3. Variationes in Pontificali Romano faciendae. Desideratur abbreviatio variorum rituum, ut magis eluceant ea, quae sunt de essentia.

4. Variationes in Caeremoniali Episcoporum faciendae: in iis, quae desierunt esse in usu.

5. Variationes faciendae in Rituali Romano, inter desideria invenitur illud linguae vernaculae latius admittendae.

6. Sacramentalis concelebratio Missae introducenda est.

Sacram Purpuram deosculans profiteor me

Eminentiae Vestrae servum dev.mum

✠ ANDREAS WRONKA
Episcopus tit. Vatarbensis
Auxiliaris Gnesnensis

PORTUS HERCULIS MONOECI

1

EXC.MI P. D. AEGIDII H. A. BARTHE

Episcopi Monoecensis (Monaco)

Monoeci, die 27 augusti 1959

1. *Quod ad doctrinae capita attinet*:

a) Pro certo affirmare *de laicis* Ecclesiae doctrinam et quocirca *sacerdotii naturam*. Cum quaestionibus coniunctis:

— de opportunitate renovandi diaconatum et, forte, coeteros ordines minores;

— de supernaturali momento munerum « profanorum », de vera caritatis christianae natura pro Regno Dei aedificando;

— de obligatione apostolatus laicorum et participandi Actioni Catholicae.

b) Definire notionem veram episcopatus et iura episcopi:

— circa potestatem supremam Sancti Patris;

— circa Religiosos et privilegium exemptionis (quomodo iustum facere hoc privilegium quoad sanam doctrinam et in quibus finibus statuendis pro unitate iurisdictionis in dioecesi: quod fuit opportunum in pristino tempore potest immodicum fieri in novo);

— circa institutiones apostolicas diffusas extra fines dioecesis (Scholae catholicae, Actio Catholica in natione praesertim institutae) pro unitate apostolatus;

— de opportunitate synodorum peculiarium in aliquibus regionibus agendarum cum potestate leges imponendi.

c) Pro certo affirmare Ecclesiae doctrinam circa Status « laïcité »:

— de potestate civili et ecclesiastica, officia et iura uniuscuiusque;

— de fide et scientia: doctorum libertas et obligationes;

— doctrina de iure proprietatis (fundamentum, fines, officia) praesentibus vitae condicionibus recte accomodata.

(Hae questiones dant locum novissimorum Pontificum institutionum compendium valde utile faciendi).

2. *Quod ad disciplinae capita attinet*:

a) Circa liturgicas normas:

— pro fidelibus elaborare praesentes rationes partes agendi in liturgicis caeremoniis, praesertim dum missa celebratur;

— recognoscere scripta legenda aut verba pronuntianda ut magis obvia sint. Inspicere ampliorem usum vulgaris linguae.

b) Circa praecepta Ecclesiae:

— ad celebrationem diei dominicae et dierum festorum, recognoscere normas a maioribus traditas *de operibus vetitis;*

— item de lege *ieiunii;*

— in *sacramentis ministrandis,* videtur quod sufficiens fides saepius deest, praesertim in subiectis matrimonium contrahentibus et in parentibus qui baptismum pro infantibus petunt. In hoc periculo sacramentorum profanationis et religionis contemptus, nonne graviorem legem imponere opportunum esset?

c) Circa aliquas dispositiones iuris:

— id quod ad poenas attinet expedire, praesertim de censuris;

— item, pro impedimentis matrimonialibus et eorum dispensatione: Ordinariis ampliores facultates dare.

✠ AEGIDIUS BARTHE
Episcopus Monoecensis

SUETIA

1

EXC.MI P. D. AUXHARII NELSON
Episcopi Holmiae (Stockholm)

Holmiae, die 30 maii 1960

Eminentissime Princeps,

Difficultatibus gravibus et sat magnis impeditus responsum multum iam ante tempus petitum tam sero mitto. Sufficit fortasse afferre me ultimis mensibus et vicarium generalem et tribunalis officialem amisisse. Cum sacerdotum numerus mea in dioecesi sat parvus sit, perdifficile est novos adiutores ad labores in curia dioeceseos praestandos inveniri.

Responsum meum non ad Eminentissimum Principem tempore praescripto venisse maxime doleo.

Sacram purpuram Eminentiae Vestrae humiliter et oboediens deosculans

✠ AUXHARIUS NELSON
Episcopus Holmiae

I - Ut suppleatur doctrina a Concilio Vaticano proposita, praesertim de essentia Ecclesiae, de momento christologico et ecclesiologico in mariologia.

II - Inquirendum est num utilitatem afferre possit institutum (ad instar S. Congregationis pro ecclesia orientali) erigendum, ad quod cura de territoriis haeresi reformatorum infectis pertineat. Cui instituti et quaestiones theologicae et res practicae sunt tractandae, quae sunt sui generis ubicumque sectae protestanticae suum influxum exercent.

III - Reformatio S. Liturgiae necnon Breviarii.

Ut in missis Epistola et Evangelium sola lingua vernacula recitentur.

Ut in Pontificali Romano quaedam mutentur, maxime ritus consecrandi S. Oleum in Coena Domini et dedicationis ecclesiae.

IV - Reformatio Indicis librorum prohibitorum.

Abrogatio omnium censurarum latae sententiae.

Ut acatholicis valide baptizatis concedatur ius accusandi matrimonium.

V - Ut Patres Concilii sint memores protestantes nostris in regionibus versantes acri animo et attento et quod in Concilio futuro tractetur et modum quo illud fiat persequi.

✠ AUXHARIUS NELSON
Episcopus Holmiae

TURCHIA EUROPAEA

1

EXC.MI P. D. PAULI KIREDJIAN

Archiepiscopi Constantinopolitani Armenorum (Instanbul)

qui responsum dedit una cum:

EM.MO P. D. GREGORIO PETRO XV CARD. AGAGIANIAN

Patriarcha Ciliciae Armenorum [1]

2

REV.MI P. D. DOMINICI CALOYERAS

Administratoris Ap. Exarchatus Constantinopolitani (Instanbul)

Prot. N. 512/59 Instanbul, 12 novembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Mi onoro di trasmettere all'Eminenza Vostra Reverendissima i miei suggerimenti e voti per il futuro Concilio Ecumenico, in risposta alla Sua lettera 1 - C/59-2751 del 18 giugno u. s.

L'Eminenza Vostra vorrà perdonare il ritardo di due settimane con cui mi riesce di spedire la presente.

Si tratta, in massima parte, di rilievi che rispecchiano l'ambiente nel quale viviamo e per il quale offriamo quotidianamente a Dio l'umile nostro ministero evangelico.

Non ho mancato di richiedere l'avviso di missionari eruditi e prudenti coll'intenzione di poter così maggiormente servire il Santo Padre e l'Eminenza Vostra.

Colla stessa circostanza prego l'Eminenza Vostra Reverendissima di voler accogliere i sensi della mia profonda venerazione con cui, chino al bacio della Sacra Porpora, mi onoro confermarmi

di Vostra Eminenza Reverendissima

P. DOMENICO CALOYERAS
Amm. Apost.

---

[1] Cf. Asiam (Libanum).

I - *De unitate ecclesiae*

1. Ut in diversitate nationum et in varietate linguarum necnon rituum praeclara Sanctae Matris Ecclesiae Unitas, extra quam non est homini salus, quam maxime effulgeat, optandum valde videtur quod Patres Concilii in lucem proferant aspectum syntheticum Corporis Christi et munus essentiale Sacrae Hierarchiae quae, sub ductu Summi Pontificis, cum auxilio Cleri, fideles, sicuti membra vivida, divino Capiti coniungit a Quo gratiam et vitam supernaturalem desumunt.

2. De homogenea evolutione dogmatica tractando opportunum esset explicare quomodo sub infallibili assistentia Spiritus Sancti fiat successiva fidelis explanatio veritatis divinitus revelatae et reapse immutabilis, ne quis acatholicorum talem evolutionem interpretare adhuc valeat ad modum intolerabilis innovationis, cum semper eadem sit catholica doctrina quam, a Deo per revelationem traditam, sive Summi Pontifices ex cathedra loquentes sive Concilia Oecumenica, a primordiis Ecclesiae, servaverunt atque professi sunt.

3. Circa Primatum iurisdictionis Romani Pontificis — qui maximum impedimentum, sicuti dicitur, unitati Ecclesiae exstat — perutile esset quod Patres Concilii aliqua dicerent de relatione quae inter Primatum et unitatem Ecclesiae, ex voluntate Dei, exsistit, ita ut Primatus iurisdictionis Summi Pontificis propter ipsam unitatem Ecclesiae Militantis exstet: « ... *fiat unum ovile et unus Pastor* » (*Io.* X, 16).

Idipsum insuper probatur per facta, per se quidem eloquentissima, quae ostendunt quod, in Ecclesia, unitas doctrinae atque unitas regiminis animarum nonnisi per Primatum iurisdictionis Romani Pontificis plane asservatur.

Primatus ideo est potestas suprema ad unitatem Ecclesiae, ex voluntate Dei, omnino requisita. Propterea Ecclesiae separatae, usque dum ipsum Primatum Summi Pontificis reiicient, nullo modo consequi poterunt unitatem Ecclesiae quam, nostris temporibus, necessariam agnoscunt.

4. Quoad infallibilitatem Romani Pontificis declarandum videtur quod fides acatholicorum firmiter credit, sicuti notum est, in infallibilitatem auctoritatis Conciliorum Oecumenicorum. Hinc utile esset ipsos acatholicos admoneri quod eorum fides de infallibilitate Concilii Oecumenici, nisi contraria in ipsa veritate divinitus tradita affirmare auderet, necessario, saltem implicite, iam includit ipsam infallibilitatem Summi Pontificis utpote Supremi Pastoris in docendo Ecclesiam.

5. Demum, de Concilio Oecumenico tractando Patres Concilii explanent quomodo in Concilio ipsi Episcopi simul cum Romano Pontifice

coniuncti constituant plenariam expressionem Ecclesiae docentis atque infallibilis, exstante attamen Summo Pontifice non potioris tantum partis depositario, sed *totae* quidem plenitudinis supremae potestatis (cf. can. 3, I const.).

6. Unitatem Ecclesiae, pro qua Dominus Noster Iesus Christus, appropinquante hora Passionis, Patrem suum rogavit et quam discipulis suis enixe commendavit, magni facientes, Patres Concilii videant si opportunum fuerit « Commentarium officiale » auctoritate ipsius Concilii edere de omnibus dogmatibus, de iis praesertim quae ab acatholicis non admittuntur vel quae definita sunt a tempore defectionis Ecclesiae Orientalis.

Hoc Commentarium secundum spiritum Catechismi Concilii Tridentini exarari posset, additis — post cuiusque definitionis verba — Revelationis, Sacrae Scripturae, Traditionis et Sanctorum Patrum textibus, critico argumento selectis.

Utile insuper erit ut historica expositio de iis quae ad definitionem perduxerunt et solutiones maiorum obiectionum acatholicorum addantur.

Tractatus dogmatici ad studiosos praecipue ordinantur et potius catholicam fidem iam supponunt. Eorum usus praeterea imperitis haud facile evadit. Denique omnis tractatus auctoritate singuli quidem magistri innititur, sed nullimode auctoritati ipsius Ecclesiae debetur.

De coetero diaconus Chrysostomus Constantinidis, olim Instituti Orientalis Romae alumnus et nunc professor in schola theologica Patriarcatus « orthodoxi » Constantinopolitani, scripsit, his diebus, in ephemeridibus patriarchalibus « Apostolos Andreas » quod a Concilio Oecumenico « diversae Ecclesiae et ipse populus christianus cognoscere volunt quid praecipue per singulas definitiones dogmaticas Ecclesia catholica ad credendum proponat, nempe qualis sit extensio uniuscuiusque definitionis » (Apostolos Andreas N. 430 - 7-X-1959).

Tandem, Sancto Paulo dicente: « Lac vobis dedi non escam; nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis » (I *Cor.* III, 2), mihi videtur hoc Commentarium officiale ita componendum esse ut et ipsis fidelibus catholicis utile esse posset.

Nam christifideles sacram praedicationem audire hodie non solent neque audiendo facile intelligunt « quid per articula fidei praecise ad credendum proponatur ». Nostris enim diebus verae haereses in rebus ad fidem et mores pertinentibus in privatis conventibus bene saepe audiuntur.

7. Cum mens acatholica circa catholica dogmata non semper clare noscatur, opportunum esset, iam ante celebrationem Concilii Oecumenici, specialem Commissionem, ex viris non solum studiis theologicis eruditis

sed et in « mentalitate » acatholicorum propter diuturnam cum eis commorationem penitus exercitatis instituere, cui Commissioni erit:

a) mentem diversarum Ecclesiarum circa dogmata catholica, in quantum possibile est, declarare;

b) quidquid in earum traditione, necnon theologia de ipsis catholicis dogmatibus inveniatur colligere;

c) earum difficultates et dubia seu falsas interpretationes explanare.

Tali modo, Concilium Oecumenicum, directe vel per Commentarium de quo supra diximus, omnes errantes ad unitatem Ecclesiae perducere curaret et auctoribus tractatuum « De Ecclesia » vel « De Apologetica » et iisdem sacris missionaribus atque praedicatoribus aptam praeberet materiam ad evangelicum ministerium fructuosius exercendum.

8. Cum nonnulli sacerdotes, nimio zelo ducti necnon « oecumenistarum » spiritu accensi, historiam et theologiam ita interpretent ut parti acatholicae favere videantur, Patres Concilii certam disciplinam in docendo et in agendo omnibus commendent. Hi sacerdotes componere debent curam inveniendi apud acatholicos elementa favorabilia in unitate christianorum obtinenda cum prudentia in expositione et in manifestatione fructuum laborum suorum. Saepe enim iidem confusionem potius generant quam veritati et unitati inserviant.

Quam diversi sunt saepe saepius horum sermones cum praeclaris verbis Pii PP. XII, immortalis memoriae, in Litteris Encyclicis *Sempiternus Rex,* de Oecumenica Chalcedonensi Synodo quindecim abhinc saeculis celebrata, profertis: « ... nonnulli dissidentium coetus in Aegypto, Aethiopia, Syria, Armenia et alibi, in definienda Dominicae Incarnationis doctrina, *verbis praecipue a recto tramite deflectere* videantur; quod quidem ex eorum liturgicis et theologicis documentis coniectari licet ... ». Et etiam: « ... viderint ipsi, quos supra amanter et dolenter memoravimus, an fas sit et expediat se, praesertim *ob quandam initio exortam verborum ambiguitatem,* adhuc distinere ab Ecclesia una et sancta, fundata in sapphiris, in Prophetis videlicet et Apostolis, ipso summo angulari lapide Christo Iesu » (*A.A.S.* 1951, pp. 636 et 637).

Studia historica et theologica circa orientales Ecclesias semper utique promoveantur, sed novae interpretationes vel inventiones ita divulgentur ut veritati et unitati reapse prosint.

9. Labori missionario, praesertim in Oriente, obstat non solum sic dictum « laicismum » a lege civili impositum, sed etiam actio continuata quorundam sacerdotum qui asserunt « acatholicos orientales singillatim convertendos non esse, immo neque eorum « Ecclesiam convertendam esse, cum ipsa ut — talis — ab unitate christiana nunquam defecisset ».

Non raro itaque isti sacerdotes, cum scandalo utique animarum, magna voce « orthodoxos » adprecantur ne ad catholicam Ecclesiam accedant.

Cum Dominus Noster Iesus Christus pro omnibus et singulis animabus passus et mortuus sit ita ut quisquis cum Sancto Paulo exclamare possit: « ... *dilexit me et tradidit seipsum pro me* » (*Gal.* II, 20) cumque « *extra Ecclesiam non sit salus* », nemini praedicationem Evangelii circumscribere liceat. Valent etenim ea quae Iesus Christus Apostolis commisit dicens: « *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae* » (*Mc.* XVI, 15).

Ordinariis locorum erit in singulis regionibus determinare quomodo missionarii, attentis diversorum locorum conditionibus, ad apostolatum attendere valeant.

10. Non raro sacerdotes etiam regulares in regionibus missionis commorantes videntur pro paucis tantummodo et quidem iam catholicis sese impendere « quia propter eos — sicuti aiunt — missi sunt ».

Cum attamen sacerdos pro omnibus hominibus constituatur in iis quae sunt ad Deum (*Haebr.* V, 1) utile esset spiritu missionario nempe plane apostolico eos excitare ut semper et ubique, ardenti Salvatoris siti pro animarum conversione accensi, velint totis viribus sese impendere ut omnes qui, adhuc non sunt ex ovile Patris ad agnitionem veritatis et ad veram Patriam adducantur (*Io.* X, 16).

II - *De Sacramentis*

1. Prohibitio communicandi in divinis, generaliter accepta, videtur quorumdam malorum occasionem exstitisse, sicuti « phanatismi » et odii inter alterutras partes.

Quaeritur itaque num — quando non obstat validitas sacramenti — opportunum esset permittere christifideles in divinis communicare.

Catholici etenim rarissimo (fortasse solummodo occasione matrimonii cum parte acatholica) in divinis reapse communicare vellent. Acatholici vero facilius ad Ecclesiam catholicam attraherentur, cum ordo sacrae liturgiae et sanctitas praesertim ministrorum evidentius in ea manifestentur.

Itaque Ecclesia, etiam erga eos qui non sunt ex eius ovile, fructuosius suum exercebit ministerium.

2. Studeatur num redeundum esset ad validitatem sacramenti matrimonii coram ministro acatholico orientalis ritus celebrati.

Heu, post promulgationem Novi Codicis Iuris Canonici Orientalis, numerus casuum talium matrimoniorum multiplicatur. Iuvenes catholici metuentes enim ne matrimonii occasionem vel certam dotem amittant,

poenas latas contra matrimonium attentantes coram ministro acatholico parvipendunt, quin immo et acatholici magis « fanatici » evaserunt propter instantias eorumdem cleri qui aequales poenas quam catholici, quasi ulciscendi studio (rappresaglia), « contra transgredientes religionem patrum suorum sanxerunt ».

Quondam, mulier catholica, praesertim decursu temporis, facilius suum virum suadebat ut filii catholica fide non modo educarentur, immo et baptizarentur, et aliquando, praeterea, ut ritus matrimonii in catholica Ecclesia perficeretur.

Hodie recurrendum est ad sanationem in radice quae nec frequenter quidem quaeritur, timore displicendi coniugem — si rem cognoscat —, neque ordinarie fructuosa educatio prolis obtinetur.

3. Cum, ingravescentibus malis, magis magisque manifestetur quod « *messis quidem multa operarii autem pauci* » (*Lc.* X, 2) proponere liceat Orientalis Ecclesiae consuetudinem de diaconibus latino quoque ritui extendi.

Facilius enim esset quod probi viri, etsi matrimoniali vinculo adstricti, onus diaconii suscipere ex vocatione vellent.

Hi diaconi, qui a dignitate sacerdotali omnino exclusi essent, post aliquam specialem preparationem, validum clero adiutorium praestabunt, imprimis in operibus socialibus, in cura associationum, in ministerio catechismi etiam in domibus privatis exercendo.

III - *De ritibus orientalibus*

1. Cum eximius numerus membrorum alicuius ritus, eius praestantiae non parum conferat et, aliunde, cum transitus acatholici ad ritum a proprio diversum habitualiter pietati non faveat, can. 11 *C.I.C. Or.* ex tractatu de Ritibus Orientalibus ita mutetur ut acatholici ad fidem conversi proprium conservare ritum semper teneantur. Quod si recusent, ipsi coram Catholico Hierarcha eiusdem orientalis ritus a quo devenerunt sistant, cui proprium erit iudicare num gratiam concedi necne expediat. Saepe enim acatholici ad fidem conversi et simul in ritum a proprio diversum reducti, ab alimento spirituali ex sacra liturgia profluente privati remanent, neque religiosae educationi prolis efficaciter attendere queunt.

2. Favor legislationis in Orientales Ritus necnon et ipse eximius numerus catholicorum orientalium optime contradiceret acatholicorum accusationi affirmantium quod « Ecclesia catholica orientales ritus solummodo sicuti escam conservare intendit ad attrahendas gentes ad latinitatem ».

3. Itaque declaretur ut filii, ex matrimonio viri et mulieris diversi

ritus nati, in Oriente orientali ritu, in Occidente occidentali ritu educentur.

4. Fideles Latini Ritus in Oriente degentes et ad sacram celebrationem orientalis ritus accedentes vel etiam participantes invitentur ut liturgicis usibus orientalium se conformare studeant.

5. Ubi paucitas sacerdotum orientalis ritus id suadeat, Ordinarii concedere valeant ut, per modum actus et remota admiratione adstantium, sacerdotes latini, cum vestibus liturgicis orientalibus aliquibus celebrationibus, praesertim Sanctae et Maioris Hebdomadae, participare queant, sicuti alicubi iam a multo tempore fit.

6. Secundum spiritum can. 1 *C.I.C. Or.* ex tractatu De Ritibus Orientalibus, divini officii quotidiana, privata quidem, celebratio sacerdotibus valde commendetur, pariterque ad prorsus integrae Missae participationem fideles inducantur, salva tamen manente Ecclesiae orientalis consuetudine de modo et de moralitate obligationis.

IV - *De Liturgia*

1. In ecclesiis aedificandis et in sculptilibus vel tabulis conficiendis necnon quotiescumque christianam humanitatem (civiltà) declarare sollemniter contingat (ut ex. gr. in « expositionibus »), traditionis principia omnino serventur (cf. *C.I.C.* can. 1164).

Novitates autem ne admittantur sine iudicio et consensu specialis commissionis dioecesanae vel nationalis quae constituatur ex quibusdam non tantum in arte optime versatis, sed et finis ipsius artis ecclesiasticae plane consciis.

2. Servato utique usu latini idiomatis, utpote officiale et proprium romano ritui, faveatur translatio in vulgarem sermonem saltem quarumdam praecum quae in sacramentis et sacramentalibus directe ad fideles et praecipue ad individuos diriguntur, ita ut formulae liturgicae, utpote incomprehensibiles, magicis sermonibus amplius non comparentur et animae fidelium mira pulchritudine et ineffabili eorum substantia pascantur.

V - *De disciplina cleri et populi christiani*

1. Spiritus oboedientiae et disciplinae, qui explicationi sic dictae personalitatis nullo modo contradicit, clero et christifidelibus inculcetur contra malum « individualismi » speculativi et practici quod impedit quominus charitate exerceantur opera propriae et communi sanctificationi perutilia.

2. Cum sacerdotes, praesertim vicarii cooperatores, multum tempus etiam nocte impendant operibus suo ministerio non stricte consentaneis,

ut sic dictis « circulis catholicis » vel « societatibus philodrammaticis et recreabilibus » cum detrimento vitae interioris per contemplationem et spiritum orationis enutriendae, necnon cum periculo corporis sanitatem amittendi, utile esset talis « apostolatus » opportunitatem determinare.

Humili meo iudicio, sacerdotis praesentia in huiusmodi conventibus saepe saepius non valet ad iuvenes praecavendos ne ad spectacula immoralia adeant. Melius esset fidelium conscientiam rectam ita formare ut ipsi, per se, relaxationes vel ludos seligere sapiant. Quodsi ad maiora mala vitanda hi conventus reapse necessarii viderentur, in ipsis denique probos viros vel pias mulieres sacerdotum vices gerere omnino conveniret.

3. Cum experimento probetur sanctitatem paroeciae ab ipsa sacerdotis sanctitate valde pendere, et opus formationis cleri maxime difficile esse, Patres Concilii examinare possent num huic manifestae experientiae faveret institutio in unaquaque natione specialis scholae Rectorum Seminariorum necnon Magistrorum Novitiorum atque Fratrum Studentium, in qua sacerdotes et religiosi, specialibus dotibus praestantes et ad formationem cleri destinati, ita sanctitatis vita edoceantur necnon perfectionis spiritu imbuantur, ut ipsi, sua vice, aliis postea tradere valeant perfectionis principia ad onus sacerdotale digne et laudabiliter exercendum.

4. Lex caelibatus sacerdotalis, iam a longissimo tempore apud Latinos laudabiliter exstans, accomodatissima permanet ad sacrum ministerium efficaciter exercendum necnon ad propriam uniuscuiusque sanctitatem adipiscendam, contra eos qui « anachronisticam » et inutilem eam existimant et declarant.

Attamen consuetudo qua clerici orientales matrimonium contrahere possint ante susceptum sacri presbiteratus ordinem servetur.

5. Nonnulli, existimantes quod optimi laici melius quam ipsi sacerdotes Ecclesiae Militanti prosint, gratiam vocationis parvipendere videntur neque raro omne studium adhibent ne laici ad sacros Ordines vel in Religionem intrent. Contra istos, omnibus Patres Concilii excellentiam status clericalis et religiosi inculcent.

6. Necessitate compulsi, can. 4 *C.I.C. Or.* ex tractatu de Ritibus recordantes, omnes operarii Evangelici admoneantur ut, considerationes utcumque particulares abnegantes, bonum commune Ecclesiae prae oculis semper habeant atque promoveant.

Experientia enim probat quod missionarii inter se non satis conveniunt ita ut tot vires inutiliter terantur necnon eadem omnino opera frustra multiplicentur.

Itaque bis saltem in anno « Locorum Hierarchae in eodem territorio iurisdictionem obtinentes, collatis consiliis, unitatem actionis inter diversi ritus clericos foveant, et, viribus unitis, communia adiuvent opera,

ad bonum religionis expeditius promovendum et cleri disciplinam efficacius tuendam » (praef. can. 4).

Cum attamen exemptio Ordinum Regularium aliquando, ut practice notatur, obstare posset necessitati communiter et concorditer in vinea Domini adlaborandi, Patres Concilii altissimum spiritum sacerdotalis et religiosae oboedientiae erga Summum Pontificem invocent et exigant ut omnes clerici ad Regni Dei adventum promovendum « viribus unitis » sese impendant.

7. Considerantes luctuosissimam ignorantiam fidelium de iis quae ad religionem et ad vitam supernaturalem pertinent, urgentem necessitatem instare videtur in omnibus paroeciis instructiones circa principia vitae christianae (catechismo) pro adultis diligentissime habendas, et membra « actionis catholicae » ita sese impendendo ut vitam catholicam exemplis et verbis ubique, in privatas quidem domus, adducant.

8. Magis magisque exoptatur ut Concilium Oecumenicum quaedam principia tradat de ratione in re publica (politica) a clero servanda, ne Ecclesia propter regiminis instabilitatem vel propter fallacem applicationem suae doctrinae ab iis qui suo potiti sunt nomine iacturam patiatur.

9. Servato usu vestium particularium uniuscuiusque Ordinis et Congregationis intra domus, studeatur num opportunum esset easdem aptiores reddere ad iter utcumque expeditius faciendum.

IV - *De moribus*

1. Plures et prudentes legisperiti et confessarii existimant quod lex moralis aliquando ad « casuisticam » reducatur.

Nostris enim temporibus, in quibus peccati occasiones multiplicari videntur, opportunum esset quod curam animarum habentes specialissimo modo studeant rectam fidelium conscientiam formare, quin iussa nova vel prohibitiones novas addant necnon multiplicent ad legum iam exsistentium observantiam a fidelibus obtinendam.

Itaque spectacula, choreae, « moda » et similia non evadant amplius occasiones novi edicti vel specialis prohibitionis Episcopi vel Parochi ne eveniat quod a quibusdam laicis lamentatur, scilicet quod « nimia sollicitudo pastoralis contra aliquos usus, aetati proprios, ita imminuatur decursu temporis ut quod hodie peccatum dicitur, cras nihil amplius sit ».

2. Cum tamen magna pars relaxationum seu ludorum ex spectaculis oculos afficientibus hodie constituatur (sicuti ex theatro, ex ephemeridibus in quibus potius imagines et magna scandala pervulgantur), opportu-

num esset iterum et saepius fideles diligentissime admoneri ad se praecavendos a tot tentationibus hodie imprimis ex oculis prorumpentibus.

3. Quantum attinet ad quaestionem et ad doctrinam de « educatione sexuali » quam multi hodie vulgari sermone necnon corrupto modo tractant et diffundunt, opportunum videtur quod Patres Concilii parentibus admoneant de necessitate penitus educandi filios ad prorsus fugiendum perversos necnon ad respuendam doctrinam quae ad errorem et ad vitium deducunt.

De hac gravi obligatione, utpote de re maximi momenti tractando, eosdem parentes suadeant ut prolis ita prudenter et recte educatur et instruatur ne cupiditate patiatur cognoscendi ab aliis vel pravo modo quae suae aetati conveniunt.

4. Morum perversitas a veritate et virtute tantum recessit ut necessarium videatur quod Patres Concilii condemnent « sterilizationem », quae circumscribere intendit ortuum numerum, et « inseminationem artificialem », utpote contrariam principiis naturalibus matrimonii.

5. Index librorum prohibitorum expeditior reddatur. Prohibitio enim maiorum tentationum occasionem saepe efficit. Ordinarie etenim ad ambulandum in via Domini recta conscientia et principia moralia bonis optime sufficiunt, cum vero prohibitiones improbis potius male utiles evadant, ipsis quasi indicando et bene determinando ea omnia quae eorumdem mala cupido requirit.

VII - *De quaestione sociali*

1. Cum grave reformationis socialis opus praeclare exaratum a Summis Pontificibus, praesertim a Leone XIII ad Iohannem XXIII, feliciter regnantem, actu nondum perfectum sit, ita ut nationes et cives plurimis incommodis opprimantur et spiritus odii magis magisque inter diversas classes societatis accendatur, necessarium videtur quod Patres Concilii principia Encyclicarum Summorum Pontificum de hac re ad modum *Codicis ordinis socialis* promulgent, eiusdem applicationem publicis institutis et privatis commendantes ad maiora mala in futuro vitanda.

2. Ut autem mens Ecclesiae de quaestione sociali omnibus iisque humili quoque genere natis necnon athea « propaganda » vitiatis, innotescat, imprimis Instituta religiosa et parochialia seu omne genus sacrae administrationis, Sanctae Sedis recens exemplum imitantes, omne studium sedulo adhibeant ut in ipsa sua ratione cum operariis necnon cum domesticis suis Summorum Pontificum principia socialia adamussim servent.

3. Cum insuper inopia et infirmitates multae sint ita ut Instituta

ad eas sublevandas non sufficiant, Sacerdotes oblationes fidelium recte disponant.

Aliquando enim melius esset ecclesias non nimis sumptuosas erigere et orphanatrophia, hospitia, necnon nosocomia ipsis ecclesiis annectere, ita ut dum corporum infirmitates sublevarentur, mentes simul, charitate Christi, ad lucem veritatis perducerentur. Hoc modo praestans cultus praeterea exhiberetur Domino Nostro dicenti: « ... quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » (*Matth.* XXV, 40).

4. Denique christifideles constanter de necessitate se praebendi in auxilium Ordinario et Parocho edoceantur, ut sollicitudo in miseros et afflictos opportuniori modo suum sortiatur effectum.

P. Dominicus Caloyeras O. P.
Adm. Apost.

3

Exc.mi P. D. FRANCISCI LARDONE
Archiepiscopi tit. Rhizaeani, Delegati Ap. in Turcarum Republica

Moretae, die 1 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Veneratis instructionibus ab Eminentia Tua datis die 18 iunii 1959, Prot. N. 1 C/59-1696, mei ad honorem duco sequentes propositiones edicere.

Circa cleri disciplinam

Quoad studia Scientiarum Sacrarum in Maiori Seminario optandum est, ut in studiorum curriculo Sacrae Theologiae, meliori modo proponantur et obiecta et horae pro singulis disciplinis iuxta eorum momenta et necessitates, ita ut inutiles repetitiones evitari possint.

In hodierno studiorum curriculo habentur:

1) plures repetitiones superfluae, v. g. De Sacramentis agitur in re Dogmatica, Morali, in Iure Canonico et in S. Liturgia;

2) quoad horas pro singulis disciplinis habentur horae superfluae pro S. Scriptura, et pauciores pro Traditione explicanda (Concilia, Patres, Monumenta, Documenta, etc.); ita habentur horae superfluae pro Theologia Morali et pauciores pro Iure Canonico;

3) quoad methodum, nunc in Seminariis Theologicis adhibetur Curriculum Studiorum Const. « Deus Scientiarum », quod est aliquid nimis pro solida preparatione ad ministerium pastorale exercendum;

4) quoad studium S. Oratoriae optandum ut magis ad praxim intendatur, praeparando Sacerdotes ad praedicationem solidam, efficacem, attrahentem, et populi cogitationi aptam;

5) quoad linguam optandum ut lingua latina omnimode protegatur, ut Sacerdotes intelligere possint Officium Sacrum, Missale, et Rituale, et hoc speciali modo in Nationibus ubi, ut in America, Sacerdotes fere omnes optant ut lingua nationalis substituatur linguae latinae.

Optandum est quod libri et tractatus scholastici adaptentur ad modificationes de quibus supra.

De disciplina populi christiani

Optandum ut Cathechesis et Instructio Religiosa pro populo sistematice ordinetur ut melius adaptetur sistemati vitae sociali hodiernae et mediae culturae a fidelibus assecutae. Speciatim in Paroeciis extra-urbanis et agricolis hodie cathechesis pro aetate adultis, traditur in « Instructione Paroeciali » diebus Dominicis. Methodus conveniens erat in saeculis elapsis, quando fideles Ecclesiam adibant ad Vesperas canendas et ad Instructionem Parochi audiendam. Nunc vero, etiam fideles meliores in diebus festis speciatim in horis post-meridianis, itineribus attendunt et publicis spectaculis, radio auditionibus, televisionibus et proiectionibus cinematograficis, et pulpitum non amplius est cathedra praecipua instructionis populi christiani.

Circa hodiernam actuositatem

1) Optandum ut ratio agendi Sacerdotum magis conveniens sit nostris temporibus, statuendo occursus cum omnibus fidelibus Paroeciae, et disculis et indifferentibus vel hostilibus, eos periodice in ipsa eorum domo visitando, et Statum Animarum accurate conficiendo, etiam pro Acatholicis.

2) Quoad habitum ecclesiasticum optandum, ut etiam in Nationibus Latinis adaptetur nostris temporibus et moribus, speciatim in ductione autocurruum, cum vestis talaris periculum constituat pro ductoribus ipsis et pro aliis.

3) Item optandum, ut Pastores etiam cum aetate adultis occursus

habeant, et cum eis ludis indulgeant; haec enim media efficaciora sunt ad eorum affectum procurandum et etiam ad vitam christianam fovendam.

Interim Eminentiae Tuae Sacram Purpuram deosculor et me profiteor

Addictissimum et obsequentissimum servum

✠ FRANCISCUS LARDONE
Archiepiscopus tit. Rhizaeanus
Delegatus Apostolicus in Turcarum Republica

INDEX

GIBRALTARIA

GRAECIA

HELVETIA

HIBERNIA

HISPANIA

HOLLANDIA

HUNGARIA

ISLANDIA

IUGOSLAVIA

LETTONIA

LUXEMBURGUM

LUSITANIA

MELITA

NORVEGIA

POLONIA

PORTUS HERCULIS MONOECI

SUETIA

TURCHIA EUROPAEA